DOP 1364
№ 6806

CHRISTIANI WOLFII
JUS NATURÆ
METHODO SCIENTIFICA
PERTRACTATUM,

PARS TERTIA,

DE MODO DERIVATIVO

ACQUIRENDI DOMINIUM
ET JUS QUODCUMQUE PRÆSERTIM IN RE ALTERIUS:

UBI ET AGITUR

DE OFFICIIS CIRCA SERMONEM,

JURAMENTIS AC VOTIS,

NEC NON USUCAPIONE ET PRÆSCRIPTIONE

ET NUNC PRIMUM CUM

VIRI CL. DE VATTEL
ANIMADVERSIONIBUS:

EDITIO NOVISSIMA EMENDATIOR, ET AUCTIOR.

Inv. 6806-A
R. SCUOLA DEGLI INGEGNERI ROMA BIBLIOTECA

FRANCOFURTI, ET LIPSIÆ,
MDCCLXV.

ÆRE SOCIETATIS VENETÆ,
SUPERIORUM FACULTATE, AC PRIVILEGIIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principi ac Dom. Dom.

FRIDERICO REGI BORUSSIÆ,

Marggravio Brandenburgenſi, Sacri Romani Imperii Archi-Camerario & Principi Electori, Supremo Sileſiæ Duci, Principi Supremo Arauſionenſi, novi Caſtri & Valengiæ, nec non Comitatus Glacenſis Geldriæ, Magdeburgi, Cliviæ, Juliaci, Montium, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiorum, Vandalorum & Megapolis, nec non Croſnæ Duci, Burggravio Norimbergenſi, Principi Halberſtadii, Mindæ, Camini, Vandalii, Suerini, Raceburgi, Oſtfriſiæ & Murſii, Comiti Hohenzolleræ, Ruppini, Marcæ, Ravensbergi, Hohenſteinii, Tecklenburgi, Suerini, Lingæ, Buræ & Leerdami, Domino Ravenſteinii Roſtochii, Stargardiæ, Lavenburgi, Butoviæ, Arlayæ & Bredæ &c.&c. &c.

REGI AC DOMINO MEO LONGE CLEMENTISSIMO.

REX AUGUSTE.

F*Ides, firmiſſimum illud ſocietatis humanæ vinculum, non modo privatis, verum etiam populis, eorumque Rectoribus ſanctiſſima eſſe debet. Quodſi enim ea ab omnibus intemerata tenaciter conſervetur, maxima inde in totum genus humanum redundat utilitas. Ea de cauſa omni tempore fides maximi habita, nec quicquam magis exoſum fuit perfidia. Supremi etiam rerum in terris Moderatores haud poſtremam gloriæ ſuæ partem hanc fecerunt, quod fidem ſervarent. Exemplo eſt AUGUSTUS, qui ſe bonæ fidei eſſe profeſſus eſt probe gnarus, quod non efficacius detur medium, quo ſummæ Poteſtates & ſubditorum, & Gentium animos ſibi conciliare valent, quam ſervando fidem. Urget eam æternum illud ac Immutabile Jus, quo Gentes inter ſe utuntur, & quæ de eodem in præſenti opere demonſtrantur, in eandem tanquam centrum collineant. Quamvis autem fides non minus dictorum veritatem, quam conſtantiam requirat; haud raro tamen & ſimulandum, & diſſimulandum eſt, ita ut jam olim in proverbium abierit: neſcit regnare, qui ſimulare neſcit, & taciturnitas, inter præcipuas illorum virtutes locum* com-

commeruit, quibus negotia publica curæ cordique ſunt. Immo ſubinde etiam a pactis fide integra diſceditur, ut, qui hoc facit, fidem datam fefelliſſe minime dicendus ſit. Singula hæc in hac continuatione accurate diſcutiuntur, ut metuendum non ſit, ne his principiis uſus judicium de fide unquam deproperet. Primum & ſecundum Juris hujus tomum MAJESTATIS TUÆ auguſto Nomini inſcripſi, ut ex eo conſequeretur opus meum ſplendorem & autoritatem. Patere igitur, REX CLEMENTISSIME, ut eodem quoque ſuperbiat, qui nunc prodit, tertius. Munificentiæ Tuæ debetur, ut operi huic continuando tantum temporis impendere liceat, quantum commodum ac opportunum videtur. Quicquid adeo ad augendam & amplificandam ſcientiam poſthac collaturus ſum, id totum Tuum exiſtimari debet. Quamobrem nulla mihi prætermittenda occaſio, qua non modo MAJESTATI TUÆ gratum animum teſter, ſed & Munificentiæ tam ſingularis memoriam poſteritati commodem. Supremus ille rerum omnium Moderator, HEROS INVICTISSIME, cum Jus Tuum armis vindicandum eſſet, ea victricia eſſe juſſit, ut, quod ſine iis habere non poteras, eorum vi fueris conſecutus. Atque ita providentia divina contigit, ut patria mea Poteſtati Tuæ ſubjiceretur, & nunc mecum TE Regem ſuum colat ac veneretur. Peregrinus veneram in Terras Tuas, ſed poſtquam Sileſia univerſa & in ea Uratislavia, ubi natus & educatus fui, MAJESTATI TUÆ paret, ſubditum indigenam fecit nativitas, & duplici vinculo adſtricta eſt fides mea. Tanto major itaque animum meum tenet ſollicitudo, ut Voluntati Tuæ ex aſſe ſatisfaciam. Cum Tomum ſecundum Juris Naturæ MAJESTATI TUÆ humillima mente offerrem, pro eo, quo animus Tuus, REX SAPIENTISSIME, in ſcientiam propendet, affectu Tuam quoque mihi ſignificaſti voluntatem de opere cœpto omni aſſiduitate continuando. Quamprimum ea mihi innotuit, ſummo totus perfuſus ſum gaudio. Ecquid enim mihi exoptatius eſſe poteſt, quam Tanto placuiſſe Monarchæ, qui non ſolum ſcientias protegit, ſed eas ipſe ſibi quaſi proprias fecit & de iis ſtatuere valet! Incendit hoc ardorem meum omnes ingenii vires omnemque mentis aciem in id intendendi, ut veritatem humano generi utilem ad eum certitudinis

Digitized by Google

gradum evebere pergam, ad quem huc uſque non contemnendam ejus partem perducere ſtudui. Cum hactenus firmiter perſuaſus fuerim, me non mihi, ſed generi humano vivere, ac tempus omne, donec vixero, eidem inſerviendo conſumendum eſſe; MAJESTATIS quoque TUÆ juſſu ad hoc me nunc obligatum agnoſco. Qaamobrem ne deſit publicum teſtimonium, quam ſim dicto audiens, & orbis univerſus intelligat, quod munificentia Tua mihi conſtitutum eſt ſalarium, eſſe Munus Regium in Genus humanum collatum, Tertium, qui nunc prodit, Tomum Juris Naturæ ſubmiſſa ac venerabunda mente ante pedes MAJESTATIS TUÆ deponere debui, certiſſima ſpe fretus fore, ut eundem, quemadmodum antecedentes, gratioſo vultu reſpicias. Faxit Deus, ut difficillimis hiſce temporibus conſilia ac molimina MAJESTATIS TUÆ omnia eundem ſortiantur ſucceſſum, quem habuerunt arma! Ita vovet

AUGUSTÆ MAJESTATI TUÆ.

Subjectiſſimus & devinctiſſimus
CHRISTIANUS WOLFIUS.

PRÆ-

PRÆFATIO.

CUm Jus naturæ omnes regat actus humanos, nihil quoque occurrit in omni Jure poſitivo, de quo diſponat Jus naturæ, utut non ſemper eodem modo. Quamobrem nemo mirabitur, quando viderit, nos de iis prolixe agere, quæ in Jure civili tradi ſolent, ac terminis ibidem receptis uti. Illud neceſſarium erat, ſiquidem inſtituto noſtro ſatisfacere velimus, quod ſufficienter indicavimus, cum primam Juris naturæ partem in lucem proferremus: hoc vero conſultum nobis viſum fuit, ut abſque ulla difficultate ſtatim pateret, quinam ſit Juris naturæ ac civilis conſenſus, quinam diſſenſus. Neque enim ideo ex Jure naturæ proſcribenda ſunt, quæ ad idem pertinent, quia in Jure civili tradi ſolent; quemadmodum nec ex Theologia naturali exceſſe jubemus, quæ ex principiis rationis de Deo demonſtrari poſſunt, quia in Theologia revelata inculcari ſolent. Nituntur Doctores Juris civilis autoritate Juris Romani & Legiſlatorum, quorum ſequi tenentur voluntatem, quemadmodum Theologi autoritate Scripturæ Sacræ, quam normam dogmatum ſuorum agnoſcunt, & librorum ſymbolicorum. Sed Philoſophus, qui in Mundo rationali domicilium ſuum habet, veritatum univerſalium nexum humano generi manifeſtat, ac ideo Jura ex intima hominis eſſentia atque natura ita deducit, ut pulcherrimus ille nexus, quo inter ſe cohærent, in apricum proferatur. Nihil adeo affirmat ſine ratione, nec admittit rationem niſi ex juribus anterioribus petitam, ita ut tandem omnium ratio ſufficiens in ipſa eſſentia ac natura hominum agnoſcatur. Diffuſum omnino eſt Jus naturæ, nec adeo arctis limitibus circumſcribitur, quemadmodum vulgo putatur. Agnoviſſe hoc videtur GROTIUS, vir acuminis minime vulgaris, eruditionis præclaræ ac modeſtiæ (qui virorum magnorum character eſt), ſingularis: cum enim opus eximium de Jure belli & pacis concluderet,

ret, in quo jus illud explicandum ſibi propoſuerat, quod inter populos plures & eorum Rectores intercedit (*a*) ſe non omnia dixiſſe monet, quæ dici poterant, ſed quod dictum ſatis ſit ad jacienda fundamenta, quibus ſi quis velit ſuperſtruere ſpecioſiora opera, adeo ſe invidentem non habiturum, ultro & gratiam relaturum. Nemo itaque jure conqueri poterit de operis noſtri prolixitate: quamvis enim fines Juris noſtri multum prorogare videamur, lubentiſſime tamen confitemur, nos non dicere omnia, quæ dici poterant, ſed quod dictum ſatis ſit, ut alii longius progreſſuri & magis abdita eruturi ex iis deducere valeant, quæ adhuc deſiderantur. Quemadmodum enim ea, quæ alii tradiderunt, nobis profuiſſe grati profitemur ad opus noſtrum condendum, ita quoque noſtra aliis profutura confidimus ad magis præclara dandum, nec adeo invidentes nos habebunt, ultro & gratiam iis referemus, qui ſemina a nobis ſparſa in aliorum hortis læte efflorescere non ſine voluptate contuemur, & quibus pro labore, quo aliis inſerviendo conſumimur, gratia major rependi nequit, quam ſi nos doceant, qui ante a nobis didicerant. Quodſi vero quidam fuerint adeo ſordido ingenio & mala mente præditi, ut, poſtquam ex noſtris profecerunt, os ad contumeliam præbentes ea cavillentur ac nos ſuggillent, ad gloriam, quam meritis in ſcientiam ſe conſequi poſſe deſperant, contemtus ac conviciorum via graſſantes; eorum me miſeret, quod ſe fideliter non didiciſſe artes palam faciant omnibus, cum mores ipſorum non fuerint emolliti, ſed feri manſerint. Ab iſtiuſmodi moribus ego ſemper abhorrui, qui grato adhuc animo proſequor (*b*) *Gemmam Friſium*, ex cujus libello de Arithmetica practica in prima pueritia regulas Arithmeticæ practicæ, ipſam etiam extractionem radicum, proprio Marte didici. Nemo igitur a me expectet, ut inſulſorum hominum boatu me ad rixandum de lana caprina compelli patiar, qui a propoſito tempus omne, quod adhuc ſupereſt, in opere cœpto continuando collocandi nun-

(*a*) Lib. 3. c. 25. §. 1. n. 1.
(*b*) Elem. Math. Tom. V. Commentat. de ſcriptis mathem. c. 2. §. 14.

nunquam deſiſtam. Qui meliora meis dare poſſunt, eos ut dent hortor, quemadmodum dudum hortatus ſum, gratam & mihi, & aliis operam præſtituri. Enimvero nec eſt, quod quis exiſtimet, quaſi numerus propoſitionum de iis, quæ tradidimus, minui potuiſſet. Patebit nimirum ſuo loco, quod nullam appoſuerimus, niſi quæ in aliis demonſtrandis uſui eſt: immo ſi attentam mentem ad legendum ſequentia afferre voluerit, haud difficulter animadvertet, ſubinde in ſequentibus demum demonſtranda eſſe, quæ ante tradi poterant, ne deſint demonſtrandi principia, ſiquidem vel eorum uſum in demonſtrandis ſequentibus prævidere potuiſſemus, vel circumſtantiæ præſentes eorum cogitationem animum ſubire ſiviſſent. In Pſychologia ſe parum verſatos probant, qui ſibi perſuadent facultatum inferiorum uſum libertati noſtræ totum ſubjectum eſſe, ut vel negligentiæ, vel hebetudini mentis tribuendum ſit, ſi qua de re non incidit cogitatio, cujus aliquo in loco propter uſum ſequentem non prævidendum mentio fieri poterat. Multis multa in poteſtate ſunt, ab aliis demum expectanda ex intervallo, modo de iis cogitandi non deeſſet occaſio. Abſit adeo, ut quis exiſtimet, ab alio dari non potuiſſe, quæ ab ipſo data ſunt, quaſi defeciſſent vires ſibi demum conceſſæ. Longe aliter ſentiunt viri magni & præclaris in ſcientiam meritis eminentes, quorum teſtimonia facile adduci poterant, ſi quis probationem exigeret. Notandum præterea eſt, nos in ſcribendo eorum etiam rationem habere, qui methodi analyticæ compotes fieri geſtiunt. His adeo artificia inveniendi ipſo opere veluti inſciis & aliud quaſi agendo inſtillare viſum eſt, ut adeo non excuſationem, ſed laudem, ſi quam habere vellemus, mererentur, quæ a ſciolis intempeſtivo carpendi pruritu atro carbone notantur, vel ab iis, qui animum huc non advertunt, ſuperflua putantur. In hac parte tertia Juris naturæ agitur de modo acquirendi dominium & jus proprium aliud quodcunque in genere derivativo, cum de modo idem acquirendi primitivo egerimus in parte ſecunda. Quoniam vero jus conſiſtit in potentia morali agendi, quæ nulli uſui eſt, niſi ſimul

adſit

adſit potentia agendi phyſica, in qua poſſeſſio conſiſtit; ideo quoque modus acquirendi poſſeſſionem una explicandus nobis fuit. Ad utrumque requiritur & actus dominium vel jus transferentis, & actus acquirentis. Actus igitur iſtos diſtincte explicare & cur translativi & acquiſitivi ſint demonſtrare debuimus. Retinuimus terminos artis, cujus jam ante indicavimus rationem & quod fecimus in ceteris quoque Philoſophiæ partibus & in ſequentibus obſervabimus, quemadmodum fieri debere ac utiliter fieri alibi jam oſtendimus (*a*). Enimvero jura & poſſeſſiones non ſemper ſtatim transferuntur, ſed frequentiſſime homines ad dandum vel faciendum ſeſe ſibi invicem obligant, ita ut actus in futurum promineant. Quamobrem modus, quo perfecte ſeſe ſibi invicem obligare poſſint, quam diſtinctiſſime evolvendus nobis fuit, & quomodo is vim ſuam ab obligatione naturali, quæ a lege naturæ venit, trahat oſtendendum erat. Ea de cauſa amplam inſtituimus de promiſſione tractationem, cum ex ea deſcendat obligatio dandi & faciendi externa atque perfecta. Nemo autem miretur, quod de promiſſionibus demonſtraverimus, quæ vulgo de pactis & contractibus tradi ſolent. Neque enim ſolum ex demonſtrationibus noſtris liquet, ſingula promiſſionibus convenire, quæ demonſtrantur; ſed & pactis ac contractibus, quorum hi ab iſtis naturaliter minime differunt, eadem non convenire, niſi quatenus promiſſionem continent & per eam actus obligatorii efficiuntur. Perficitur obligatio mutuo conſenſu ſufficienter declarato: cui fini cum inſerviat ſermo, officium quoque hominum circa ſermonem expendendum nobis erat, ut dilucide conſtaret, quid circa eum præcipiat lex naturæ, vel permittat, quid ex adverſo prohibeat. Intereſt humani generis, ut, quando ſeſe ſibi invicem obligant, certa ſit eorum, qui ſe obligant, fides. Quamobrem cum fides veritatem dictorum ſupponat, non erit tuta, niſi de hac tibi conſtiterit. Dictorum vero veritas, moralis ſcilicet, quæ verborum cum actibus internis exigit conſenſum, probari aliter nequit, quam per teſtem conſcientiam

(*a*) §. 147. Diſcurſ. prælimin.

aut Deum. Et hæc ratio nos impulit, ut in præſenti Tomo Juris naturæ de aſſeveratione quoque & jurejurando ageremus. Quoniam vero etiam contingere ſolet, ut dominus partem quandam vel particulam juris ſui in alterum transferat, vel in gratiam alterius eadem ſe privet; noſtrum quoque eſſe duximus in genere nonnulla tradere de modo conſtituendi alteri jus in re ſua. Denique cum jus certum acquirere nequeamus niſi a domino, difficilis vero, immo in plurimis, ſi non plerisque caſibus impoſſibilis eſt inſpectio, num a domino rem ſive corporalem, ſive incorporalem acceperis; dominium & jura cetera ab aliis acquiſita incerta evadunt ac in perpetuum incerta manerent, niſi præſumtionibus locum faceret ipſa lex naturæ: ultimo igitur loco egimus de derelictione præſumta, quæ quantum conveniat Juri naturæ clariſſime, niſi toti fallamur, evicimus, & quomodo inde naſcatur uſucapio & præſcriptio demonſtravimus, ut appareat, quid in ea ſit juris civilis, quid vero veniat ab æterna illa ac immutabili lege, a qua Gentibus recedere nefas eſt. Quemadmodum vero jus externum ab interno ſollicite ubivis diſcernimus, nec ea tantummodo docemus, quæ ad Juſtitiam externam ſpectant, verum etiam quæ virtuti materiam præbent in Moralibus ſuo tempore uſui futura; ita idem in præſenti quoque obſervavimus argumento, ne quod impune fit inter homines recte fieri putetur, nec ex peccato alieno alter ſentiat damnum, quod peccans tanquam pœnam promeritam ferre debebat. Equidem non diffiteor, opus de Jure Naturæ, quale animo concepimus, fore amplum atque diffuſum, ſiquidem cum mole illorum librorum comparetur, qui hactenus de Jure naturæ conſcripti publice proſtant; non tamen reprehendi poteſt prolixitas, quamdiu non demonſtretur, nos tradere a Jure naturæ aliena, aut quæ Juri omni penitus perſpiciendo nullam affundere poſſunt lucem. Juri naturæ eam tribuimus amplitudinem, quam revera habet, cum omnes omnino regat actiones hominum liberas, alias præcipiendo, alias permittendo, alias denique prohibendo, ita ut in Jure poſitivo nullus ne fingi quidem poſſit caſus,

qui

qui ex Jure noſtro ſuam non habeat definitionem. Nec hanc ignorare licet, quando Jus poſitivum ab ea in diverſum abit. Quoties enim Jus poſitivum dat licentiam agendi, Jus autem naturæ denegat Jus, vir juſtus agere non vult, quod impune fieri poteſt, ſiquidem jure ſuo hoc facere nequit conſcientiæ puritatem conſervaturus. Externa juſtitia permittit, ut a virtute diſcedatur: ſed interna juſtitia a virtutis tramite ne latum quidem unguem unquam recedere licet. Quæ juſtitia externa tanquam malum neceſſarium tolerantur, non tollunt ea, quæ virtutis ſunt, felicitatis unicum fundamentum. Hanc conſequendi medium præſcribit Jus naturæ, cujus adeo notitia ad illam conſequendam neceſſaria. Luculentius ea patebunt, quando theoriam naturalem Juris civilis ex jure naturali condendi, cujus jam aliquoties mentionem injecimus, demonſtraturi ſumus. Qui adeo judicium ſuum deproperando ſibimetipſis nocere noluerint, eos non mei, qui præcoces, immo iniquas aliorum cenſuras dudum contemnere didici, ſed ipſorummet gratia rogo, ut de opere noſtro non ſibi ſumant judicium, niſi toto conſpecto, ubi abſolutum fuerit: nullus enim dubito fore, ut aliter ſentiant, modo non obſtiterit mentis hebetudo, vel cœco affectuum impetu in transverſum agatur animus. Ego non aliud intendo, quam ut veritatis agnitione homines evadant juſti ac virtuoſi, cumque æterna iſta lex, quam explicandam mihi propoſui, me ad hoc obliget, ut, quicquid a me proficiſci poteſt, id lubentiſſime ad veritatis agnitionem conferam, ex eo, quod debeo, premium nullum expecto. Satis mihi erit, ſi aliis me acutioribus lucem quandam accenderim, qua uſi ad magis abdita penetrare, aut iis, quæ dedi, meliora pervidere valeant. Quodſi Deus vitam & vires eo usque conſervaverit, ut ad Artem inveniendi, qualem animo concepimus, pedem promovere detur; luculentiſſime me demonſtraturum confido, aliorum quoque errores, aut imperfecte ab aliis tradita haud raro neceſſaria eſſe, ut, quæ ad veritatem recta ducit, via pateat. Quamobrem ego iis etiam gratiam rependere ſoleo, qui errore ſuo viam ad veri-

ritatem liquidam mihi commonſtrant, ad quam ſine eo pervenire mihi non datum fuiſſet, nec ideo me iis acutiorem reputo, qui niſi ipſorum acumine adjutus eam videre potuiſſem. Paradoxa forſan hæc videbuntur nonnullis: aſt qui in Aſtronomia & Philoſophia naturali attentionem ſuam deſiderari non paſſi ſunt, nec principiorum pſychologicorum, per quæ patet facultatum noſtrarum uſus, ignorantia laborant, nihil a me dictum deprehendent, quod non multiplici documento probari poſſit. Non addo plura, quæ his magis paradoxa videri poterant, etſi ad redarguendam ſciolorum temeritatem conducant, quoniam ea capere non cujusvis eſt, hic autem loci pro dignitate doceri minime poſſunt. Halæ. d. VI. Aprilis. A. 1743.

EX ACTIS ERUDITORUM LIPSIENSIUM

Anni 1745. *pag.* 311. & *ſeqq.*

POſtquam Ill. Auctor in *Parte ſecunda* Juris Naturæ docuerat, quomodo rerum natura communium Dominium primitus acquiratur, & actiones liberæ hominum cœperint æquiparari rebus in Dominio exiſtentibus, & quænam ex Dominio deſcendant jura & obligationes; in *Parte tertia* nunc porro demonſtrat, quomodo Dominia & jura transferantur; ſeu ex ſubjecto uno in alterum deriventur, & obligationes ad dandum & faciendum contrahantur, ut actus in futurum promineant.

Cap. I. Agit igitur de modo acquirendi derivativo in genere, ubi oſtendit, ut jus quoddam proprium ex ſubjecto uno in alterum derivetur, ex parte una requiri translationem juris, ex parte altera acceptationem, ut adeo translatio juris actu fieri nequeat, niſi mutuo Domini ſeu transferentis, & ejus in quem transfertur ſeu accipientis, conſenſu. Dominium itaque ſive jus quodcunque proprium transfertur in accipientem, mutuo conſenſu ſufficienter declarato. Enimvero, cum jus omne non ſit niſi potentia moralis agendi, actu autem agere, ſeu Dominium aut jus ſuum exercere non poſſit, niſi is cui etiam competit potentia phyſica agendi; ideo neceſſe eſt ut res redigatur in eum ſtatum, quo accipienti competit potentia phyſica de eadem pro arbitrio diſponendi, conſequenter ut cum Dominio etiam acquiratur poſſeſſio. Actus ille, quo poſſeſſio transfertur, traditio eſt; quo ea acquiritur, apprehenſio. Pluribus igitur demonſtrat, quot modis res tam corporales, quam incorporales tradi atque apprehendi poſſint, ut earum acquiratur poſſeſſio. Ceterum cum non unus ſit modus, jus ſuum in alterum transferendi, vel in gratiam alterius idem recuſandi, ideo hic quoque agitur de ceſſione, remiſſione, renunciatione, & repudiatione juris. Poſtquam porro demonſtravit, quænam ſit hominum indigentia, Dominiis rerum introductis, inde deducit obligationem naturalem ad Dominia transferenda & operas communicandas, ſeu ad ſibi mutuo dandum & faciendum, prouti unuſquiſque re, vel opera alterius indiget, & jus res ab alio ſibi comparandi. Obligatio illa hanc habet reſtrictionem, niſi ipſe indigeas, & jus quoad res eandem reſtrictionem admittit, quoad operas vero, ſi tibi vacet. Adduntur deinde, quæ de communione poſitiva tenenda ſunt. Quoniam obligatio ad dandum, vel faciendum reſtringitur, intereſt autem hominum ut de eo, quod dandum, vel faciendum ſint certi; ideo neceſſe eſt ut unus alteri ſe obliget perfecte ad dandum vel faciendum, adigendus, ſi ipſum pœnituerit ſe obligaſſe. Autor itaque oſtendit, naturaliter homines ſeſe invicem ſibi perfecte obligare

non

non poſſe, niſi promittendo. Promiſſio enim ex officio, quod imperfecte debetur, efficit perfecte debitum, ut quod erat voluntatis, nunc fiat neceſſitatis, obligatione externa ad internam accedente. Quamobrem Noſter copioſe admodum de promiſſione agit, quam cum *Grotio* a nuda aſſertione, alteri quid præſtandi, & pollicitatione, diſtinguit. II. Quoniam vero demonſtrat, id contra promiſſorem pro vero habendum eſſe, quod ſufficienter indicaverit; ne quid prætermittatur, quod ſupponi poterat, modo ſeſe alteri obligandi per promiſſionem amplam præmittit tractationem de obligatione circa ſermonem. Ceterum ubivis non modo ea tradit, quæ ad jus externum ſpectant, verum etiam quæ juris interni ac officii ſunt, atque oſtendit, quomodo jus externum ex interno, tanquam fonte ſuo derivetur, adeoque ſine officiis concipi non poſſit, ut non modo intelligatur quando non recte fiat, quod impune fit inter homines, verum etiam puritatem conſcientiæ conſervare valeamus, quando jus poſitivum concedit licentiam agendi, lex autem naturæ jus denegat. III. Demonſtrat autem de promiſſione, quæ vulgo de contractibus & pactis in genere traduntur, quod non ſolum ſingula promiſſionibus conveniunt, prouti ex demonſtrationibus Auctoris liquet, verum etiam pactis & contractibus, quorum hi ab iſtis naturaliter minime differunt, eadem non conveniunt, niſi quatenus promiſſionem continent, & per hanc actus obligatorii efficiuntur. Quemadmodum vero in *Parte prima* explicavit differentiam, quæ inter obligationem internam & externam intercedit; ita in præſenti ea demonſtrat, quæ ad differentiam juris interni & externi, quorum illud ex obligatione interna, hoc ex externa oritur, intimius inſpiciendam faciunt. Oſtendit autem jus externum omne derivari ex libertate naturali, & ex promiſſione naſci jus perfectum promiſſarii; ubi etiam impunitatem agendi a jure diſcernit, & inter alia demonſtrat, abuſum libertatis naturalis alteri promittendum non dare jus, ſed tantummodo impunitatem agendi, atque dominum re ſua abuti non jure, ſed tantummodo impune. Maximi quoque in modo ſeſe alteri obligandi momenti eſt, ut notetur, quamvis non minus promiſſor in promittendo, quam promiſſarius in acceptando, uti debeat animo deliberato, de animo tamen deliberato promiſſoris non ſtatuendum eſſe promiſſario, nec de promiſſarii animo deliberato promiſſori, ut adeo in paciſcendo is ex utraque parte ſupponatur, niſi contrarium aliunde manifeſtum ſit. Qui omnia probe perſpexit, quæ de promiſſione demonſtrantur, ei vix quidquam circa pacta occurrere poteſt, quod ſit obſcurum. Conſiſtunt enim ea in conventionibus, quibus in eadem, vel eaſdem promiſſiones, conſentitur, & firmitatem ſuam habent a promiſſionibus quas continent, quatenus non niſi per has efficiuntur obligatoria. Quamobrem, cum quæ valide promittuntur, de iis etiam valide paciſcantur, & quomodo valide promittitur, eodem etiam modo valida fiat pactio; breviter Noſter ſaltem de pactis agit, ceteris ex iis ſupplendis, quæ de promiſſionibus larga manu tradidit. IV. Agit in primis de differentia inter pacta perſonalia & realia, temporalia & æterna, de pactorum renovatione & diſſolutione, & quando ab iis recedere liceat. Enimvero intereſt humani generis, ut quando ſeſe ſibi invicem obligant, certa ſit eorum, qui ſe obligant, fides. Quamobrem, cum fides veritatem dictorum ſupponat, non

erit

erit tuta, niſi de hac tibi conſtiterit. Dictorum vero veritas moralis, quæ verborum cum actibus internis conſenſum exigit, probari aliter nequit quam per teſtem conſcientiam, aut Deum. Illud fit aſſeverando, hoc autem jurando. Quamobrem Noſter de aſſeveratione quoque & jurejurando agit, non modo in genere, verum etiam in ſpecie de juramento aſſertorio & promiſſorio. Cum juramento agnationem quandam habet obteſtatio & conteſtatio. Noſter igitur de utraque etiam demonſtrat, quid lex naturæ præcipiat ac prohibeat. Et quoniam vota quoque affinitatem quandam cum juramento habere videntur, utut procul ab eo diſtent, tractationem de votis ſubnectit. V. Dominus alteri etiam jus quoddam in re ſua conſtituere poteſt. Quia hoc modo acquiritur jus quoddam, quod in nos derivatur ab alio; nec ſilentio prætereundus erat modus, alteri conſtituendi jus quoddam in re ſua ſive poſitivum, ſive privativum, in genere, ſpecialibus *Parti quintæ* reſervatis, quæ haud ita pridem lucem publicam adſpexit. VI. Denique cum jus certum acquirere nequeamus, niſi a Domino, difficilis vero, immo plerumque impoſſibilis, ſit inſpectio, num a domino rem ſive corporalem, ſive incorporalem acceperimus, dominium & jura cetera, ab aliis acquiſita, incerta evadunt, ac in perpetuum incerta manerent, niſi præſumtionibus locum faceret ipſa lex naturæ. Demonſtravimus itaque, quandonam derelictio rei ſuæ recte præſumatur, & quod ex derelictione præſumta dominium acquiratur; quam dominii acquiſitionem uſucapionem appellarunt Romani, ſicuti amiſſionem juris ex conſenſu præſumto præſcriptionem; ut adeo in uſucapione tam dominium, quam jus vindicandi præſcribatur. Quænam inter uſucapionem & præſcriptionem civilem & naturalem intercedat differentia, ex iis quæ demonſtrata ſunt, clariſſime perſpicitur. Monet autem Ill. Auctor in Præfatione diffuſum admodum eſſe jus naturæ, nec adeo arctis limitibus circumſcribi, quemadmodum vulgo putatur. Quamvis enim fines hujus juris multum protogaverit; lubentiſſime tamen confitetur, ſe non dicere omnia, quæ dici poterant, ſed quod dictum ſatis ſit, ut alii, longius progreſſuri, ea magis abdita eruturi, ex iis deducere valeant, quæ adhuc deſiderantur. Sicuti enim ea, quæ alii tradiderunt, ſibi profuiſſe, gratus profitetur, ad opus ſuum condendum; ita quoque ſua aliis profutura confidit, ad magis præclara dandum, quos ſe non invidentem habituros aſſeverat, quippe cui pro labore, qui aliis inſerviendo conſumatur, gratia major rependi nequeat, quam ſi ipſum doceant, qui ante ab ipſo didicerant. Se iis etiam rependere gratiam ſolere, qui errore ſuo viam ad veritatem liquidam ipſi commonſtrarint, ad quam ſine eo pervenire ſibi datum non fuiſſet, nec ideo ſe iis acutiorem reputare qui niſi ipſorum acumine adjutus eam videre non potuiſſet. Se igitur minus probare mores illorum, qui cum ex iis, quæ ipſe dedit, profecerunt, os ad contumeliam præbentes, ea cavillantur, ac Auctorem ſugillant, contemtus ac conviciorum via ad gloriam graſſantes, neque ſe paſſurum, ut ad rixandum ab iis compellatur, cum a propoſito, tempus omne, quod adhuc ſupereſt, in opere cœpto continuando collocandi, nunquam deſiſtere, firmiter decreverit. Quoniam vero has Philoſophi, qui in mundo rationali domicilium ſuum habet, partes eſſe agnoſcit, ut veritatum univerſalium nexum humano generi mani-

maniſeſtet, ac ideo jura ex intima hominis eſſentia atque natura ita deducat, ut pulcherrimus ille nexus, quo inter ſe cohærent, in apricum proferatur; ideo nihil affirmat ſine ratione, nec rationem admittit, niſi ex juribus anterioribus petitam, ita ut tandem omnium ratio ſufficiens in ipſa eſſentia atque natura hominum agnoſcatur, & ex ſyſtemate ipſius genuinæ jurium rationes legales addici poſſint. Hæc de *Parte tertia* dicta ſufficiant; *de quarta & quinta* proxime dicemus.

QUÆ-

QUÆSTIONES
DE JURE NATURALI
CUM ANIMADVERSIONIBUS IN OPUS
CL. WOLFII
DE JURE NATURÆ
AUCTORE
DOM. DE WATTEL
Ex Gallico in Latinum converſæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

CL. DE WATTEL
QUÆSTIONES
DE JURE NATURALI
ET ANIMADVERSIONES
IN CL. WOLFIUM
DE JURE NATURÆ
PARS TERTIA.

§. 209.

DEfinitio ſecunda ænigmatis non omnino recta videtur: ænigmatis enim elegantia pendet non tam ab ambiguo, quam ab acumine indicii, quo divinatio redditur difficilis. *De ænigmate.*

§. 319. *Virtutem ſimulare non licet.*

Demonſtrationes quatuor hujus propoſitionis tantum pervincunt, qui fingit virtutem non habere virtutem, quod manifeſtum; fingitur enim quod abeſt. Si auctor hoc intelligit, non eſſe ſatis oſtentare virtutem, recte monet; ſed hoc ſenſu propoſitio eadem erit cum 326. Patet, qui virtutem fingit officio non fungi. Sed fictio per ſe ipſa licet ne? Addit ne turpitudinem ullam virtutis abſentiæ? Hæc alia eſt quæſtio diſcutienda. *Utrum fas fingere virtutem.*

E. C. virtutis habitu nondum acquiſito licet ne virtutem fingere, tanquam ſi eſſet acquiſita? Fictio hæc fortaſſe per ſe indifferens eſt, toleranda, aut improbanda, pro mente fingentis. E. C. Homo animo parum

caſtus cum matronis honeſtis colloquitur; laudatur pudor & caſtitas: quæſitus, quid ſentiat, laudat & ipſe; & ita virtutem oſtendit, qua caret: quis eum culpare auſit? Verum gratis conſulto & ultro affectare oſtentationem virtutis, probrum eſt. Hinc exaggeranda eſt turpitudo hujus hypocriſis paulo vehementius, quam hic & §. 322. hypocrita enim longius diſtat a virtute quam fingit, quam qui ea tantum caret; dum enim virtutis ſecurus vivit quam non ignorat, ſed perſona tantum veſtit, manifeſto indicat ſe virtutem nihili revera facere, ſed res ſancta prorſus abuti ut homines fallat. Vide animadverſiones meas ad §. 1163. part. 1.

§. 451. *Furioſi in lucidis intervallis valide promittere poſſunt.*

Utrum furioſus contrahere poſſit in lucidis intervallis.

Auctor, dum hoc affirmat, eo ſe ducitur, quod furioſi in lucidis intervallis uſu rationis potiuntur, quod verum eſt. Sed ne errori locus ſit in praxi, cavendum, ut uſus hic rationis in lucidis intervallis ſit integer & plenus præcipue de eo, quod contrahit, aut jubet. Furioſus enim in momentis lucidis agi poteſt impulſu in furore recepto qui impulſus ipſi erit offendiculo. E. g. ſi conſtet in turbatione mentis eum ſumpſiſſe odium in hæredes ſuos legitimos, nunquid in momento lucido illos jure abdicare poterit? Minime vero: hæc enim abdicatio manifeſte oritur a mentis turbatione; quare facultas contrahendi in lucidis intervallis concedenda non eſt, niſi cum cautione magna.

§. 513. *Si præſtatio annua nulli certo diei alligatur, fit autem in uſum anni cujuslibet; quod anno primo præſtandum, ſtatim exigi poteſt, conſequenter promiſſio quoad annum primum in diem non fit.*

Quando præſtatio annua promiſſa primum exigi poſſit.

Propoſitionis hujus enunciatio obſcura eſt. Si auctor intelligi vult, ut veriſimile eſt, initium anni numerari poſſe a momento promiſſionis, cum illo ſentio: ſin autem, præſtationem anni primi exigi poſſe ſtatim aut quolibet anni die, injuſtum judico. Quoties me daturum promitto in diem, integrum hunc diem liberum habeo; nec ante diei finem exigi poteſt juxta Wolfium ipſum. Si ergo annuum quid promitto, cur non totus annus liber erit, tam primus, quam alius quilibet? Nihilominus contingere poſſet, ut propoſitio vera ſit, etiam hoc ſenſu, E. g. cum promiſſio facta eſt ad alendum hominem, qui inopia rerum omnium laborat, primi anni præſtatio exigi poteſt, quandocunque opus eſt.

§. 522.

§. 522. ***Si conditio poteſtativa fuerit ex parte promiſſoris, is eam protrahere non debet eo fine, ne quod promiſſum, præſtare teneatur. Et*** **§. 523.** ***Multo minus efficere debet, ne extet conditio eodem fine.***

Hæc meo judicio vera non ſunt, niſi in promiſſis titulo oneroſo factis, ideſt cum quadam permutatione. E. C. ſi gratuito ſpoponderim cuidam magnam argenti ſummam, ſi quando Lutetiam peterem; poſtea vero ſentiam, ſummam hanc temere promiſſam, magno damno mihi futuram ſi ſolvam, nonne iter hoc omittere poſſum, ne promiſſum præſtem? Dum quid gratuito polliceor ſub aliqua conditione, quæ in poteſtate mea eſt, non obſcure indico, me liberum eſſe velle, utrum præſtem, an non. Sed quia minus decet voluntatem mutare, fateor ſine gravi cauſa conditionem non eſſe eludendam.

Quod ſi ille cui promittitur aliquid, egit, aut dedit quidpiam promiſſi gratia, qui conditionem eludit, ur eludat promiſſum, decipit, & fidem migrat; id enim ea fiducia factum eſt, ut conditio per te impleretur. *Præbe mihi operam tuam hodie; cras referam meam, ſi hic adero.* Hujus promiſſi certe ea vis eſt, me tibi operam meam præſtiturum, modo nihil obſtet me cras hic adeſſe, quare decipio & fraudo, ſi abeo ſponte, ne te adjuvem, & promiſſio mea tibi fraudi & damno fuiſſet. Nihilominus actio tibi non eſt in me, ſive jus me cogendi, *jus belli* in ſtatu naturæ, in me enim eſt judicium utrum remaneam an abeam; tu ipſe ita judicaſti: injuſta & inhoneſta eſt actio, quin tibi jus perfectum in me tribuat.

Obligatio ejus qui promiſit ſub conditione, quæ eſt in ipſius poteſtate.

Ut recte judicari poſſint quæſtiones ubi error potuit dare cauſam promiſſo, recte diſtinguendum eſt, quid ſit *dare cauſam* promiſſo. Wolfius ait (§.570.) errorem dare cauſam promiſſo quoties eſt unica cauſa promiſſi: mallem, quoties eſt fundamentum promiſſionis, ſive cauſa princeps cujus gratia promiſſio edita eſt. Ita quoties error eſt verum fundamentum promiſſionis, illam reddit nullam; deeſt enim verus conſenſus: at cum error afficit tantum partem aliquam, quin ſit cauſa vera promiſſionis, nullam non reddit.

De promiſſis quibus error cauſam dedit.

Hic animadverti velim, promiſſiones omnes mere gratuitas, tacitam hanc conditionem involvere: *promitto, modo ſis amicus, aut ſaltem beneficio meo indignus non ſponte evadas.* Promitto cuidam centum nummos intra dies quindecim; hoc intervallo ſeſe mihi inimicum patefacit; promiſſo non teneor.

§. 658. ***Si quis promittit quod ſuum non eſt, ſuum tamen fieri poſſe putat, quia ſuum fieri poſſe putat; is ad tantundem tibi obligatur, quantum impendendum erat, ut ſuum fieret, ſiquidem ſuum fieri nequit.***

Hæc ſententia non ſemper juſta videtur; nam in exemplo allato poſ-

Promiſſio rei quam

putamus acquirere poſſe. ſum aliquas ob cauſas tibi librum promittere qui tibi convenit, quod non cadit in pretium ejus. Quare in quæſtionibus hiſce judicandis, quoad promiſſiones gratuitas mens promiſſoris penitus ſpectanda. Si enim præcipuum ejus ſtudium erat beneficium conferre; tunc pretium præbere debet, ſi rem non poteſt. Adhuc recte ita judicat Auctor de promiſſione, mercedis & gratiæ titulo facta, tunc enim rei pretium principem locum tenet.

§. 681. *Si quis rem tibi promiſſam denuo alteri promittit; promiſſio prior valet, non poſterior.*

Utrum res uni promiſſa alteri valide promitti poſſit. Fortaſſe non inutile ſit animadvertere, promiſſionem primam re ipſa implendam, poſteriorem vero compenſatione quadam, ſi hæc poſterior eſt ex eo genere, ubi rei pretium ſpectatur; quod ſi res ipſa ſpectetur, promiſſio nulla eſt, quia adimpleri non poteſt.

§. 697. *Si unus Correorum promittendi vel debendi, promiſſionem totam ſolus adimplet, vel debitum totum ſolus ſolvit; ceteri correi ipſi in nihil tenentur.*

Utrum debitores in ſolidum teneantur ei qui ſolum ſolvit. Hoc judicium neque probatur in demonſtratione, neque omnino rectum videtur. Quid enim? ſi plures ſimul ſummam quandam acceperunt, unuſquiſque autem partem ſuam, ſeque ſimul debitores conſtituerunt, nonne ſolvere debent quiſque partem ſuam? Nonne vero ſi unus totum ſolvit, huic tacite pro rata ſunt obligati? Num quia creditor ſingulos non convenit, jure totum onus ſolvendi in ſocium refundere poſſunt? Cum ſeſe obligarunt in ſolidum, hoc ipſo teſtati ſunt ſinguli ſe confidere uteris adeo, ut ab ipſis reſtitutionem ſibi factum iri non dubitarent, ſi eorum nomine coacti ſolverent.

Verum, ubi plures ſimul promiſerint ſe facturos beneficii nomine tantum, ac ſine mercede aliquid, Auctor recte judicat; quia tum ſinguli cenſentur ſponte facturi quod promittunt, ſi adigantur. Qui promiſſum recepit, poteſt ex illis quemlibet convenire; ſed promiſſo effecto ceteri ſoluti ſunt ab omni vinculo. Vide Wolfium T. 4. §. 817.

§. 773. *Si temeritas promiſſoris fuerit manifeſta; promiſſionem acceptare non debemus, & ubi poſt acceptationem ea nobis demum innoteſcit, ea remittenda, niſi tua interſit promiſſum eſſe. Idem tenendum de promiſſione animo indeliberato facta.*

De obligatione ejus qui temere promiſit. Hanc ipſam exceptionem *niſi tua interſit* circumſcribere vellem; nam ſi effectio hujuſmodi promiſſionis magno damno futura eſſet promiſſori mihi

mihi vero cedenti parvo, cedere decet.

Ceterum etiamſi concedam, renunciandum eſſe promiſſioni, quam deprehendimus temere factam, tamen rationem Auctoris non probo; neque enim verum eſt, nos hujuſmodi promiſſum urgentes peccati alterius participes fieri. Peccatum jam admiſſum eſt ſtatim, ac temere promiſſum fuit, neque me tangit, qui promiſſionem temere conceptam ignorabam. Peccatum hoc eſt promittere ſine cauſa & ſine ratione; non efficere quod promiſſum (modo liceat): culpa revocari nequit; tantum dubitatur de iis, quæ conſequuntur nempe promittentis damna. Et aliorum quidem damna vitare & cavere debemus, modo ſine gravi damno noſtro, neque abuti debemus aliorum culpa ut noxam patiatur, ſi quidem nos immunes ſimus. Ex hoc principio res judicanda eſt. Si Auctoris principium valeret, excluſa eſſet exceptio *niſi ſua interſit promiſſum eſſe*, nam ſi ut ait n. 2. urgere promiſſum, poſtquam temerarium compertum eſt, idem eſt, ac illud acceptare, adeoque peccato alterius concurrere; renunciandum eſt, etiamſi damnum inde in nos redundaret; neque enim fas eſt concurrere peccato alterius ad damnum vitandum. Promiſit mihi quis iter ſe ſuſcepturum negotiorum meorum cauſa; poſtea comperio ipſum relicturum filios, & alia officia ipſi ſacra: nefas erit me abuti promiſſo illius, etiamſi damnum inde in me conſequatur. Cur? quia promiſſio ejus non ſolum temeraria eſt, ſed etiam improba. Non licet ei promiſſum implere: ego vero effectui conſentiens, cum ipſo peccarem.

§. 823. *Si pactum tacite renovatur* (*id eſt* §. 820. Si quid ab uno contrahentium pacto temporario finito fiat, quod nonniſi vi ejuſdem fieri poterat, altero conſcio, nec diſſentiente) *per tantum temporis intervallum valet, quanto antea duraverat.*

De duratione pacti tacite renovati.

Videtur mihi pactum potius protendi & continuari ad libitum, ideſt quandiu paciſcenti utrique videbitur, niſi forte rei natura, vel uſus; vel conſuetudo finem non præſcribat. Loco tibi domum ad ſexennium, pretio annuo. Exacto ſexennio pergis eam habitare, me tacente: pactum hoc non renovatur niſi ad annum. Silentium enim noſtrum hoc tantum ſignificat, te domum meam occupare eodem pretio annuo cui conſentio; ſed nihil de ſpatio temporis.

§. 872. *Si jurans moraliter falſum loquitur, mentitur, perfidus eſt, & gloriam divinam obſcurat.*

Turpitudo perjurii.

Jusjurandum validiſſimum pignus eſt bonæ fidei quam quis oſtentat, cum enim Deum teſtem appellet verum eſſe quod ait, ſeque divinæ ultioni devoveat, ſi falſum jurat, profitetur ſe optime intelligere quanto pere verax eſſe debeat, ſive affirmat quid ſive promittit, ergo ſummum præ-

ſtat,

ſtat, ut decipiat pejerando, ergo perfidus eſt perfidia maxima. Ad hæc, execrando ſacrilegio nomen divinum polluit. Quid magis execrandum, quam auguſto hoc nomine abuti ad homines facilius decipiendos?

§. 935. *Perjurium eſt perfidia hominum maxima.*

Contradictio cum §. 766.

Ait Auctor in demonſtratione: *jurans fidem ſuam ei adſtringit cui juratο promittit. Quamobrem ſi contrarium ejus facit, quod ſe facturum promiſit.* Conſequenter etiam, ſi non facit quod ſe facturum promiſit; *perfidus eſt.* Hæc verba *conſequenter &c.* non conveniunt cum definitione perfidiæ §. 766. *Perfidia eſt vitium faciendi contrarium ejus, ad quod faciendum quis fidem ſuam adſtrinxit:* & in adnotatione, *ad perfidiam præciſe requiritur, ut quis fidem ſuam adſtrinxerit, & hoc non obſtante ſciens ac volens contrarium ejus facit, ad quod faciendum tenebatur.* Differunt inter ſe, non facere quod promiſeris, & contrarium facere. Aliquid ergo immutandum aut in verbis demonſtrationis allatæ, aut in definitione perfidiæ, ut hæc duo loca conveniant. Mutatio forte adhibenda definitioni. Wolfius diſtinguit inter *perfidiam, & fidem fallere:* ad perfidiam autem conſtituendam ait duo requiri. 1. ut quis fidem ſuam adſtrinxerit, quod plus eſt ſimplici *pollicitatione*. 2. ut contrarium fiat ejus, quod ita promiſſum eſt. Verum in ſenſu communi alterutra harum conditionum perfidiam conſtituit, ita ut, qui fidem ſuam adſtrinxit ſe aliquid facturum, non faciens perfidus ſit; & qui ſimplici pollicitatione profeſſus eſt, *fidem dedit*, ſe facturum, deinde contrarium prorſus agat perfidus item ſit. Ex. gr. Pollicitus eſt aliquis (quod vulgo de ſimplici pollicitatione intelligitur) ſe magnati me commendaturum. Si negligit commendare fidem fallit; ſin contra etiam agit, de me male apud magnatem dicendo, perfidus eſt. Aſt ſi fidem dedit, ſeque vera promiſſione obſtrinxit commendaturum, ac deſerit, adhuc perfidus eſt.

Tamen juxta Wolfium ſecundus ex his tribus caſibus, ubi quis pollicitus commendationem, contra adhibet vituperationem, non eſt perfidia. Appellat hoc *contra fidem datam agere* §. 769. *Si pollicitator contrarium ejus facit quod ſe facturum pollicitus eſt contra fidem datam agit, ſed perfidus non eſt.* Videtur ergo ex Wolfii principiis ille tantum perfidus eſſe poſſe, qui *fidem adſtrinxit.* Sed perfidus erit ſive facere negligat quod promiſerat, ſive etiam contrarium agat: hæc autem major perfidia erit. Videtur hæc eſſe Wolfii mens, quam indicat etiam §. 766. cum ait, eſſe *diverſos perfidiæ gradus.* Ergo adhuc nonnihil mutanda *perfidiæ* definitio, dicendumque: *perfidus eſt, qui contrarium ejus facit, vel qui id non facit, ad quod faciendum fidem ſuam adſtrinxerat.*

§. 958. *Falſiloquium licitum juramento confirmare non licet.*

Non licere jusjurandum, ubi veritas in.

Hoc longe veriſſimum: ſed animadverto demonſtrationem §. 884. a qua pendet hæc propoſitio, continere neſcio quid ſupervacanei & confuſi. Auctor ait: *jurans ſeſe obligat ad verum alteri dicendum* §. 880. Ita: ſed ſeſe obligat

obligat obligatione interna, ut patet ex eadem demonſtratione. Ergo non poterat Auctor concludere: *conſequenter in eum transfert jus a ſe exigendi, ut verum dicat*. Neque enim jus transfertur niſi contracta obligatione externa. Ceterum hæc concluſio in *eum transfert jus* &c. ſupervacanea eſt. Satis enim erat dicere, pacto juramento pactum etiam intelligi, eum, qui jurat, vera dicturum. Poterat etiam hæc propoſitio 884. probari ex prop. 881. *Jurans fidem ſuam adſtringit ei cui jurat de veritate dictorum*. Etenim cum juramentum ſit vinculum ſacrum vera dicendi, quoties juramentum offers te vera dicere, eo ipſo obſtringeris, te vera dicturum; pactum inis, quod ſervare debes. Ita abſoluta erit demonſtratio propoſitionis hujus 958. Tamen adhuc animadvertendum, ex his principiis demonſtrationem non eſſe univerſalem: accidere enim poteſt, ut quis jurejurando confirmet quæ ſunt veritati contraria, quin alter eum roget, aut conſentiat; hic autem nullum pactum intervenit veracitatis. Quare ut hujuſmodi ſententia recte ac generatim conſtituatur, confugiendum eſt ad officia noſtra erga Deum, quæ nomen ejus polluere vetant. Neque enim licet auguſtum hoc nomen adhibere, niſi temporibus graviſſimis ad veritatem confirmandam. *nocenter abſconditur.*

§. 964. *Vovens ſe Deo obligat ad votum ſervandum.*

Nonne promiſſio acceptanda eſt, ut obliget? Quod in adnot. objicitur, etſi reſponſo quodam ſolutum, adhuc turbat. Fortaſſe igitur rectius conſiderabitur votum tanquam decretum firmum hoc aut illud quod laudabile ſit agendi, aut officium debitum alacrius implendi, cui decreto addita forma voti vim addit ac memoriam replicat ac mentem arctius obſtringit. Ipſa Philoſophia plura hujuſmodi artificia ſuppetere poteſt quibus utamur ad officia noſtra ſtudioſius implenda. *De votis.*

§. 1018. *Quod in caſu dubio, quando certitudo haberi nequit, præſumitur, id in negotiis humanis contra eum pro vero habetur contra quem ſit præſumptio.*

Hæc regula, qua Auctor jus *Uſucapionis*, & *Præſcriptionis* confirmat, admitti non debet, niſi explicetur. Nam quoties quis ultro præſumtioni anſam dedit, jure quidem pro vero ſumere poſſumus contra ipſum quod præſumimus, & vis præſumptionis tota manet, quoties per ipſum ſtetit, ne verum cognoſceretur. Alias, ubi quis verum patefacere non potuit, etſi præſumptio certitudinis locum tenere debeat ubi hæc locum non habet; tamen effectus præſumptionis durare non debet, niſi quandiu durat incertitudo: veritate producta ceſſare debet. E. g. aliquid occupo quod præſumere poſ- *De præſumptione.*

ſum

ſum a domino relictum, eo legitime fruor dum res ita manent; ac ipſe dominus legitimus habeor; at ſi verus dominus prodit, repetit rem, probatque a ſe nunquam relictam; lex naturæ jubet, ut reſtituam. Fortaſſe reſtituere fructus non teneor, niſi forte id, quo ditior ſum factus, bono alieno; poſſeſſio enim legitima erat, præſumptione legitima durante: præterea ſi dominus indirecte præſumptioni rei relictæ anſam dederit culpa ſua; ego autem ab ipſo in errorem inductus, dum illam occupo, alterius boni acquiſitionem neglexerim, repetere non poteſt ſine compenſatione. Si inquam *indirecte* præſumptioni anſam dederit; nam ſi ultro dedit, cum veritati patefaciendæ nihil obſtaret, præſumptionis effectus manet totus, ut ſtatim dixi. At ſi omni culpa vacat, nullum damnum pati debet; & ipſe potius illud pati debeo, cujus periculo me objeci præſumptionem vanam ſecutus. Regula æquitatis poſtulare videtur hic, unumquemque de facto ſuo teneri.

Hiſce conſtitutis, conſequitur etiam ſi res occupata legitima præſumptione non amplius extet apud me, cum dominus illam detegit, neque ego permutationis loco quidquam acceperim, me nihil reſtituere teneri, quia nihil alieni poſſideo, & jure alienare potui quod ita occupaveram. Præſumptio enim vim habet veritatis, quoties hæc agnoſci nequit.

Eadem de cauſa, ſi rem vendidi, tantum reddam quod percepi. Emptor autem jure externo non tenetur reſtituere, neque adigi poteſt; quia gaudet legitimo titulo, jure enim poteram vendere, quamdiu præſumptio perſtabat.

Sunt hæc dictata legis naturalis in hoc genere, & hactenus tantum de Jure Naturæ externo; ſed jus internum, lex conſcientiæ, ſecus ſtatuit. Hoc tenendum, non licere nobis diteſcere damno alterius ideoque quamlibet legitima & fundata fuerit præſumptio, qua bonum alterius quod relictum credebam occupavi; quotieſcumque reſcire datur, meritam domini ipſius hanc non fuiſſe, ut relinqueret, teneri me jure interno reſtituere. Fingamus hominem ita bonum, ut te rem ſuam poſſidere paſſus eſſet ſine querela, neque unquam reclamaſſet, idque diu; tandem rem repetere, & oſtendere, nunquam ſe ſerio rem reliquiſſe: per fidem ſuam liceret ne tibi abuti ſtultitia ejus, ut ſpoliis ipſius diteſceres? Quis probus non ſe obſtrictum ad reſtitutionem fateatur? Tamen, ſi quid damni paſſurus fuiſſet, aut propter expenſas aut propter aliarum rerum neglectum, aut alio quocumque modo, certe jus eſſet compenſationis. Valet hoc de poſſeſſore bonæ fidei, qui culpa domini poſſidet.

Ceterum etſi ita de principio *uſucapionis & præſcriptionis* ſentio, tamen non diffiteor aliter juſte ſtatui poſſe in ſocietate, ad tuendam tranquillitatem, dominia firmanda, fundorum perfectionem promovendam &c. ſed hoc eſt *Jus civile*.

§. 1057.

§. 1057. *Si quis multo tempore rem alienam poſſidet, dominus . . . . præſumitur . . . . ſi res mobilis fuerit, deſperare, quod ad notitiam ſuam ſit perventurum, quiuam eam poſſideat.*

Nunquam mihi videtur quiſquam ſpem omnem amittere poſſe rem ſuam recuperandi; fortaſſe expectat a fortuna, ut ſæpe contingit. Quare præſumi nequit, ſi res pretii eſt ſatis magni, dominum jus ſuum proprietatis abieciſſe. *De præſumptione rei & ſpei derelictæ.*

§. 1059. *Præſumptio derelictionis rei adverſus negligentem in inquirendo in res ſuas eſt præſumptio abſoluta, ſeu juris, & de jure.*

Demonſtratio videtur parallogiſmus. Patet Auctorem propoſitionem hanc: *lex naturæ dat jus ad eos actus quibus dominiorum certitudo obtineri nequit*, ita accipere ac ſi lex naturæ jus tribueret in omnia, quæ nobis dominium & proprietatem ſartam tectamque reddere poſſunt. At nullam aliam vim habet, niſi legem naturalem tribuere jus cognoſcendi, quæ poſſidemus nos juſte & legitime poſſidere: & hoc tantum ſenſu demonſtratur §. 1048. & ſeqq.

Præſens autem propoſitio 1059. per ſe vera eſt, quoad jus externum, etiam naturale; neque enim tranquillitas hominum patitur, nec proinde lex naturalis, hominem in præſenti caſu in poſſeſſione ſua ab ullo turbari. At jus internum, nonne ſecus præcipit? Poſſeſſor certe omni ſtudio curare debet ut certus ſit de juſtitia dominii ſui §. 1049. Si ergo deprehendat, bonum quod poſſidet, legitime pertinere ad alterum, qui ob incuriam illud amiſit, poterit ne tuta conſcientia illud retinere? Nonne ergo reſtituere debet, modo dominus indiligens ipſi compenſet damnum, ſi quod accepit ex incuria ejus ex. gr. jacturam temporis, aut operam, quam utiliter alio in negotio collocare potuiſſet? *Utrum præſumptio derelictionis in negligentem ſit juris & de jure.*

Finem imponam animadverſionibus meis aperiendo fundamentum legitimum *præſcriptionis*, quod eſt hujuſmodi. Dominus reclamans, diuturno ſilentio uſus, rem eo duxit, ut cum poſſeſſor bonæ fidei manifeſte amplius probare nequeat jus ſuum proprietatis, qui reclamat proferre poſſit argumenta ſpecioſa, etſi falſa, quibus tamen ob diuturnitatem temporis elapſi, defunctis ex. gr. optimis teſtibus, reſpondere non poſſit. Quare poſſeſſor bonæ fidei non tenetur periculum ſubire examinis, in quo juſtitia ſuccumbere poſſet, vitio reclamantis; ideoque jure & tuta conſcientia retinere poteſt *uſucapionem*, præcipue ſi nitatur præſumptione abſoluta, ſeu *juris & de jure*, quamdiu certa & manifeſta indicia ipſum erroris ſui, ſi quis ſubeſt, non moneant. Exemplum rem illuſtrabit. *Cajus* fundum vendit *Tito*, teſtibus *Mævio* & *Sempronio*, atque in Indiam proficiſcitur. Titus autem interea perit cum titulo ſuo, neque hæredes relinquit. Teſtes ipſi obeunt, antequam quiſquam contractum cum Gajo initum reſciat; hic in patriam re-

reddit, ibi moratur, neque fundum jam alienum repetit; iterumque diſcedit: anni viginti labuntur, nec quidquam novi. Interim *Lucas* qui agrum colebat illum ſibi ſumit & adſcribit utpote derelictum. *Cajus* autem certior factus, redit, fundumque ſuum repetit, nonne poſt mortem emptoris & duorum teſtium facile demonſtrare poteſt ſpecie, atque exterius, ſe eſſe verum & unum fundi dominum? Nec tamen eſt. Modo fingamus fundum ſuum non vendidiſſe *Tito*; maneantque reliquæ partes hujus fabulæ; nonne *Cajus* dignus eſt qui a judicio repellatur? Acquiſitor autem ſive primus occupans, tenetur ne ſubire cum judicio periculum injuſti damni, quod ipſi Cajus inferre poſſet multa vera aut falſa ex ignoto tempore commiſcendo? Quare ſi quis periculum ſubire debet amittendi ſui, is eſt, qui eſt in culpa. Contra ſi poſſeſſor certo ſciret, bonum, quod *uſucapione* poſſidet, ſpectare ad alterum, qui illud reclamat, neque illud vere dereliquit, judico jure interno & conſcientia eum ad reſtitutionem teneri.

FINIS TERTIÆ PARTIS.

JURIS

Digitized by Google

JURIS NATURÆ

PARS TERTIA.

De Modo Acquirendi Dominium & Jus quodcunque, præſertim in re alterius, derivativo.

CAPUT PRIMUM.

De Modo acquirendi derivativo in genere.

§. 1.

Quomodo dominium vel jus proprium acquiratur ab alio.

S*I quis acquirere debet dominium vel jus quoddam proprium ab alio, neceſſe eſt ut hic dominium vel jus iſtud in ipſum transferat.* Quoniam enim nemini dominium rei ſuæ (§. 338. *part. 2 Jur. nat.*), nec jus quodcunque aliud acquiſitum invito auferri poteſt (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*); dominium vel jus, quod alteri competit, tuum fieri nequit, niſi is velit, ut jus ſibi competens ſit tuum, conſequenter verbis vel factis hanc voluntatem, quæ ſibi eſt, ſufficienter declaret. Enimvero qui verbis vel factis ſufficienter declarat, ſe velle ut jus, quod ſibi competit, ſit alterius, jus ſuum in alterum transfert (§. 661. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem ſi tu acquirere debes dominium, vel jus quoddam proprium ab alio, neceſſe eſt ut hic dominium vel jus iſtud in te transferat.

Ex. gr. Si liber meus eſt, tuus fieri nequit, niſi ego velim, ut ſit tuus, adeoque ſufficienter indicem, me hoc velle, conſequenter niſi ego dominium ejus in te transfero (§. 661. *p. 2. Jur. nat.*). Similiter mihi competit jus re mea utendi (§. 136. *part. 2. Jur. nat.*), nec pati teneor, ut tu eadem me invito utaris (§. 121. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem ſi tibi competere debet jus eadem utendi, neceſſe eſt, ut ego velim, tibi eſſe debere jus re mea utendi, conſequenter jus utendi in te transferam (§. 661. *part. 2. Jur. nat.*).

§. 2.

Acceptatio quid ſit.

Accipere vel *acceptare* dicimur, quod ab altero offertur, ſi verbis vel factis (ſub quibus etiam non facta comprehenduntur) ſufficienter declaramus, quod dari vel fieri velimus, quod alter ſe dare vel fieri velle ſufficienter verbis vel factis declarat.

Digitized by Google

Ex. gr. Si dicis, te mihi dare velle nummum aureum, & ego ſufficienter indico me velle, ut des, munus hoc acceptare dicor; ſeu me nummum accipere velle dicendus ſum.

§. 3.

Voluntatis expreſſæ & tacitæ differentia.

Voluntas expreſſa dicitur, quæ verbis ſufficienter declaratur; *tacita* vero, quæ ex factis vel non factis, aut alio quocunque modo colligitur.

Ita expreſſa voluntas eſt, quando dicis, te mihi nummum aureum, quem porrigis, dare: tacita vero, ſi rogo ut des, & tu mihi ſilens eundem porrigis.

§. 4.

An voluntas tacita ſit præſumta & contra.

Quoniam voluntas præſumta probabiliter ex quibuſdam indiciis colligitur (§. 245. *part.* 2. *Jur. nat.*), voluntas vero, quæ verbis non declaratur, ſed aliunde quocunque modo colligitur, tacita eſt (§. 3.); *omnis voluntas præſumta tacita eſt*. Quoniam tamen voluntas, quæ verbis non declaratur, ſed aliunde colligitur, non minus certo, quam probabiliter colligi poteſt, voluntas vero præſumta non eſt, quæ certo colligitur (§. 245. *part.* 2. *Jur. nat.*); *voluntas tacita omnis non eſt præſumta*.

§. 5.

Noluntas expreſſa & tacita quænam ſit.

Similiter *Noluntas expreſſa* eſt, quæ verbis ſufficienter declaratur; *tacita* vero, quæ aliunde colligitur.

Ita expreſſa noluntas eſt. ſi quæris ex me, an nummum aureum, quem manu tenes, tibi dare velim, & ego reſpondeo, quod non; aſt ſi eundem capio & ſepono, noluntas tacita eſt.

§. 6.

An noluntas præſumta ſit tacita & contra.

Patet vero eodem prorſus, quo ante (§. 4.), modo, *noluntatem omnem præſumtam eſſe tacitam*, ſed *non* ex adverſo *noluntatem omnem tacitam eſſe præſumtam*.

Vulgo noluntas tacita ſub tacita voluntate quemadmodum non factum ſub facto comprehenditur.

§. 7.

Acceptatio ad translationem dominii vel juris proprii requiſita,

Dominium vel jus quoddam proprium tsansferri nequit niſi in acceptantem. Qui enim dominium vel jus quoddam in alterum transfert, is verbis vel factis declarat, ſe velle, ut dominium vel jus quodcunque ſibi competens ſit alterius (§. 661. *part.* 2, *Jur. nat.*). Quodſi ergo alterius fieri debet, neceſſe eſt, ut velit id eſſe ſuum, conſequenter ut alter jus ſuum in ſe transferat (§ *cit.*). Etenim ſi vel maxime ponamus, jus quoddam proprium, veluti dominium rei, in te transferri ſola voluntate transferentis, quamvis ipſe id habere nolis; dum non vis, id ſtatim derelinquere dicendus fores (§. 249. *part.* 2. *Jur. nat.*), adeoque dominus eſſe deſineres, dum eſſe incipis (§. 250. *part.* 2. *Jur. nat.*): Quod utique abſurdum. Quamobrem ſi jus, quod alter in te transferre vult, actu transferri debet, neceſſe eſt ut verbis vel factis ſufficienter declares, te velle ut hoc faciat, ſeu ut jus, quod ipſi competebat, ſit tuum. Qui vero voluntatem ſuam hoc modo declarat, jus, quod ſibi offertur, acceptat (§. 2.). Patet itaque dominium vel jus quoddam proprium transferri non poſſe niſi in acceptantem.

Do-

Dominium rerum communium, quamprimum fiunt propriæ, occupando acquiritur (§. 175. *part. 2. Jur nat*). Sed ad occupationem non ſufficit actus, quo res redigitur in eum ſtatum, ut tua eſſe poſſit; verum etiam requiritur actus, quo declaras te velle, ut tua ſit (§. 174. *p. 2. Jur. nat.*). In modo acquirendi derivativo, qui, quando res non ſunt amplius communes, ſed propriæ, in locum occupationis, tanquam originarii modi acquirendi ſuccedit, translationis actus ſuccedit in locum illius, quo res reducitur in eum ſtatum; ut tua eſſe poſſit; actus vero acceptationis in locum iſtius, quo animus rem ſibi habendi declaratur. Sine acceptatione adeo non intelligitur actualis dominii translatio, quemadmodum ſine animo rem ſibi habendi non concipitur occupatio, ſeu originaria dominii acquiſitio. Dominus adeo rei, quæ eſt alterius, nemo efficitur niſi & domini, & propria voluntate: neutra ſola ſufficit, ut dominium vel jus quoddam proprium acquiratur ab alio.

§. 8.

Acceptatio expreſſa eſt, quæ fit voluntate expreſſa: *tacita* vero, quæ voluntate tacita abſolvitur, ac *præſumta* denique, quæ voluntate nititur præſumta.

Acceptationis diviſio.

Nimirum quia voluntas diverſis modis declarari, vel etiam præſumi poteſt, voluntas alia expreſſa, alia tacita, alia denique præſumta eſt (§. 3. *huj.* & §. 245. *part. 2 Jur. nat.*). Quamobrem cum acceptatio in declaratione voluntatis conſiſtat (§. 2.), ipſa quoque in expreſſam & tacitam ſubdividitur, ac tacitæ quædam ſpecies præſumta habetur.

§. 9.

Ad actualem translationem dominii vel juris cujuſdam requiritur domini, & perſonæ, in quam dominium ſive jus transfertur, conſenſus. Etenim qui dominium vel jus quoddam in alterum transfert, ſufficienter ſignificat ſe velle, ut dominium vel jus ſibi competens alteri competat (§. 661. *part. 1. Jur. nat.*). Et acceptans, in quem transfertur (§. 7.), ſufficienter declarat ſe velle, ut ſibi competat dominium vel jus, quod competit domino (§. 2.), conſequenter dominus & perſona, in quam dominium ſive jus quoddam transfertur, idem fieri volunt. Quoniam itaque conſentit, qui vult ut hoc fiat, quod fieri vult alter (§. 658. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ad actualem dominii vel juris cujuſdam translationem omnino requiritur domini & perſonæ, in quam dominium ſive jus transfertur, conſenſus.

Conſenſus ad actualem translationem juris requiſitus.

Nimirum ad translationem dominii vel juris cujuſdam requiruntur duæ perſonæ, una, quæ dominium vel jus transfert, altera, in quam transfertur. Utraque in translationem conſentire debet. Quicquid igitur ab altero acquiritur, voluntate alterius tibi volenti acquiritur. Quamdiu pars altera non conſentit, nulla fieri intelligitur translatio.

§. 10.

Si quis petit a domino, ut dominium vel jus quoddam in ſe transferat, & dominus petenti annuit; acceptatio præcedit: ſi vero dominus ſua ſponte offert translationem dominii vel juris cujuſdam ſui in non petentem, & hic in translationem conſentit, acceptatio ſequitur voluntatem domini jus ſuum transferendi. Etenim cum acceptatione declaretur, nos velle ut ab altero dominium vel jus in nos transferatur (§. 2.); ſi hoc fieri a domino petimus, petito annuenti jam conſtat, nos translationem velle, conſequenter non opus eſt, ut denuo voluntatem noſtram eidem declaremus. Quamobrem acceptatio in hoc caſu præcedit voluntatem domini jus ſuum in nos transferendi. *Quod erat unum.*

Quando acceptatio præcedat, quando ſequatur voluntatem domini jus transferendi.

Si vero dominus ſua ſponte nobis offert translationem dominii vel juris, & nos eandem acceptamus, per ſe patet acceptationem ſequi voluntatem domini jus ſuum in nos transferendi. *Quod erat alterum.*

Digitized by Google

Quoniam ad actualem dominii translationem acceptatio requiritur (§. 7.); ne de translatione facta dubium oriri poſſit, probe omnino notandum eſt, poſſe etiam acceptationem præcedere voluntatem domini dominium vel jus in alium transferendi.

§. 11.

Modus dominii vel juris transferendi unde definiatur.

A domini unice voluntate pendet, quomodo dominium ſive jus quoddam ſuum in alterum transferre velit. Etenim domino competit jus de re ſua diſponendi, prout ſibi viſum fuerit (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*), atque eodem jure excludit ceteros omnes (§. 120. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum ipſi competat jus rem ſuam alienandi, conſequenter dominium transferendi (§. 662. *part. 2. Jur. nat.*), tam pure, quam ſub quacunque conditione (§. 673. *part. 2. Jur. nat.*), tum etiam jus quoddam ad actum quemcunque vi dominii ſibi licitum ſive pure, ſive conditionate in alium transferendi (§. 678, *part. 2. Jur. nat.*); ab ipſius unice voluntate pendet, quomodo dominium ſive jus quoddam ſuum in alterum transferre velit.

Nimirum ſtandum eſt aliis voluntate domini, ne libertas naturalis violetur (§. 156. *p. 1. Jur. nat.*); non tamen ideo voluntas domini nulla regitur lege, cum libertas non tollat obligationem naturalem (§. 159. *part. 1. Jur. nat.*) deturque non minus rerum ſuarum abuſus (§. 168. *part. 2 Jur nat.*), quam uſus (§. 167. *part. 2. Jur. nat.*), etſi ille non impediendus (§. 169. *part. 2. Jur nat.*), hoc tamen non obſtante lege naturali prohibitus (§. 170. *part. 2. Jur. nat.*). Unde non omnis alienatio ſeu dominii ac juris proprii translatio laudatur, quocunque tandem modo fiat, ſeu haud raro cenſuram incurrit, nec immerito quippe obligationi cuidam naturali adverſa, veluti prudentiæ, cui ſtudere debemus (§. 258. *part. 1. Jur. nat.*), vel virtuti cuidam morali contraria. Alienatio autem non tam in ſe reprehenditur, quam quatenus labem quandam aliunde contrahit.

§. 12.

Item in quem & utrum translatio fieri debeat.

A domini voluntate unice pendet, in quem dominium vel quoddam jus ſuum transferre velit, & utrum transferre velit, nec ne. Etenim vi libertatis naturalis domino permittendum, ut in determinandis actionibus ſuis, conſequenter etiam in translatione dominii vel juris cujuſdam ſui ſuum ſequatur judicium (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*), nec ulli competit jus exigendi rationem, cur hoc faciat vel non faciat, quamdiu nil facit contra jus ipſius (§. 158. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem a domini voluntate unice pendet, in quem dominium vel jus quoddam ſuum transferre velit, & utrum transferre velit, nec ne.

Translatio dominii & juris cujuſcunque ſui in ſe licita (§. 665. *part. 2. Jur. nat.*): vi autem libertatis naturalis in ea a voluntate cujuſcunque alterius independens (§. 152. *part. 1. Jur. nat.*), nec in alienando dependet dominus niſi a ſeipſo (§. 153. *part. 1. Jur. natur.*). Quamobrem ipſius eſt, quid ſtatuere velit, utrum rem alienare velit, nec ne, utrum in te transferre velit jus, vel in alium: ſit ita, quod voluntas ipſius regatur lege naturali, cui ſi adverſatur, peccat, tibi tamen injuriam minime facit (§. 440. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 859. *part. 1 Jur. nat.*). Nemo vero naturaliter judex eſt conſcientiæ alterius (§. 257. *part. 1 Jur. nat.*). Jus puniendi eum, qui te læſit, tibi quidem competit (§. 1061. *part. 1. Jur. nat.*), vel eum, qui injuria te affecit (§. 549. *part. 2. Jur. nat.*); ſed nullum competere poteſt jus puniendi peccantem abſque ulla in ipſum injuria, cum tale jus foret libertati naturali adverſum (§. 158. *part. 1 Jur. nat.*).

§. 13.

An nuda voluntate domini transferatur dominium

Quoniam a voluntate domini unice pendet, utrum dominium, vel jus quoddam proprium transferre velit, nec ne, & in quem transferre velit (§. 12.); *quamprimum dominus ſufficienter ſignificat, ſe dominium vel jus quoddam ſibi proprium in alium transferre, accipiens nuda voluntate ipſius ſtatim efficitur dominus rei corporalis, vel incorporalis, quæ transfertur*, conſequenter *nuda domini volun-*

luntate ſufficienter declarata transfertur dominium vel jus quoddam proprium in accipientem.

vel jus in accipientem.

Hine ipſi JЃti Romani, etſi ad actualem dominii translationem requiſiverint rei traditionem, non diffitentur §.40. I. de rer.div. & l.9. ff. de acquir.rer.domin. nihil tam conveniens eſſe æquitati naturali; quam voluntatem domini volentis rem ſuam in alium transferre ratam haberi. Quænam vero de traditione tenenda ſint, de iis mox diſpicieimus.

§. 14.

Similiter quoniam a domini unice voluntate pendet; quomodo dominium vel jus quoddam ſuum in alterum transferre velit (§. 11.); *dominium, quod in alterum transfert, transferre poteſt vel cum exclusione ſui, vel ſine exclusione ſui,* conſequenter *velut proprium* (§.2.*part*. 2.*Jur.nat.*), *vel tanquam ſibi cum ipſo commune* (§. *cit.*).

Translatio juris vel tanquam communis, vel tanquam proprii.

Ex. gr. Si alteri concedis perpetuum uſum Bibliothecæ tuæ, qui tecum in iiſdem ædibus habitat, ſed ea conditione, ut idem tibi quoque pateat; jus utendi libris tuis in alterum transfers tanquam commune. Similiter ſi alteri concedis jus hauriendi aquas ex puteo tuo, ſed ea conditione, ut ipſe quoque tibi reſerves jus aquas ex eodem hauriendi; jus hauriendi aquas ex puteo in eum transfers tanquam commune. Enimvero ſi uſum Bibliothecæ tuæ alteri ea lege concedis, ut ſolus libris utatur, tu vero nullo uti velis, niſi eo concedente, jus utendi libris tuis in alterum transfers tanquam proprium.

§. 15.

Per eandem rationem conſtat, *te jus in alterum transferre poſſe vel ea lege, ut ipſum eodem rurſus excludere poſſis; vel ne ipſum rurſus eodem excludere valeas.*

Translatio juris in alterum vel cum, vel ſine retentione juris alterum iſto rurſus excludendi.

Ita uſum Bibliothecæ tuæ vel ea lege alteri concedere potes, ut tibi integrum maneat eundem ipſi non amplius concedendi, vel ita ut tibi integrum non ſit uſu ejuſdem eum rurſus excludere, ſeu non pati, ne eadem amplius utatur. Et idem eodem modo intelligitur de jure aquas ex puteo tuo hauriendi, quod alteri concedis.

§. 16.

Quando dominium in alterum vel jus quoddam ea lege transfertur, ut tibi integrum ſit eodem rurſus alterum excludere; *translatio fieri* dicitur *revocabiliter:* aſt *irrevocabiliter*, quando tibi non reſervas jus eum, in quem dominium ſive jus quoddam tranſtuliſti, eodem rurſus excludendi. Atque hinc intelligitur, quodnam *jus* ſit *revocabile*, quodnam vero *irrevocabile*. Patet etiam, *te in alterum jus quoddam transferre poſſe vel revocabiliter, vel irrevocabiliter.*

Translatio juris revocabiliter & irrevocabiliter.

Exempla paulo ante allata (*not.*§.15.), propoſitionem ac definitionem præſentem illuſtrant.

§. 17.

Immo quia a voluntate domini unice pendet, quomodo *jus ſuum* in alterum transferre velit (§.11.), iſtud *transferre poteſt vel in perſonam immediate, vel in rem quandam alienam, ita ut idem competat poſſeſſori ejus, quicunque fuerit, ſeu ut ſpectetur tanquam jus rei inhærens.*

Translatio juris in perſonam vel in rem facta.

Ita jus hauriendi aquas ex puteo meo vel transferre poſſum in te, vel in ædes tuas, ita ut hoc jus competat cuicunque iſtarum poſſeſſori & ædibus inhæreat quaſi tanquam ſuo ſubjecto.

§. 18.

§. 18.

Tranſlatio dominii vel juris in perſonam certam & incertam.

Ex eadem ratione patet, *dominium vel jus quoddam transferri poſſe vel in perſonam certam*, veluti Sempronium, Cajum, Mævium, *vel incertam, ut rei fiat dominus, vel jus acquirat, qui voluerit ac potuerit.*

Prius obtinet in emtione venditione, ubi emtor efficitur dominus rei emtæ voluntate venditoris; poſterius in derelictione rei ſuæ, ubi voluntate domini rem ſuam derelinquentis efficitur dominus, qui eam occupaverit, etſi dominus rem ſuam derelinquens ignoret, quinam eandem occupaturus ſit: quod exemplum extat §. 46. I. de rer. div. Poterat etiam tranſlatio juris in rem alienam facta ad tranſlationem ejus in perſonam incertam reduci; quatenus tranſlatio fit in poſſeſſorem rei, quicunque tandem is fuerit (§. 17.). Rectius tamen hæc abiſta diſtinguitur, quatenus tranſlatio juris in perſonam incertam fit immediate, tranſlatio vero in rem alienam nonniſi ea mediante perſonæ competere poteſt, ita ut non perſonæ, ſed rei, quemadmodum modo diximus (*not. §. cit.*), inhæreat tanquam ſubjecto.

§. 19.

Quando jus poſſidendi transferatur.

Cum dominio etiam transfertur jus poſſidendi. Jus enim poſſidendi non competit niſi domino (§. 157. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem jus poſſidendi a dominio inſeparabile eſt. Quodſi ergo in te transfero dominium rei meæ, in te etiam transfero jus poſſidendi, conſequenter jus poſſidendi cum ipſo dominio transfertur.

Patet adeo ad transferendum jus poſſidendi nullum peculiarem actum requiri: ſed quam primum nuda voluntate domini ſufficienter ſignificata accipiens efficitur dominus (§. 13.); jus quoque rem ſive corporalem, ſive incorporalem poſſidendi eidem competit.

§. 20.

Quomodo transferatur.

Quoniam jus poſſidendi cum ipſo dominio transfertur (§. 19.), dominium vero transfertur in accipientem nuda domini voluntate (§. 13.); *nuda etiam domini voluntate transfertur in accipientem jus poſſidendi.*

§. 21.

An actus, quo dominium transfertur, ſufficiat ad acquirendam poſſeſſionem.

Eodem actu, quo dominium transfertur in accipientem, non acquiritur poſſeſſio. Etenim dominium transfertur in accipientem nuda domini voluntate ſufficienter indicata (§. 13.). Enimvero nemo non videt, hoc modo nondum rem ipſam redigi in eum ſtatum, quo phyſice poſſibile eſt, ut de ea pro arbitrio diſponere poſſis inſtar domini. Quoniam itaque ſi poſſeſſionem acquirere velis, res poſſidenda facto quodam redigi debet in eum ſtatum, quo phyſice poſſibile eſt, ut de ea pro arbitrio tuo diſponas inſtar domini (§. 762. *p. 1. Jur. nat.*); evidens omnino eſt, eodem actu, quo dominium transfertur in accipientem, non acquiri poſſeſſionem.

Ex. gr. Si ego dico, vendo tibi librum meum, quem Sempronio commodavi, pro tanto pretio, & tu tantum pretium mihi ſolvis; qui meus erat liber, jam tuus eſt, nondum tamen eundem poſſides. Eo igitur actu, quo dominium in te translatum fuit, nondum acquiſiviſti poſſeſſionem. Nimirum dominium tanquam jus conſiſtit in facultate morali de re pro arbitrio tuo diſponendi (§. 156. *part. 1. Phil. pract. univ.* & 118. *part. 2. Jur. nat.*): ut vero dominium, tanquam jus tuum, exercere poſſis, neceſſe eſt ut etiam potentiam ſeu facultatem phyſicam habeas de re tua pro arbitrio tuo diſponendi (§. 649. *part. 2. Jur. natur.*), conſequenter ut rem poſſideas (§. 740. *part 2. Jur. nat.*). Quatenus igitur dominium habes, de re pro arbitrio tuo diſponere liceat: quatenus vero eam poſſideas, quod vi dominii licet, actu facere potes. Atque hinc evidentiſſime patet, cur dominium & poſſeſſio a ſe invicem diſtinguantur, & a ſe invicem ſeparari poſſint.

§. 22.

§. 22.

Quoniam adeo dominus non eodem actu te facit poſſeſſorem rei, quæ ante fuerat ſua, quo facit dominum (§. 21.); *alius adhuc requiritur actus, quo poſſeſſio in te transfertur ac a te acquiritur, præter eum, quo dominium in te fuit translatum.*

Actus peculiaris ad transferendam poſſeſſionem requiſitus.

Exemplum, quod modo dedimus (*not.* §. 21.), idem manifeſto loquitur. Etenim ſi tibi vendo librum, quem Sempronio commodavi, liber jam tuus eſt, etiamſi Sempronius adhuc eundem habeat: tu tamen eum non poſſides, niſi vel penes te ſit, vel tua voluntate maneat apud Sempronium tanquam tuus. Nemo non intelligit, non nudam voluntatem domini, ut res ſit tua, efficere, ut liber, quem habet Sempronius, veniat in tuam poteſtatem, vel apud Sempronium tua voluntate adhuc maneat tanquam tuus, a te ipſi commodatus. Ergo præter illum voluntatis actum, quo dominus in te transfert dominium, aliis omnino requiritur, quo efficitur, ut liber vel ſit penes te, vel Sempronius eum tanquam a te ſibi commodatum retineat, quamdiu tibi viſum fuerit.

§. 23.

Actus, quo transfertur poſſeſſio, dicitur *Traditio*: qui ſi poſitivus fuerit, *Traditionem poſitivam* appellare lubet; ſi negativus, *negativam* vocamus. Traditio negativa etiam *quaſi traditio* appellari ſolet. Communiter dicitur *res tradi*, & proprie quidem res corporalis, præſertim mobilis; res vero incorporales *quaſi tradi* dicuntur. Enimvero cum traditione rei efficiaris poſſeſſor ejus, adeoque actus, quo res traditur, is ipſe eſt, quo poſſeſſio transfertur; hunc ipſum actum Traditionem appellare lubet.

Traditio quid ſit & quotuplex.

Non addimus exempla; quibus definitiones præſentes illuſtrantur, ne nobis anticipanda veniant, quæ in iis, quæ mox ſequuntur, demonſtranda ſunt.

§. 24.

Quoniam qui rem poſſidere debet, eam in poteſtate ſua habeat neceſſe eſt (§. 463. *part. 2. Jur. nat.*), traditio vero actus eſt, quo poſſeſſio in aliquem transfertur (§. 23.); *traditio conſiſtit in actu, quo res redigitur in poteſtatem ejus, in quem dominium translatum eſt*, conſequenter *in eum ſtatum, quo huic potentia phyſica eſt de re jam ſua pro arbitrio ſuo diſponendi* (§. 461. *part. 2. Jur. nat.*).

In quo traditio conſiſtat.

§. 25.

Si dominus tibi rem tradit eo animo, ut ſit tua; in te accipientem dominium & poſſeſſio ſimul transfertur, non tamen uno eodemque actu, ſed duplici actu concurrente. Si enim dominus rem tibi tradit eo animo, ut ſit tua; neceſſe eſt ut voluntatem ſuam ſufficienter ſignificet. Quamobrem cum nuda voluntate dominium transferatur in te accipientem (§. 13.); eo ipſo dominium rei, quam tibi tradit, in te transfertur. Enimvero traditione rei transfertur quoque poſſeſſio (§. 23.). Patet itaque ſi dominus tibi rem tradit eo animo, ut ſit tua; in te accipientem dominium & poſſeſſionem ſimul transferri. *Quod erat primum.*

Quando poſſeſſio & dominium ſimul transferatur.

Enimvero quoniam dominium in te transfertur, quatenus dominus declarat traditionem rei fieri eo animo, ut res ſit tua; poſſeſſio autem in te transfertur, quatenus hac declaratione facta res actu traditur, *per demonſtrata*; dominium & poſſeſſio non transfertur uno eodemque actu. *Quod erat ſecundum.*

Denique quia dominus animum, quo rem tibi tradit, declarat, dum eam tradit, *per demonſtrata*; porro liquet, dominium & poſſeſſionem transferri duplici actu concurrente. *Quod erat tertium.*

Hæc

Digitized by Google

Hæc propoſitio probe notanda & accurate perpendenda, ne dubium moveat definitio traditionis paulo ante data (§ 23.). JCti Romani traditionem inter modos acquirendi dominium, qui ſunt juris naturalis, ſeu, ut ipſi loqui amant, juris gentium, referunt §. 41. Inſt. de rer. div. unde Doctores inferunt, jure Romano ad translationem dominii requiri traditionem, præſertim cum l. 20. C. de pact. dicatur, traditionibus & uſucapionibus, non nudis pactis dominia rerum transferri. Negat *Grotius* de J. B & P. l. 2. c. 6. ad dominium transferendum jure naturali requiri traditionem, & hine l. 2. cap 8. §. 25. infert, traditionem non eſſe modum transferendi dominium de jure naturali. Enimvero vi propoſitionis præſentis patet, poſſe etiam traditione naturaliter transferri dominium, quatenus eidem ineſt ſignificatio voluntatis dominii transferendi antea nondum declaratæ, ad dominii autem translationem per ſe non requiri traditionem, qua opus eſt ad transferendam poſſeſſionem. Et hoc reſpectu etiam traditio inter modos acquirendi dominium de jure naturali referri poteſt, etſi negetur hoc jure ſine traditione dominium, transferri non poſſe. Diverſa enim ſunt per traditionem a domino factam transferri poſſe dominium, & abſque traditione dominium transferri non poſſe, ſeu eam ad omnem dominii translationem eſſe abſolute neceſſariam: id quod nec JCtis Romanis viſum, qui non uno in caſu translationem dominii fieri admittunt de jure etiam civili, quemadmodum jam annotavit *Grotius* lib. 2. c. 7. §. 25. Etſi autem concedatur, de jure etiam naturali eo, quem præſens propoſitio explicat, modo dominium transferri poſſe; non tamen ideo in Jus naturæ recipi poteſt definitio traditionis, quam dedit *Struvius* in Juriſprudentia Romano-Germanica forenſi lib. 2. tit. 1. §. 57. quod ſit actus, quo dominium ab eo, qui habet poteſtatem & animum quid transferendi, in alium accipientem transfertur: cum nemo non agnoſcat, traditionem non eſſe niſi actum, quo res redigitur in poteſtatem alterius, ut ipſi competat potentia phyſica de eadem pro arbitrio ſuo diſponendi; conſequenter ſi traditur ei, in quem dominium jam translatum fuit, vel eo ipſo momento, quo traditur, transfertur, eſſe actum, quo poſſeſſio transfertur. Unde patet ratio definitionis noſtræ, quam de traditione paulo ante (§. 23.) dedimus. Quod alias jam monuimus, hic denuo inculcamus, in Jure naturæ opus eſſe acumine ſubtili ad diſtinguenda ea, quæ diverſa ſunt, ne ea confundendo in errores & contradictiones inextricabiles incidamus. Et quamvis vocabuli ſignificatus vulgaris admodum reſtrictus ſit, ita ut traditio non dicatur niſi de re mobili, quam a porrigente accipit alter; in ſcientiis tamen dudum receptum eſt ac recipi debet, ut ad formandos conceptus univerſales terminis artis, qui ex communi ſermone deſumuntur, tribuatur ſignificatus quidam generalis, qui particulari in communi ſermone uſitato ineſt &, ſicubi opus fuerit, per fictiones; quæ ſunt in numero toleranter verorum, extenditur, ut omnem univerſalitatem conſequatur, quam habere poteſt.

§. 26.

An dominium transferri poſſit a domino rem non poſſidente.

Dominus, qui rem non poſſidet, hoc tamen non obſtante dominium ſuum transferre poteſt in alium. Quando enim dominus poſſeſſionem amittit, non tamen ideo dominium amittit (§. 257. *part. 2. Jur. nat.*), ſed idem adhuc animo retinet (§. 258. *part. 2. Jur. nat.*), conſequenter dominium habet, etiamſi rem non poſſideat. Quamobrem cum dominium iu accipientem nuda domini voluntate transferatur (§. 13.), & eodem actu, quo dominium transfertur, ab accipiente etiam acquiratur dominium (§. 21.), hoc non obſtante, quod rem ſuam non poſſideat dominus, dominium tamen ſuum in alium transferre poteſt.

Ponamus Sempronium poſſidere librum furto tibi ſublatum. Cum adhuc ſis dominus (§. 522. *part. 2. Jur nat.*) & Sempronius tibi eum reſtituere debeat (§ 523. *part. 2. Jur. nat.*), immo ubi reſtituere nolit, tibi competat jus eundem vindicandi (§. 544. *part. 2 Jur. nat.*); nil ſane obſtat, quo minus dominium in Mævium transferas, ut adeo liber, quem Sempronius poſſidet, jam ſit Mævii, huic reſtituendus, & in caſu reſtitutionis denegatæ ab eodem vindicandus.

§. 27.

Quomodo res mobilis tradatur.

Si res mobilis manu porrigitur ab eo, qui dominium transfert, & ab altero manu apprehenditur, in quem dominium fuit translatum, vel eo ipſo momento transfertur; eidem ab illo traditur, vel brevius: *ſi transferens dominium rem mobilem manu porrigit & accipiens eandem manu apprehendit, res mobilis traditur.* Etenim ſi transferens dominium rem mobilem manu porrigit & accipiens eandem manu apprehendit, res mobilis in eum redigitur ſtatum, quo accipiens

po-

potentiam phyſicam habet de ea, tanquam re ſua, pro arbitrio ſuo diſponendi. Quamobrem cum in hoc actu traditio conſiſtat (§. 24); res mobilis traditur, ſi qui dominium transfert rem mobilem manu porrigit & accipiens eandem manu apprehendit.

Communi ſermone tradere non ſignificat niſi rem manu porrigere, ut ab altero manu apprehendatur. Atque adeo proprie loquendo traditio non eſt niſi rerum mobilium. Enimvero quando dominus, qui dominium rei ſuæ in alterum transfert, rem tradit eo fine, ut alter in quem jus ſuum transtulit, eandem poſſideat, cum ſine poſſeſſione re ſua uti non poſſit, dominia vero uſus gratia introducta ſint (§. 115. *part. 2. Jur nat.*); ubi res mobilis a domino traditur ei, in quem dominium transtulit, traditio fit actus, quo poſſeſſio transfertur. Quoniam vero etiam res immobiles & incorporales in dominio ſunt, & eorum dominium non minus transfertur, quam mobilium; ex vocabulo communis ſermonis efficitur terminus artis, qui non minus de rebus immobilibus & incorporalibus, quam de mobilibus uſurpari poteſt. Atque adeo vocabulo tribuitur ſignificatus quidam generalis, qui ineſt traditioni rei mobilis de manu in manum factæ poſſeſſionis transferendæ gratia. Unde reſultat traditionis definitio, quam paulo ante dedimus (§. 23.).

§. 28.

Res certa dicitur, quæ ſufficienter quomodocunque indigitatur, ut ab aliis ſui ſimilibus diſtingui poſſit: quo eodem ſenſu, *Perſonam* quoque *certam* dicimus & jam diximus in ſuperioribus (§. 18.). Unde etiam patet, quænam *res* & *perſona incerta* dicenda ſit. *Res certa & perſona certa ac incerta quænam dicatur.*

Ex. gr. Si dico, ædes meas tibi do, quæ ſitæ ſunt in platea hoc nomine indigitari ſolita inter ædes Caji & Sempronii, res, quam tibi do, certa eſt. Immo ſi ædes proprias ipſemet inhabito, & dico, me tibi legare ædes meas, quas inhabito, vernaculo ſermone mein Wohnhaus; res, quam lego, non minus certa eſt. Similiter ſi rem mobilem, quam tibi vendo, oculis tuis uſurpandam exhibeo, vel librum in repoſitorio collocatum digito demonſtro; res in utroque caſu certa eſt. Notandum vero in re indigitanda, ut ſit certa, non adeo ſcrupuloſe eſſe inquirendum, ne ſuperflua admittantur, quemadmodum ex definitionibus ea cauſare jubentur. Ceſſat enim hic ratio; quæ ex definitionibus ſuperflua arcet, tanquam principiis ad recte ratiocinandum adhibendis, adeoque accurate determinandis. Sufficit nimirum in præſenti, ut iis, quorum intereſt, conſtat, quid transferatur vel tradatur. Ex hac ipſa vero ratione, quod iis, quorum intereſt, conſtare debeat, quænam ſit res illa ſive corporalis, ſive incorporalis, cujus dominium transfertur, vel translatum fuit, liquet, in re ſufficienter indicanda, ut certa ſit, non modo rationem eſſe habendam perſonarum, quibus certa eſſe debet, ſed & temporis, quo certam eſſe neceſſe eſt.

§. 29.

Si quis rem certam mobilem, cujus dominium in te transtulit, vel nunc transfert, te auferre jubet; eandem tradit. Etenim ſi quis rem mobilem, cujus dominium in te transtulit, vel nunc transfert, te auferre jubet; eo ipſo declarat, velle ſeſe ut eam detineas tanquam tuam, conſequenter ut eam poſſideas (§. 150 *part. 2. Jur. nat*). Et quia res certa eſt, cujus dominium in te translatum, ſufficienter quoque indigitatum eſt, quænam illa res ſit, ut eam ab aliis ſui ſimilibus diſtinguere queas (§. 28.), conſequenter probe noſti, quamnam auferre debeas. Quodſi ergo eam actu aufers, poſſeſſionem ejus acquiris. Quamobrem cum juſſus rem certam, cujus dominium in te translatum fuit, vel jam transfertur, auferendi ſit actus, quo poſſeſſio in te transfertur ab eo, qui dominium transtulit, vel transfert, hic autem actus traditio ſit (§. 23.); ſi quis rem certam mobilem, cujus dominium in te transfert, auferre jubet, eandem tibi tradit. *Alius modus tradendi rem mobilem.*

Oſtenditur etiam hoc modo. Quoniam res certa ſufficienter indigitatur, quocunque tandem modo id fiat, ut ab aliis ſui ſimilibus diſtingui poſſit (§. 28.); ſi quis rem certam mobilem, cujus dominium in te transtulit, vel nunc trans- fert,

fert, te auferre jubet, perinde omnino eſt ac ſi eandem tibi porrigeret, ut eam apprehendere poſſes apprehenſam ablaturus. Enimvero ſi transferens dominium rem mobilem manu porrigit & accipiens manu apprehendit, ea ipſi traditur (§. 27.). Traditur igitur etiam res mobilis, ſi quis a transferente dominium eam auferre jubetur.

Praxi communi convenit propoſitio præſens: hoc tamen non obſtante ea demonſtranda fuit, ut conſtet rem revera tradi vi ipſius definitionis, quam dedimus. Quo ipſo etiam intelligitur, definitionem non eſſe anguſtiorem ſuo definito, ſed talem, qualem ipſa praxis exigit: Hæc ideo monemus, ne ſcioli rem arduam confeciſſe ſibi videantur, ſi reprehendant, talia demonſtrari, quæ ipſorum judicio demonſtratione nulla indigere videntur.

§. 30.

Traditio rerum immobilium.

Si quis jubet te rem certam immobilem poſſidere, cujus in te tranſtulit dominium, & hoc in ea te exercere patitur; eandem tibi tradit. Etenim ſi dominium rei immobilis certæ transferens te eam poſſidere jubet, cum res certa ſufficienter ab eo indigitata ſit, ut ab aliis ſui ſimilibus diſtingui poſſit (§. 88.); quamnam rem poſſidere debeas tibi exploratum eſt. Et quoniam juſſu ſeu voluntate ipſius dominium in ea exercere potes, res redacta eſt in eum ſtatum, quo tibi competit potentia phyſica de eadem pro arbitrio tuo diſponendi (§. 118. 649. *part. 2. Jur. nat.*). Conſiſtit autem in actu dominium transferentis, quo res redigitur in eum ſtatum, ut de ea pro arbitrio tuo diſponere poſſis, traditio (§. 24.). Ergo res immobilis tibi traditur, ſi ea fuerit certa & dominium transferens te jubeat eandem poſſidere ac patiatur dominium in ea te exercere.

Communi loquendi modo res immobiles, quæ manu teneri ac alteri porrigi nequeunt, nec ab hoc manu apprehendi poſſunt, tradi non dicuntur niſi improprie, ſed ſignificatui generali, qui reſpondet termino artis (§. 23.), convenit rerum etiam immobilium traditio.

§. 31.

Actus ad traditionem rei immobilis requiſiti.

Quoniam res immobilis traditur, ſi dominium transferens te eam poſſidere jubet ac dominium in ea exercere patitur (§. 30.) *res immobilis traditur declaratione voluntatis, quod eam ab hoc momento poſſidere debeas, & patientia exercitii dominii.*

Nimirum quamprimum dominus vult te rem, quam tuam eſſe voluit, poſſidere & tibi liberum eſt dominium in ea exercere, rem poſſidere incipis, cum tibi jam ſit potentia phyſica de re diſponendi, ſine qua poſſeſſio non conſtituitur (§. 740. *part. 2. Jur. nat.*). Actus prior poſitivus eſt, alter negativus. Atque adeo patet ad rei traditionem adhiberi quoque poſſe actus negativos, quemadmodum ſupra ſumſimus (§. 23.).

§. 32.

Apprehenſio quid ſit.

Apprehenſio vocatur actus, quo quis poſſeſſionem acquirit. Communiter *res apprehendi* dicitur, & proprie quidem res corporalis mobilis: res vero corporales immobiles & res incorporales *quaſi apprehenduntur*. Enimvero cum apprehenſione rei fias poſſeſſor ejus, adeoque actus, quo res apprehenditur, is ipſe eſt, quo poſſeſſionem acquiris; hunc ipſum actum Apprehenſionem appellare lubet.

Nimirum communi ſermone apprehendere non ſignificat niſi manum applicare ad rem mobilem, ut eam teneas & auferre poſſis. Atque adeo proprie loquendo apprehenſio non eſt niſi rerum corporalium mobilium, veluti ſi manum applicas ad librum, ut eum tenens auferre poſſis. Enimvero quando quis rem apprehendit eo animo, ut eam detineat tanquam ſuam, ſeu de ea tanquam ſua pro arbitrio diſponere poſſit; apprehenſio eſt actus, quo poſ-

ſeſſio-

ſeſſionem acquirit rei corporalis mobilis (§ 761. *part. 2. Jur. natur.*). Quamobrem cum res non minus immobiles & incorporales poſſideantur, quam mobiles; ex vocabulo communis ſermonis efficitur terminus artis, dum eidem tribuitur ſignificatus generalis, qui ineſt apprehenſioni rei corporalis mobilis acquirendæ poſſeſſionis gratia factæ. Idem adeo obtinet in vocabulo apprehenſionis, quod ſupra annotavimus de vocabulo traditionis (*not.* §. 27.).

§. 33.

In quo apprehenſio conſiſtat.

Quoniam qui poſſeſſionem rei acquirere vult, rem poſſidendam facto quodam redigere debet in eum ſtatum, quo phyſice poſſibile eſt, ut de ea pro arbitrio ſuo diſponere poſſit inſtar domini (§. 761. *part. 2. Jur. nat.*); apprehenſio vero actus eſt, quo poſſeſſio acquiritur (§. 32.); *apprehenſio conſiſtit in actu, quo quis rem redigit in eum ſtatum, quo phyſice poſſibile eſt, ut de ea pro arbitrio ſuo inſtar domini diſponat*, conſequenter *quo eam redigit in poteſtatem ſuam animo ſibi habendi* (§. 461. *part. 2. Jur. nat.*).

Quodſi magis arridet, apprehenſionem quoque definire licet per actum, quo res redigitur in poteſtatem tuam, ſeu quo redigitur in eum ſtatum, quo tibi competit potentia phyſica de re pro arbitrio tuo diſponendi. Unde ex hac definitione deinceps colligitur, quod apprehenſione animo poſſidendi facta, hoc eſt, eo animo, ut actu de re tanquam tua pro arbitrio diſponas, poſſeſſio acquiratur. Idem tenendum de traditione, ſi eam definire velis per actum dominium transferentis, quo res redigitur in eum ſtatum, ut ei, in quem translatum dominium, competat potentia phyſica de re tanquam ſua pro arbitrio diſponendi (§. 24.), ſeu dominium exercendi (§. 128. *part. 2. Jur. nat.*). Hinc enim deinceps infertur; ad poſſeſſionem transferendam requiri traditionem. Ex dictis manifeſtum eſt, quemadmodum duplex requiritur ad tranſlationem dominii actus, alter transferentis, alter accipientis; ita ſimiliter ad transferendam poſſeſſionem duplici opus eſſe actu, nimirum altero transferentis, qui ſubinde negativus eſſe poteſt, ſeu non factum, altero acquirentis. Actus transferentis appellatur traditio, acquirentis apprehenſio, quemadmodum actus dominium transferentis non invito uſu loquendi recepto *oblatio* appellari poteſt, actus vero accipientis acceptatio vocatur (§. 2.).

§. 34.

Quomodo res tradatur demonſtrando.

Si dominium transferens rem certam eo fine accipienti vel propius, vel e longinquo demonſtret, ut eam apprehendat; eam ipſi tradit. Quod ſi enim res fuerit certa, ab aliis ſui ſimilibus eam diſtinguere valet eandem apprehenſurus (§. 28.), adeoque ipſi conſtat, quamnam apprehendere debeat. Quodſi ergo dominium transferens eam accipienti eo fine demonſtrat, vel propius, vel e longinquo, ut eam apprehendat, hoc ipſo indicat, ſe velle ut eam apprehendat, conſequenter poſſideat (§. 31.) & paſſurum, ut dominium in immobili exerceat, aut rem mobilem auferat. Enimvero ſi transferens dominium accipientem jubet rem mobilem certam auferre, vel declarat, quod immobilem poſſidere debeat ac patiatur dominium in ea ab ipſo exerceri, res traditur (§. 29. 30.). Ergo etiam ea traditur, ſi dominium transferens rem certam eo fine accipienti vel propius, vel e longinquo demonſtrat, ut eam apprehendat.

Modus traditionis præſens non minus rerum mobilium, quam immobilium eſt, quemadmodum ex demonſtratione abunde liquet. Convenit tamen inprimis rebus immobilibus, qui de manu in manum, juxta communem loquendi uſum tradi non poſſunt, præſertim ſi res apprehendenda e longinquo demonſtratur, veluti fundus vicinus in turre, qui caſus eſt *Celſi* l. 18. ff. de acq. vel amitt. poſſ. Caſus rei mobilis eſt, ſi digito monſtro librum in menſa a te apprehendendum.

Digitized by Google

§. 35.

Alius traditionis modus. *Si res, cujus dominium in te transfertur, quacunque de cauſa jam ſit in poteſtate tua & dominus permittat, ut in eadem permaneat tanquam tua; eam tibi tradit.* Etenim ſi res quacunque de cauſa jam ſit in poteſtate tua, tibi competit potentia phyſica de eadem pro arbitrio tuo diſponendi (§. 461. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quodſi ergo dominium in te transfert dominus, cum hoc in jure de re pro arbitrio ſuo diſponendi conſiſtat (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*), potentiæ phyſicæ etiam ſuperaccedit moralis (§. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & tu evadis dominus (§. 13.), ut adeo jam de re iſta tanquam tua pro arbitrio diſponere poſſis (§. 124. *part.* 2. *Jur. nat.*). Perinde adeo eſt ac ſi rem domino reſtituiſſes, & hic translato dominio eandem tibi tradidiſſet (§. 24.). Patet itaque, rem tibi tradi, ſi re, quæ quacunque de cauſa in poteſtate tua eſt, a transferente dominium in eadem tanquam tua permanere permittatur.

Ex. gr. ponamus Titium tibi commodaſſe librum quendam ſuum, & eum tibi dono datum ut retineas permittere; eum tibi tradidiſſe videtur. Similiter ſi ex contractu locationis conductionis habitas in ædibus Mævii & hic ex cauſa venditionis eas te inhabitare tanquam tuas permittit; ædes tibi tradidiſſe cenſetur.

§. 36.

Alius modus tradendi rem immobilem. *Si quis literis aut documento quodam literario declarat, ſe poſſeſſionem rei immobilis certæ in te cum dominio transferre, & paſſurum, ut dominium in ea exerceas; eam tibi tradit.* Etenim ſi quis literis aut documento quodam literario declarat, ſe poſſeſſionem rei immobilis certæ in te cum dominio transferre, & paſſurum, ut dominium in ea exerceas, perinde omnino eſt, ac ſi rem certam immobilem te poſſidere juberet & in ea dominium exercere pateretur. Enimvero ſi transferens dominium te rem immobilem certam poſſidere jubet & in ea dominium te exercere patitur; eam tibi tradit (§. 30.). Tradit igitur etiam eandem, ſi literis aut documento quodam literario declarat, ſe poſſeſſionem rei immobilis certæ in te cum dominio transferre, & paſſurum, ut dominium in ea exerceas.

Ex. gr. vendo tibi ædes meas & exhibito documento literario declaro, te eas poſſidere debere & de iis tanquam re tua ut diſponas me paſſurum; ædes tibi tradidiſſe cenſeor.

§. 37.

An dominium & poſſeſſio transferri poſſit ab abſente. Quoniam voluntas non minus literis, quam verbis ore prolatis ſufficienter indicatur, quæ non modo ſtatim te facit dominum (§. 13.), ſed etiam cum patientia exercendi a te dominii poſſeſſionem in te transfert (§. 36.); *dominium non minus, quam poſſeſſio etiam ab abſente per literas transferri poteſt.*

Ex. gr. ponamus me abſentem tibi ſcribere, me tibi vendere agrum meum pro pretio bis mille thalerorum Mævio ſolvendorum, & te hoc pretium huic ſolvere, abſens per literas in te transtuli dominium. Quodſi jam porro tibi ſcribam, me poſſeſſionem agri tibi venditi in te transferre, & paſſurum, ut, ſinitis meſſe, eundem colas tanquam tuum, abſens per literas eum tibi tradidi.

§. 38.

Modus traditionis rei *Si transferens dominium eo fine te in rem immobilem introducit, ut in ea dominium exerceas; eam tibi tradit.* Etenim ſi transferens dominium eo fine te in rem

rem immobilem introducit, ut in ea dominium exerceas; perinde omnino eſt ac ſi rem mobilem manu porrigeret & tu manu eandem apprehenderes, cum res immobiles non manu teneri, quemadmodum mobiles, queant, pedibus tamen iiſdem inſiſtere detur, conſequenter unum idemque ſit, rem mobilem manu tenere & immobili pedibus inſiſtere, utroque actu corporali in contactu rei & corporis noſtri conſiſtente. Verum enim vero ſi transferens dominium rem mobilem manu porrigit & accipiens eam manu apprehendit, rem mobilem tradit (§.27.). Tradit igitur etiam rem immobilem, ſi translato dominio, te in rem immobilem introducit eo fine, ut dominium in ea exerceas.

immobilis ad traditionem mobilium proxime accedens.

Ex demonſtratione liquet, modum traditionis rei immobilis præſentem ad modum traditionis rei mobilis ipſo ſermone communi talem proxime accedere. Quamobrem hanc demonſtrationem aliis, quæ dari poterant, præferre maluimus. Ita nullo fere negotio inferri poterat ex eo, quod res tradatur, ſi transferens dominium rem certam immobilem poſſideri jubeat & in ea dominium exerceri patitur (§ 30.).

§. 39.

Si qui jus quoddam, ſeu dominium rei incorporalis in te transfert, te iſtud exercere patitur; rem incorporalem tibi tradit. Quodſi enim patitur te exercere jus, quod in te transtulit, eo ipſo res incorporalis redacta eſt in eum ſtatum, quo tibi competit potentia phyſica de ea pro arbitrio tuo diſponendi: quod per ſe patet. Enimvero in actu, quo res redigitur in eum ſtatum, quo tibi competit potentia phyſica de ea pro arbitrio tuo diſponendi conſiſtit traditio (§. 24.). Ergo rem incorporalem ſibi tradit, qui ejus dominium ſeu jus quoddam in te transfert, ſi hoc te exercere patitur.

Modus traditionis rerum incorporalium.

Ex demonſtratione liquet, ſi ſignificatum traditionis generalem retineas, non opus eſſe, ut res incorporales quaſi tradi dicantur: quaſi traditionem enim tantummodo dixerunt, qui ſignificatum traditionis in communi ſermone receptum cum ſignificatione termini technici confuderunt, quemadmodum eadem de cauſa inter veros & fictos tradendi modos diſtinxerunt.

§. 40.

Si qui dominium rei ſuæ in te transtulit eam tanquam tuam alia quadam de cauſa in poteſtate ſua retinet; eam tibi tradidiſſe cenſetur. Etenim in hypotheſi propoſitionis præſentis perinde eſt, ac ſi rem, cujus dominium in te transtulit, actu tradidiſſet, & tu alia de cauſa eam tanquam tuam in poteſtatem ejus redegiſſes. Cum igitur agnoſcat, ſe rem non amplius poſſidere, ſed tanquam tuam tua tantummodo voluntate detinere, tibi vero poſſeſſionem competere; dubitandum ſane non eſt, quin in hypotheſi propoſitionis præſentis in te translata ſit poſſeſſio. Quamobrem cum actus, quo transfertur poſſeſſio, traditio ſit (§.23.); in hypotheſi propoſitionis præſentis res tibi utique tradita cenſeri debet.

Alius modus traditionis rei corporalis.

Ex. gr. Si librum meum tibi vendo; tuo autem conſenſu eum ad certum uſum tanquam a te mihi commodatum retineo, eum utique tibi tradidiſſe cenſendus ſum. Etenim cum rogatus a me cenſearis, ut res in certum uſum apud me remaneat tanquam tua; dominium exerces, & ego a te idem exerceri patior. Eſt igitur res in eo ſtatu, ut tibi non deſit potentia phyſica de eadem tanquam tua pro arbitrio tuo diſponendi. Quamobrem res tibi tradita omnino videtur (§. 24.). Propoſitio præſens communiter ita effertur, quod res tradatur, ſi quis conſtituit, ſe rem ante ſuam nunc alieno nomine poſſidere, phraſi Jctorum Romanorum, veluti *Celſi* l. 18. ff. de acquir. vel amitt poſſeſſ. Sed ne videamur terminum poſſeſſionis æquivocum reddere (§. 150. *part.* 2. *Jur. natur.*); ab illa phraſi abſtinere maluimus.

§. 41.

§. 41.

Brevi manu traditio quænam ſit.

Res *brevi manu* tradi dicitur, quando actus traditionis ineſſe intelligitur alii cuidam actui, quo aliud quid agitur ad dominii exercitium ſpectans. Quod vero brevi manu traditur a transferente dominium, id ab accipiente *brevi* quoque *manu accipi* vel *apprehendi* dicitur.

Brevi manu accipere dixit *Ulpianus* l. 43. ff. de Jur. dot. Quamobrem cum acceptio rei ſupponat ejus traditionem (§. 2. 23.); brevi quoque manu traditio fieri dicitur. Exemplum dedit *Ulpianus* l. 3. ff. de don. inter vir. & uxor. ſi donaturum mihi juſſero uxori meæ dare. Perinde enim, ait, habendum atque ſi ego acceperim & rem meam factam uxori meæ dediſſem. Hic tu diſponis de re, quam tibi donaturus erat alter, tanquam de tua, dum dominium ejus tua voluntate in uxorem tuam transfertur: id quod utique ad dominii exercitium pertinet (§ 665. 649. *part*, 2. *Jur. nat.*). Enimvero hoc facere non poteras, niſi donaturus te dominium exercere pateretur, conſequenter hoc ipſo actu negativo eam tibi traderet. Quamob rem cum tibi res tradita cenſeatur, dum tibi donaturus juſſu tuo rem tradit uxori tuæ, traditio tuo nomine fit, atque adeo juſſui tuo ut rem, quam tibi donaturus erat, det uxori, ineſt traditio rei, quæ a te in uxorem transfertur poſſeſſio. Brevi adeo manu rem uxori tradis, quatenus actui, quo aliud quid ad dominii exercitium ſpectans agitur, nimirum quo in caſu præſenti res juſſu tuo alienatur, ineſt actus traditionis, qui a te fieri debebat re ante tibi tradita, & hoc pacto brevi manu uxor a te accipit, quod brevi manu a te ipſi traditur. Quodſi attentius rem conſideres facile perſpicies, rem brevi manu tradi & accipi poſſe, quatenus moraliter poſſibile non eſt, ut quid actu fiat, niſi aliquid, quod actu fieri debebat, tanquam factum ſupponatur, quia phyſice poſſibile ut hoc fiat, etiam ſi illud factum actu non fuerit.

§. 42.

Quando brevi manu tradatur.

Quoties igitur *hoc agitur, ut perinde ſit ac ſi res tradenda ex poteſtate accipientis veniſſet in poteſtatem transferentis & ex poteſtate transferentis denuo reveniſſet in poteſtatem accipientis, vel ac ſi ex poteſtate transferentis veniſſet in poteſtatem accipientis & ex poteſtate accipientis denuo reveniſſet in poteſtatem transferentis, vel ac ſi ex poteſtate transferentis veniſſet in poteſtatem accipientis & ex poteſtate accipientis tanquam rurſus transferentis in poteſtatem tertii tanquam ab ipſo accipientis*, cum traditio conſiſtat in actu, quo res redigitur in poteſtatem ejus, in quem dominium translatum eſt (§. 24.), brevi autem manu res tradatur, quando actus traditionis ineſſe intelligitur alii cuidam actui, quo aliud agitur ad dominii exercitium ſpectans (§. 41.); in omni omnino caſu *traditio ſit brevi manu*.

Habemus adeo principia, per quæ dijudicari poteſt, quandonam traditio brevi manu fiat. Equidem non nego, nos termino traditionis brevi manu in jure naturæ carere poſſe: quoniam tamen de re eadem ſignificata in jure naturæ agendum, & juris naturæ etiam hic uſus eſt, ut lucem affundat juri civili, ad intimius inſpiciendum omnem ejus rationem, termini quoque in jure civili recepti retinendi ſunt.

§. 43.

Quomodo brevi manu res tradatur.

Quoniam perinde eſt, ac ſi res tradenda ex poteſtate accipientis veniſſet in poteſtatem transferentis & ex poteſtate transferentis denuo reveniſſet in poteſtatem accipientis ſi dominium transferens rem permittat in poteſtate accipientis, tanquam ipſi propriam, quæ jam alia quacunque de cauſa in poteſtate ipſius eſt, quando vero hoc agitur ut perinde ſit ac ſi res tradenda ex poteſtate accipientis veniſſet in poteſtatem transferentis & ex poteſtate transferentis denuo reveniſſet in poteſtatem accipientis, res brevi manu traditur (§. 42.); *ſi dominium transferens rem permittat in poteſtate accipientis tanquam ipſi propriam, quæ jam alia quacunque de cauſa in poteſtate ipſius eſt, eam ipſi brevi manu tradit.*

Hunc

Digitized by Google

Hunc modum traditionis convenire juri naturæ ante oſtendimus (§. 35.). Atque adeo videmus, verum eſſe, quod modo annotavimus (*not.* §. 42.), traditionem brevi manu jus naturæ non ignorare. Idem eodem modo patet de aliis modis traditionis brevi manu. Exemplum modi præſentis dedimus ſupra (*not.* §. 35.).

§. 44.

Alius modus traditionis brevi manu.

Similiter cum perinde ſit, ac ſi res ex poteſtate transferentis veniſſet in poteſtatem accipientis & ex poteſtate accipientis denuo reveniſſet in poteſtatem transferentis, quando transferens rem alia quacunque de cauſa in poteſtate ſua tanquam accipientis retinere conſtituit, quando vero hoc agitur, ut perinde ſit ac ſi res ex poteſtate transferentis veniſſet in poteſtatem accipientis & ex poteſtate accipientis reveniſſet in poteſtatem transferentis, res brevi manu tradatur (§. 42.); *ſi qui dominium rei ſuæ in te tranſtulit eam tanquam tuam alia de cauſa in poteſtate ſua retinet, eam tibi brevi manu tradit.*

Traditionem fieri, ſi dominium rei ſuæ transferens eam retinere in poteſtate ſua conſtituit alia de cauſa, ſupra oſtendimus (§ 40.). Quod vero traditio iſta fiat brevi manu, hic oſtenditur. Exemplum vide ſuperius (*loc. cit.*).

§. 45.

Alius adhuc modus traditionis brevi manu.

Immo cum perinde ſit, ac ſi res ex poteſtate transferentis veniſſet in poteſtatem accipientis & ex poteſtate accipientis tanquam rurſus transferentis in poteſtatem tertii tanquam ab ipſo accipientis, quando transferens dominium rem dare jubetur ab accipiente tertio cuidam, quando vero hoc agitur, ut perinde ſit ac ſi res ex poteſtate transferentis veniſſet in poteſtatem accipientis & ex poteſtate accipientis tanquam rurſus transferentis in poteſtatem tertii tanquam ab ipſo accipientis, res brevi manu tradatur (§. 42.); *ſi dominium transferens ab accipiente jubetur eam dare tertio, res brevi manu huic traditur.*

Hic eſt caſus, quo traditionem brevi manu illuſtravimus ſupra (*not.* §. 41.). Quodſi deſideres, ut demonſtretur, traditionem revera fieri in hoc caſu, quemadmodum de ceteris modis traditionis brevi manu idem oſtendimus; ne quid prætermiſiſſe videamur, quod prætermittendum non erat, propoſitionem ſequentem ſubjicere lubet.

§. 46.

Alius tradendi modus.

Si dominium rei transferens eam tertio tradere jubetur ab accipiente, accipiens rem tertio tradidiſſe cenſetur. Etenim ſi tu dicis, te mihi donare nummum aureum & ego jubeo te eundem tradere Titio; hoc ipſo ſufficienter ſignifico, me donum acceptare (§. 2.) & eundem donare Titio, ac velle ut tu meo nomine eundem ipſi tradas. Quando igitur a te meo juſſu traditur Titio, perinde omnino eſt, ac ſi a te traditum apprehendiſſem & dominio in Titium translato eundem rurſus tradidiſſem. Quamobrem ſi dominium rei transferens eam tertio tradere jubetur ab accipiente, accipiens rem tertio tradidiſſe cenſendus eſt.

Demonſtrationem applicavimus ad caſum particularem, ut evaderet clarior.

§. 47.

Traditio longa manu quid ſit.

Longa manu res tradi dicitur, quando res tradenda oculis tuis ſubjicitur, eo fine ut eam apprehendas, conſequenter poſſeſſionem acquiras (§. 32.). Unde *longa manu accipi* aut *apprehendi* dicitur, quod longa manu traditur.

Tra-

Digitized by Google

Traditionem longa manu *Javolenus* l. 79. ff. de ſol. & lib. exemplo rei debitæ in conſpectu creditoris poſitæ declarat, nimirum ſi rem, quam mihi debes, in conſpectu meo ponere te jubeam. Hoc enim facto effici ait, ut tu ſtatim libereris & mea eſſe incipiat, quod jam rei poſſeſſio a nullo corporaliter detenta mihi ſequatur. Actus autem, quo poſſeſſio in me transfertur, traditio eſt, (§. 23.), quemadmodum is, quo poſſeſſio acquiritur, apprehenſio (§. 32.).

§. 48.

Quando res longa manu tradatur.

Quoniam res tradenda in conſpectum tuum deducitur, ſi transferens dominium vel propius, vel e longinquo eo fine tibi demonſtrat, ut eam apprehendas, quando vero hoc fit, res longa manu traditur (§. 47.); *Si transferens dominium eo fine rem tradendam vel propius, vel e longinquo demonſtrat, res longa manu traditur.*

Traditionem fieri hoc in caſu, oſtendimus ſupra (§. 34.): quod vero ea fiat longa manu hic evincitur. Exempla vide ſuperius (*not. §. cit.*).

§. 49.

Alius modus traditionis.

Similiter patet, *ſi transferens dominium rem certam mobilem in conſpectu tuo poſitam, vel in loco tibi noto reconditam te auferre jubet, rem longa manu tradi.* In caſu priori id ſtatim patet (§. 47.); in poſteriori vi imaginationis oculis tuis quaſi præſens ſiſtitur (§. 92. *Pſych. empir.*), ut adeo perinde ſit atque ſi in conſpectum tuum deduceretur, vel tibi e longinquo demonſtraretur. Unde porro conficitur, rem longa manu tradi (§. 48.).

Notorium eſt, imaginationem, quando rerum abſentium ideas producit, vice ſenſuum fungi.

§. 50.

Quo momento poſſeſſio translata.

Quamprimum res a dante traditur & ab accipiente apprehenditur; poſſeſſio in accipientem translata eſt. Etenim traditio eſt actus, quo dominium transferens, conſequenter dans (§. 675. *part. 2. Jur. nat.*), poſſeſſionem transfert (§. 23.), & apprehenſio actus, quo accipiens poſſeſſionem acquirit (§. 32.). Quamprimum vero dans poſſeſſionem transfert, eam habere definit, & quamprimum accipiens eam acquirit, eandem habet: quod per ſe patet. Quamobrem quamprimum res a dante traditur & ab accipiente apprehenditur; poſſeſſio in accipientem translata eſt.

Intereſt ſubinde, ut conſtet, quinam ſit poſſeſſor. Quamobrem definiendum erat momentum, quo poſſeſſio in accipientem actu translata cenſetur.

§. 51.

A quo momento poſſeſſio incipiat.

Quoniam poſſeſſio in accipientem actu translata eſt, quamprimum res a te traditur & ab accipiente apprehenditur (§. 50.); *eo ipſo momento, quo accipiens rem, quæ traditur, apprehendit, poſſeſſor evadit.*

Hoc, quod facile patet, intelligendum eſt in eo caſu, quo quis rem poſſidere incipit a domino, vel ab eo, qui ante eam poſſidebat, poſſeſſore anteriore conſentiente.

§. 52.

§. 52.

Quando res apprehendatur ablatione.

Si rem certam mobilem juſſu dominium transferentis aufers, eam apprehendis. Etenim quando transferens dominium te jubet rem certam mobilem auferre, eam tibi tradit (§. 29.) conſequenter poſſeſſionem in te transfert (§. 23.). Quamobrem ubi eam aufers, non modo eam poſſidere te velle ſignificas, verum etiam in poteſtatem tuam actu redigis (§. 461. *part. 2. Jur. nat.*). Quoniam itaque in hoc actu conſiſtit apprehenſio (§. 33.); rem certam mobilem dum juſſu transferentis aufers, eam apprehendis.

Quoniam dominus in te dominium jam tranſtulit, voluntate ipſius jam tu factus es dominus (§. 13.), vel ſi dum transfert eam auferre jubet, eo ipſo momento dominus efficeris (§. *cit.*), conſequenter res tua eſt, quam te auferre jubet (§. 124. *part. 2. Jur. nat.*). Cum vero eam aufers, potentiam habes phyſicam de ea pro arbitrio tuo tanquam re tua diſponendi, quod per ſe patet. Eam igitur eo ipſo momento, quo aufers, poſſidere incipis (§. 740. *p. 2. Jur. nat.*).

§. 53.

Modus apprehendendi rem immobilem.

Si quis a transferente dominium eo fine in rem immobilem ſe introduci patitur, ut eandem ipſi tradat, eam apprehendiſſe cenſetur. Etenim ſi quis a transferente dominium eo fine in rem immobilem ſe introduci patitur, ut eandem ſibi tradat, perinde eſt, ac ſi transferens rem mobilem in conſpectu accipientis poſitam ab eo auferri juberet, & hic eandem auferret. Sed ſi rem mobilem certam juſſu dominium transferentis aufers, eam apprehendis (§. 52.). Ergo etiam rem immobilem apprehendiſſe cenſendus es, ſi a transferente dominium eo fine in rem immobilem te introduci pateris, ut eam tibi tradat.

Res mobiles aliter in poteſtatem noſtram venire nequeunt, quam ſi manu apprehenduntur: unde apprehenſio proprie loquendo actus eſt, quo res mobiles in poteſtatem noſtram veniunt, quemadmodum ſupra jam monuimus (*not.* §. 32.). Res immobilia manu apprehendi & auferri nequeunt, ut alio ponantur, quam ſint loco. Quamobrem ſi dominus, qui dominium in nos tranſtulit, nos in rem immobilem introducit eo fine, ut ab eo momento in eadem dominium exerceamus, perinde omnino eſt, ac ſi rem mobilem manu nobis porrigeret, vel in conſpectu noſtro poneret eo fine, ut eandem manu apprehendamus tanquam noſtram. Utroque nimirum in caſu nullam facit omne dominii exercitium, ac id a nobis ut exerceri poſſit; quantum in ſe eſt, facit. Quodſi ergo a transferente dominium hoc fine nos introduci patiamur, ut certi evadamus, ab hoc momento nos non impeditos dominium in re immobili exercere poſſe; perinde omnino eſt, ac ſi juſſu ipſius rem mobilem manu apprehenderemus, aut in conſpectu poſitam auferremus. Utroque nimirum in caſu res, quæ a domino traditur, jam venit in eum ſtatum, ut dominium actu exercere valeamus, neque adeo etiam amplius quid deſideretur ex parte noſtra. Traditione itaque res, cujus dominium translatum, ex poteſtate domini dimittitur, & apprehenſione ab accipiente in poteſtatem ſuam recipitur.

§. 54.

Alius modus apprehendendi rem immobilem.

Si accipiens a transferente dominium rem certam vel propius, vel e longinquo ſibi demonſtrari patitur, ut in ea dominium exercere poſſit; rem apprehendiſſe cenſetur. Etenim ſi transferens dominium, acceptanti rem certam vel propius, vel e longinquo demonſtrat, ut in ea dominium exercere poſſit; hoc ipſo declarat, ſeſe dominium in ea ab ipſo exerceri velle, conſequenter amplius rem poſſidere nolle, atque adeo pati, ut ipſe in eadem dominium actu exerceat. Facto igitur accipientis res venit in poteſtatem ſuam e poteſtate transferentis (§. 461. *part. 2. Jur. nat.*). Quoniam itaque in actu accipientis, quo eam reducit in eum ſtatum, ut ipſi competat potentia phyſica de ea pro arbitrio ſuo diſponendi, conſequenter quo venit in poteſtatem ſuam (§. 461. *part 2.*

Jur. nat.), apprehenſio conſiſtit (§. 33.); ſi accipiens a transferente dominium rem certam vel propius, vel e longinquo demonſtrari ſibi patitur, ut in ea dominium exercere poſſit, rem hoc ipſo apprehendiſſe cenſetur.

Non eſt quod excipias de re mobili, dum demonſtrata aufertur, eam demum apprehendi: etenim in hoc caſu ablatio rei non eſt actus, quo acquiritur demum poſſeſſio, ſed potius actus poſſeſſorius. Res a te poſſideri jam dicenda eſt, etiam ſi non ſtatim eandem auferas, cum veluti depoſita apud transferentem ſpectetur, qui eam non amplius detinet tanquam ſuam, ſed tanquam tuam, conſequenter proprie eam poſſidere dici nequit (§. 150. *part. 2. Jur. nat.*).

§. 55.

Modus apprehenſionis longa manu.

Quoniam transferens dominium rem longa manu tibi tradit, quam eo fine vel propius, vel e longinquo tibi demonſtrat, ut eam apprehendere poſſis (§. 48.), longa autem manu apprehenditur, quod longa traditur (§. 47.); *ſi accipiens a transferente dominium rem certam vel propius, vel e longinquo ſibi demonſtrari patitur, rem longa manu apprehendit* (§. 54.).

§. 56.

Modus apprehendendi rem, quæ jam in poteſtate noſtra eſt.

Si res, quæ jam eſt quacunque de cauſa in poteſtate tua, conſentiente eo, qui dominium transfert, tanquam tuam retinere conſtituis; eam apprehendis. Etenim ſi rem alienam in poteſtate tua habes tanquam alienam quacunque de cauſa, eam tamen ideo nondum poſſides (§. 463. *part. 2. Jur. nat.*). Dum vero conſentiente domino, qui dominium in te transfert, adeoque voluntate ſua rem facit tuam (§. 13.), in poteſtate tua eandem retines, eam poſſides (§. 464. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem hoc ipſo, quod conſtituis rem, quæ alia quacunque de cauſa in poteſtate tua eſt, conſentiente domino, qui dominium in te transfert, tanquam tuam retinere, poſſeſſionem acquiris. Enimvero actus, quo acquiritur poſſeſſio, apprehenſio eſt (§. 32.). Ergo rem apprehendis, ſi res, quæ jam quacunque de cauſa in poteſtate tua eſt, conſentiente domino, qui dominium transfert, tanquam tuam retinere conſtituis.

Nihil hic aſſeritur, quod non minus menti JCtorum Romanorum, quam veritati conſentaneum. Dominium & poſſeſſio non transferuntur eodem actu (§. 22.), etiamſi ſimul transferantur (§. 25.). Nec qui rem in poteſtate ſua habet, eam poſſidet (§. 463. *part. 2. Jur. nat.*), conſequenter tanquam ſuam detinet (§. 150. *part. 2. Jur. nat.*). Ad poſſeſſionem itaque non ſufficit nuda rei detentio, ſed requiritur etiam animus eam detinendi tanquam ſuam. Quamobrem ut res, quæ in poteſtate tua eſt, non modo in poteſtate ſituetur, verum etiam eam poſſideas; neceſſe eſt ut dominus conſtituat eam apud te remanere tanquam tuam & tu eandem retinere velis tanquam tuam. Ita nimirum translationi dominii ſuperaccedunt actus tum ex parte transferentis, tum ex parte accipientis, quibus transfertur poſſeſſio, hoc eſt, traditio & apprehenſio rei.

§. 57.

Modus apprehenſionis brevi manu.

Quoniam res, quæ jam in poteſtate tua eſt, brevi manu traditur, ſi conſenſu dominium transferentis eam in poteſtate tua tanquam tuam retines (§. 43.); res autem brevi manu apprehenditur, quæ brevi traditur (§. 41.); *ſi rem, quæ jam quacunque de cauſa in poteſtate tua eſt, conſenſu dominium transferentis in eadem tanquam tuam retines, eam brevi manu apprehendis* (§. 56.).

Probe notandum eſt, requiri conſenſum domini ut decretum tuum ſit loco apprehenſionis.

§. 58.

§. 58.

Alius modus apprehenſionis rei immobilis per literas.

Si quis literis aut documento quodam literario declarat, ſe poſſeſſionem rei immobilis certæ in te cum dominio transferre & paſſurum, ut dominium in ea exerceas, & tu hoc acceptas; ipſa acceptatione eam apprehendis. Etenim res certa eſt, ſufficienter quocunque modo tibi jam indigitata, ut eam ab aliis ſui ſimilibus diſtinguere poſſis (§. 28.). Perinde igitur eſt, ac ſi dominium transferens eam tibi e longinquo demonſtraret. Quodſi ergo literis vel documento quodam literario declarat, ſe poſſeſſionem rei iſtius una cum dominio in te transferre; perinde omnino eſt ac ſi eam tibi demonſtraſſet eo animo, ut in ea dominium exercere poſſis (§. 740. *part. 2. Jur. nat.*). Quodſi ergo tu, quod ab ipſo tibi offertur, acceptas; perinde eſt ac ſi rem immobilem tibi eo fine e longinquo a transferente dominium demonſtrari patiaris, ut in ea dominium exercere queas. Enimvero ſi rem certam immobilem e longinquo tibi eo fine demonſtrari patiaris, ut in ea dominium exercere valeas, eandem apprehendere cenſeris (§. 54.). Eandem igitur etiam apprehendis, ſi transferens literis aut documento quodam literario declarat, ſe poſſeſſionem ejus cum dominio in te transferre & paſſurum, ut dominium in ea exereeas, & tu hoc aceeptas.

Oſtenditur etiam hoc modo. Si quis literis aut documento quodam literario declarat, ſe cum dominio poſſeſſionem rei immobilis certæ in te transferre ac paſſurum, ut dominium in ea exereeas; eo ipſo ſibi adimit potentiam phyſicam de ea re amplius pro arbitrio ſuo diſponendi. Et quia tu hoc acceptas, conſequenter declaras, te velle dominium in ea exercere, nec permiſſurum, ut, qui dominium in te transtulit, idem amplius in ea exereeat (§. 2.); res jam redacta eſt in eum ſtatum, quo non impeditus dominium in ea exercere potes. Quamobrem cum in eo actu, quo rem redigis in eum ſtatum, ut phyſice poſſibile ſit de ea pro arbitrio tuo a te diſponi, apprehenſio conſiſtat (§. 33.); ſi quis literis vel documento quodam literario declarat, ſe poſſeſſionem rei immobilis una cum dominio in te transferre & paſſurum, ut in ea dominium exerceas, tuque hoc acceptas, hac ipſa acceptatione rem apprehendiſſe cenſeris.

Exemplum vide ſuperius (*not.* §. 34.).

§. 59.

An dominium & poſſeſſio in abſentem transferri poſſit.

Quoniam in caſu propoſitionis præcedentis acceptatio etiam per literas fieri poteſt ab abſente, hac ipſa autem acceptatione non modo dominium acquiritur, verum etiam accipiens rem apprehendiſſe cenſetur (§. 13. 58.); *dominium non minus, quam poſſeſſio per literas etiam in abſentem transferri poteſt.*

Ex. grat. ponamus me tibi abſenti ſcribere, quod tibi vendam agrum meum pro pretio bis mille thalerorum & poſſeſſionem in te transferre ac paſſurum, ut eundem ſtatim colas tanquam tuum, & te per literas reſpondere, quod hæc omnia acceptes, ac pretium mihi ut ſolvatur curare; nullum eſt dubium, quin, ſi jus naturæ ſpectes, hoc ipſo factus ſis & dominus, & poſſeſſor agri, qui antea fuerat meus, & quem ego tanquam meum poſſidebam. Etenim ager tuus eſt, voluntate mea dominio in te translato (§. 13.), cumque ego patiar dominium in eo a te exerceri, nil obſtat quo minus etiam abſens agrum coli jubeas tuo nomine, adeoque tibi jam competit potentia phyſica agrum colendi, conſequenter dominium in eo exercendi (§. 649. *part. 2. Jur. nat.*). Quis ergo non dicat, te eum poſſidere (§ 761. *p. 2. Jur. nat.*)?

§. 60.

Alius modus apprehenſionis.

Si rem penes eum, qui dominium in te transtulit, alia quacunque de cauſa permanere permittis aut conſtituis; eam apprehendiſſe cenſeris. Etenim ſi quis dominium rei cujuſdam in te transtulit, res tua eſt (§. 13.). Quamobrem ſi permit-

tis aut conſtituis, ut penes transferentem remaneat alia quacunque de cauſa tanquam tua, de ea tanquam tua pro arbitrio tuo diſponis. Cum adeo res hoc modo redigatur in eum ſtatum, quo phyſice poſſibile eſt, ut de ea pro arbitrio tuo inſtar domini diſponas, in iſtiuſmodi autem actu conſiſtat apprehenſio, quo res in talem ſtatum redigitur (§. 33.); ſi rem penes eum, qui dominium in te tranſtulit, alia quacunque de cauſa permanere permittis aut conſtituis, eam apprehendiſſe cenſeris.

Actus nimirum apprehenſionis ineſſe intelligitur actui, quo rem tanquam tuam alia de cauſa permanere conſtituis apud eum, cujus ante fuerat. Sine potentia enim phyſica, quæ apprehenſioni debetur (§. 33), nemo actu diſponere poteſt de re ſua cum effectu. Ne autem per ambages incederemus, quomodo actus apprehenſionis alteri inſit, demum declarare noluimus.

§. 61.

Modus alius apprehenſionis brevi manu. Quoniam in hypotheſi propoſitionis præſentis, cum conſenſus dominium transferentis ſupponatur, quod per ſe patet, res brevi manu traditur (§. 44.), quod vero brevi manu traditur, brevi etiam apprehenditur (§. 41.); *quodſi rem penes eum, qui dominium in te tranſtulit, alia quacunque de cauſa permanere permittis aut conſtituis, eam apprehendiſſe cenſeris brevi manu* (§. 60.).

Nempe te rem apprehendiſſe patet per præcedentem (§. 60.): quod vero iſta apprehenſio facta ſit brevi manu, in præſenti evincitur.

§. 62.

Quando acceptatione res immobilis apprehendatur. *Si dominium rei certæ immobilis transferens voluntatem ſuam declarat, quod eam ab hoc momento poſſidere debeas, & ſe paſſurum, ut ſtatim dominium in ea exerceas, tu vero hoc acceptas; ipſa acceptatione eam apprehendiſſe cenſeris.* Quoniam perinde eſt, ſive quis voluntatem ſuam verbis ore prolatis, ſive in ſcripturam redactis declaret, acceptatione autem res immobilis apprehenſa cenſetur, ſi dominium transferens eo modo voluntatem ſuam declaret, quo declaratio fieri ſumitur in hypotheſi propoſitionis præſentis per literas, aut in inſtrumento quodam ſeu documento literario (§. 58.); apprehenſio rei immobilis a te facta quoque cenſeri debet in hypotheſi propoſitionis præſentis.

Forſan erunt, qui exiſtimaturi ſunt, declaratione voluntatis ab eo, qui dominium transfert, facta, quod accipiens ab hoc momento rem poſſidere debeat & ipſe facere paſſurus ſit, ut dominium in ea exerceat, jam rem immobilem conſtitui in eo ſtatu, quo phyſice poſſibile eſt, ut accipiens dominium in ea actu exerceat, conſequenter cum voluntate transferentis quemadmodum dominum (§. 13.), ita etiam poſſeſſorem eſſe factum (§. 740. *part. 2. Jur. nat.*). Enimvero cum nemo rem poſſidere dicendus ſit, niſi eam poſſidere velit, ut adeo etiam animum ad poſſeſſionem acquirendam requirant JCti Romani l. 3. ff. de acq. l. amitt. poſſ. & poſſeſſionem protinus amitti ſtatuant, ſi nolis fundum poſſidere, etiamſi in eo ſis l. c. neceſſe omnino eſt, ut voluntatem poſſidendi ſive verbis, ſive factis declares, ſi eam poſſidere velis: id quod acceptatione fieri in caſu præſenti palam eſt (§. 2.). Neque eſt, quod porro objicias, ad acquirendam poſſeſſionem requiri etiam actum aliquem corporalem l. c. conſequenter abſque iſtiuſmodi actu nullam intelligi apprehenſionem (§. 32.). Pro actu enim corporali etiam in Jure Romano habetur, ſi res tradenda oculis uſurpatur l. 18. ff. de acquir. poſſ. Supra vero jam oſtendimus (§. 49.) perinde eſſe, ſive res oculis, ſive vi imaginationis quaſi oculis præſens ſiſtatur: quod poſterius utique obtinet, ſi res immobilis tradenda, etſi abſens, fuerit certa (§. 28.). Videmus adeo propoſitionem præſentem eſſe admittendam tanquam veram, etiamſi principiis Juris Romani inſiſtas.

§. 63.

§. 63.

Modus tradendi & apprehendendi rem incorporalem cum corporali.

Si res incorporalis, veluti jus quoddam, inhæret rei corporali, res incorporalis una cum corporali traditur & apprehenditur. Quando res incorporalis, veluti jus quoddam, inhæret rei corporalis; res incorporalis poſſidetur per corporalem, nimirum qui rem corporalem detinet tanquam ſuam (§. 150. *part. 2. Jur. nat.*), hoc ipſo etiam incorporalem, utpote eidem inhærentem, detinet. Quoniam itaque traditio & apprehenſio ſunt actus, quibus poſſeſſio a poſſeſſore transfertur in poſſeſſorem novum, ſeu quibus quis efficitur poſſeſſor ab eo, qui antea poſſederat (§. 25. 32.); ſi res incorporalis, veluti jus quoddam, inhæret rei corporali, res incorporalis una cum corporali traditur & apprehenditur.

Ex. gr. ponamus ædibus; quarum dominium in te transfertur, inhærere jus proſpiciendi in prædium vicinum. Si tibi traduntur ædes, jus quoque in prædium vicinum traditur, &, ſi ædes apprehendis, jus quoque in prædium vicinum proſpiciendi apprehendis; nec opus eſt peculiari actu ad jus tradendum ex parte transferentis, neque actus peculiaris requiritur ad apprehendendum jus iſtud ex parte accipientis.

§. 64.

Modus alius apprehendendi rem incorporalem.

Si eo, qui jus quoddam in te transfert, patiente ipſum exercere incipis, jus iſtud apprehendiſſe cenſeris. Etenim ſi jus quoddam, patiente eo, qui idem in te tranſtulit, exercere incipis; tibi omnino competit potentia phyſica jure iſto utendi. Quamobrem cum jura poſſideantur facultate phyſica utendi & uſu (§. 744. *part. 2. Jur. nat.*); quando jus iſtud exercere, ſeu eodem uti incipis patientia transferentis, actu hoc jus tanquam res incorporalis redactum eſt in eum ſtatum, quo id poſſides. Quamobrem cum in tali actu conſiſtat apprehenſio (§. 32.); ſi eo, qui jus quoddam in te transfert, patiente ipſum exercere incipis, idem apprehendiſſe cenſeris.

Ex. grat. Si jus venandi in diſtrictu quodam in me transfers, iſtud apprehendiſſe dicendus ſum, ſi te patiente in eodem venari incipio.

§. 65.

Res incorporalis quando acceptatione apprehendatur.

Si jus quoddam in te transferens declarat, ſe pati, ut ab hoc momento illud exerceas, & tu hoc acceptas; jus ſeu rem incorporalem apprehendiſſe cenſeris. Patet nimirum, jus hoc pacto redactum in eum ſtatum, quo tibi competit potentia phyſica eodem pro arbitrio tno utendi, aut alio quocunque modo poſſibili de eodem diſponendi. Quamobrem cum in iſtiuſmodi actu conſiſtat apprehenſio (§. 32.); jus in te translatum apprehendiſſe cenſeris.

Nimirum ad poſſeſſionem rei incorporalis ſufficit ſi ea utendi facultas phyſica tibi fuerit (§. 744. *part. 2 Jur. nat.*). Ea autem adeſſe intelligitur, quamprimum nemo eſt, qui te jure tuo uſurum impedire poteſt. Si enim alius te impedire audet, is de poſſeſſione vi te dejicit (§. 745. *part. 2. Jur. natur.*), aut poſſeſſionem turbat (§. 748. *part. 2. Jur. nat.*). Immo ſi hoc facere audet, qui jus in te tranſtulit, ipſe pro turbatore habendus, cum ipſi nec dominium, nec poſſeſſio juris iſtius amplius competat. Clariora hæc evadent ex doctrina de pactis, vi cujus conſtabit, ſe paſſurum ut hoc facias dicentem haberi pro actu patientem.

§. 66.

Solo animo amitti poſſeſſionem.

Quamprimum quis rem poſſidere non vult, quam poſſedit hactenus; poſſeſſionem protinus amittit. Quod quis habere non vult, id quoque habere dicendus non eſt.

eſt. Quamobrem ſi quis rem poſſidere non vult, quam hactenus poſſedit, poſſeſſionem adhuc habere dici nequit. Quamprimum itaque quis rem poſſidere non vult, quam hactenus poſſedit, eam protinus amittit.

Nec obſtat, ſi adhuc rem detineat, cum ad poſſeſſionem non ſufficiat nuda detentio, ſed præterea requiratur animus eam ſibi habendi (§. 150 *part. 2. Jur. nat.*). Hinc *Paulus* l. 3. ff. de acquir. l. amitt. poſſ. recte ait: Si in fundo ſis, & tamen nolis eum poſſidere, protinus amittes poſſeſſionem. Unde multo adhuc clarius patet, quomodo etiam ſola acceptatione poſſeſſio acquiratur, prævio juſſu transferentis, ita ut ea ſit loco apprehenſionis (§. 58. 62. 65.): Quamprimum nimirum acceptatio a te facta, transferens rem, quæ adhuc in poteſtate ipſius eſt, detinet tanquam tuam, adeoque perinde eſt atque ſi eam alia de cauſa apud ipſum remanere conſtituiſſes, ut adeo apprehenſio brevi manu facta videatur (§. 61.). Atque hoc modo patet, poſſeſſionem ſolo animo amitti poſſe.

§. 67.

Num ſi res a poſſidente traditur poſſeſſio vacua ſit.

Si qui rem poſſidet eam tradit, dum eam tradit, poſſeſſio vacua eſt. Etenim cum traditio ſit actus, quo poſſeſſio transfertur (§. 23.); ſi qui rem poſſidet, alteri eam tradit, facto hoc declarat, ſe rem, quam poſſidet, amplius poſſidere nolle. Sed qui rem, quam hactenus poſſedit, poſſidere non vult, protinus poſſeſſionem amittit (§. 66.). Quamobrem quamprimum qui rem poſſidet, eam alteri tradere vult, protinus poſſeſſionem amittit, conſequenter, dum tradit, eam amplius non habet. Quoniam itaque nec alius eſt, qui eandem poſſidet, antequam tradita ab accipiente apprehenditur (§. 32.); dum ea traditur, poſſeſſio vacua eſt.

Non obſtare, ſi res vel maxime adhuc ſit, vel etiam remaneat conſenſu accipientis in poteſtate transferentis, ex iis patet, quæ modo ad præcedentem propoſitionem annotavimus (*not.* §. 66.).

§. 68.

Traditio ſupponit poſſeſſionem vacuam.

Si res traditur, poſſeſſio vacua eſſe debet, ſeu nemo alius rem poſſidere debet. Etenim ſi qui dominium tranſtulit rem tibi tradere vult, poſſeſſionem in te transferre debet (§. 23.). Enimvero ſi alius rem poſſidet, transferens poſſeſſionem non habet; adeoque eam in te transferre nequit, ſeu te poſſeſſorem rei, cujus in te dominium tranſtulit, efficere nequit. Patet itaque ſi res traditur, neminem alium eam poſſidere debere, ſeu vacuam eſſe debere poſſeſſionem.

Non confundenda poſſeſſio eſt cum nuda rei detentione. Etſi enim Doctores Juris civilis hanc naturalem poſſeſſionem appellare ſoleant, nos tamen, ad evitandam æquivocationem (§. 143. *Diſcurſ. prælim.*), eum qui rem non detinet tanquam ſuam, ſeu animo ſibi habendi, quemadmodum vulgo loquuntur, non poſſidere, ſed rem in ſua poteſtate tantummodo habere dicimus (§. 461. *part. 2. Jur. nat.*). Unde vocabulum poſſeſſionis naturalis in alio ſumſimus ſignificatu (§. 765. *par. 2. Jur. nat.*), nec in Jure naturæ poſſeſſionem civilem appellare volumus, quæ a lege civili non venit.

§. 69.

Modus tradendi & apprehendendi rem, quæ conſenſu domini eſt penes alium.

Si dominus dominium rei, quæ conſenſu ipſius quacunque de cauſa eſt penes alium, ſeu in alius poteſtate, in te transfert & te eam poſſidere jubet, tu vero utrumque acceptas; ea tibi tradita & a te apprehenſa cenſetur. Etenim ſi dominus dominium rei ſuæ in te a ſe transferri ſufficienter ſignificat, acceptans voluntate ipſius ſtatim efficeris dominus (§. 13.), conſequenter res tua eſt (§. 124. *p. 2. Jur. nat.*). Jamcum porro te rem, dum adhuc conſenſu ipſius quacunque cauſa eſt penes alium, te poſſidere jubeat, *per hypoth.* hoc ipſo ſufficienter ſignificat ſe eam amplius poſſidere nolle,

nolle, conſequenter poſſeſſionem protinus amittit (§. 66.), cumque tu hoc acceptes, *per hypoth.* perinde omnino eſt ac ſi res ex poteſtate ejus, qui conſenſu domini eam habet, rediiſſet in poteſtatem transferentis & poteſtati tuæ ſubjecta conſenſu tuo veniſſet in poteſtatem ejus, qui eam habet (§. 2.). Enimvero ſi ea actu facta fuiſſent, res tibi tradita (§. 24.) & a te apprehenſa fuiſſet (§. 33.). Quamobrem a transferente quoque tradita & a te apprehenſa cenſetur, ſi dominus dominium rei ſuæ, quæ conſenſu ipſius quacunque de cauſa eſt penes alium, ſeu in poteſtate ejus, in te transferens eam te poſſidere jubet, & tu utrumque acceptas.

Ex. grat. ponamus me tibi vendere librum; quem Titio commodavi, ac jubere, ut eum tibi ab eodem a me admonendo reſtitui cures. Quodſi hoc acceptes, librum tibi tradidiſſe videor & tu eundem accepiſſe videris. Sane dum noſti librum eſſe Titio commodatum, & in hoc conſentis, ut tibi a Titio reſtituatur, eidem librum tu commodaſſe videris. Idem eodem modo facile intelligitur de re quacunque immobili, quam Sempronius conduxit.

§. 70.

Quod is ſit ſpecies traditionis brevi manu.

Quoniam in hypotheſi propoſitionis præcedentis actus traditionis ineſſe intelligitur actui, qui celebratur, quando vero hoc accidit, res brevi manu traditur & apprehenditur ab accipiente (§. 41.); *modus, quo res traditur & apprehenditur in hypotheſi propoſitionis præcedentis, ſpecies quædam traditionis & apprehenſionis brevi manu eſt.*

Nil refert, quocunque modo ei, qui conſenſu transferentis rem in poteſtate ſua habet, innoteſcat actus inter transferentem & acceptantem celebratus, ſive is præſens fuerit, ſive abſens a transferente, ſive a te quocunque modo ea de re certior reddatur. Neque enim conſenſus ipſius requiritur ad alienationem rei, quam in poteſtate ſua habet; quam abſque eo validam eſſe ex antea demonſtratis abunde intelligitur. Si quod forte dubium alicui oriatur ex cauſa, cur res in ejus poteſtate ſit in caſu particulari, qui ſumitur; id omne ſua veluti ſponte evaneſcet per ea, quæ ſuo loco de contractibus demonſtraturi ſumus.

§. 71.

Symbolum quid dicatur.

Symbolum dicitur res, qua res alia repræſentatur, cujus loco adhibetur. *Symbolum* adeo *ſignum eſt* (§. 952. *Ontol.*).

Hinc *Struvius*, quando de traditione agit, quod in Juriſp. R. G. lib. 2. tit. 1. §. 61. ſymbolum vocat, in ſyntagmate juris civilis Exercit. 41. §. 57. ſignum dicit. Ita claves; quando repræſentant res incluſas & earum loco adhibentur, ſymbolum appellantur.

§. 72.

Traditio ſymbolica quid ſit.

Traditio ſymbolica dicitur, in qua ſymbola adhibentur, ſeu quæ fit per ſymbola.

Eodem ſenſu cognitionem ſymbolicam diximus in oppoſitione ad intuitivam (§. 289. *Pſychol. empir.*). Terminus traditionis ſymbolicæ non occurrit in Jure Romano, ab ejus tamen interpretibus in Jus civile introductus ad diſcernendos quoſdam traditionis modos a JCtis Romanis propoſitos. Significatum traditionis ſymbolicæ quidam latius extenderunt, ut ea denotetur actus traditionem repræſentans, conſequenter ipſe actus, quo poſſeſſio transferri cenſetur, ſit ſignum traditionis, quo ſignificatu latiori utitur *Mallerus* in Notis ad Syntag. *Struvii* l. c. (*not.* §. 71.), cognitionem ſymbolicam dividens in eam, quæ fit brevi manu, & eam, quæ fit longa manu, ut omnes modi traditionis, qui in Jure Romano occurrunt, ad certas ſpecies reduci poſſint. Et hi negant, in traditione ſymbolica ſemper adhiberi debere rem ab ea, cujus poſſeſſio transfertur, diverſa. Terminorum ſignificatus arbitrarius eſt (§. 36. *Log.*), præſertim ubi primum introducuntur (§. 147. *Diſc. prælim.*), ut adeo ad logomachias delabant-

bantur; qui idcirco ſerram contentionis inter ſe reciprocare volunt. Equidem cum Dd. modos traditionis in Jure Romano occurrentes ad certas ſpecies ideo reducant, ut terminorum ope, quibus eædem indigitantur, memoria facilius retineantur, arbitrium non adeo liberum cenſeri debet, ut omni deſtituatur ratione, cur termino cuidam ſtrictiorem potius, quam laxiorem ſignificatum imponere velis; nondum tamen hinc ſequitur, ſignificatum unum rectius tribui altero, cum perinde eſſe poſſit, ſive caſus quosdam referas ad traditionem ſymbolicam, ſive ad aliam traditionis ſpeciem, modo tot ſint termini & ſinguli eo modo definiantur, ut caſus omnes ſub omnibus contineantur. Id vero adhuc in quæſtione eſt, num in Jure Romano ullus occurrat caſus; in quo traditio ſymbolice fieri dicenda ſive in ſignificatu laxiore, ſive in ſtrictiori ex mente JCtorum Romanorum, hoc eſt, num JCti Romani voluerint in traditione ſymbola rerum loco adhiberi, vel actum quendam alium tanquam ſignum traditionis pro traditione haberi. Sane qui perpendit, traditionem ſymbolicam ſubdividi in eam, quæ fit brevi manu, & eam, quæ fit longa manu, quemadmodum ab iis fieri modo obſervavimus, quibus ſignificatus laxior ſeſe probat, & quid ſit traditio brevi, & longa manu facta (§. 41. 47.); de eo, quod dixi, minime dubitabit. Quid vero nobis ea de re videatur, ex ſequentibus eluceſcet.

§. 73.

An res ſymbolice tradi poſſint.

Traditio ſymbolice fieri poteſt. Etenim ſi dominus voluntatem ſuam ſufficienter declarat, quod tu rem poſſidere debeas, ipſe vero paſſurus ſit, ut dominium in eadem exerceas; quocunque tandem id fiat modo, res tradita cenſetur (§. 29. 31.). Quoniam igitur voluntas non minus verbis, quam factis declaratur, & poſteriori modo hoc fiat, ſi res quædam alia, qua res tradenda ſignificatur, manu porrigitur, ut a te apprehendatur, & per eam poſſeſſio rei, cujus dominium in te translatum, in te translata intelligi debeat, iſtiuſmodi autem res ſymbolum ſit (§. 71.); quin traditio ſymbolice fieri poſſit dubitandum non eſt.

Non abſimili modo oſtendi poterat, in ſignificatu etiam latiori traditionem ſymbolice fieri poſſe. Ceterum exemplum traditionis ſymbolicæ eſt, ſi quis tibi tradit claves ea intentione, ut res incluſæ tibi traditæ ſubintelligantur.

§. 74.

Apprehenſio ſymbolica appellatur, in qua ſymbolum aliquod adhibetur.

Apprehenſio ſymbolica quid ſit.

Quemadmodum nimirum traditione ſymbolica res tradita, ita apprehenſione ſymbolica res apprehenſa ſubintelligitur, conſequenter quemadmodum dimiſſio poſſeſſionis ſymboli ſignificat dimiſſionem poſſeſſionis rei, quam denotat; ita acquiſitio poſſeſſionis ſymboli ipſius rei poſſeſſionem acquiſitam denotat.

§. 75.

Num apprehenſio ſymbolice fieri poſſit.

Apprehenſio ſymbolice fieri poteſt. Etenim in apprehenſione ſymbolica ſymbolum adhibetur (§. 74.), quod rem apprehendendam repræſentat (§. 71.). Quamobrem cum dominium transferens, dum ſymbolum manu porrigit, hoc ipſo declaret, ſe rem, quam repræſentat, amplius poſſidere nolle, & paſſurum, ut tu dominium in ea exerceas, tu vero manu idem apprehendens viciſſim hoc facto declares te rem iſtam poſſidere ac dominium in ea exercere velle, conſequenter quod a transferente tibi offertur acceptes (§. 2.), iſtiuſmodi autem acceptatione apprehenſio, quemadmodum ex ſupra demonſtratis intelligitur, fiat (§. 58. 65. 69.); quin res ſymbolice apprehendi poſſit dubitandum non eſt.

Cum traditio fiat accipienti, atque adeo actus apprehenſionis cum actu traditionis ſemper concurrat, JCti Romani, quando de illo loquuntur, hunc ſemper adeſſe ſupponunt, conſequenter de apprehenſione non diſerte loquuntur, etſi non minus quam a nobis demonſtratum fuit, ad translationem poſſeſſionis & traditionem & apprehenſionem requirant probe perſpicientes, poſſeſſionem niſi utroque actu concurrente acquiri minime poſſe. Unde facile patere poterat, apprehenſionem ſymbolice fieri debere, ſi ſymbolica ſit traditio.

§. 75.

§. 76.

Traditio & apprehenſio ſymbolica per rem quamcunque fieri poteſt. Etenim traditio & apprehenſio ſymbolica fit per ſymbola (§. 72. 74.); adeoque per rem, quæ rem alienam repræſentat, cujus loco adhibetur (§. 71.), nempe hic rem, cujus dominium voluntate domini in te translatum (§. 13.), vel nunc transfertur una cum poſſeſſione (§. 25.). Enimvero res iſta, quæ alterius loco adhibetur, alteram non repræſentat, niſi quia tu vis, ut eam repræſentet, conſequenter quam per rem quamcunque aliam repræſentare potes. Quamobrem cum a tua unice pendeat voluntate, utrum per hanc potius, quam per rem aliam eam, cujus poſſeſſio transferenda, repræſentare velis; traditio & apprehenſio ſymbolica per rem quamcunque fieri poteſt. *Quale eſſe debeat ſymbolum.*

Nimirum cum res, per quas traditio & apprehenſio ſymbolica fit, ſint ſignum rei, cujus poſſeſſio transferenda (§. 71.); ea in numero ſignorum artificialium ſunt (§. 958. *Ontol.*). Dominium ſola voluntate domini transfertur in accipientem ſola hujus voluntate (§. 13.), adeoque non opus eſt, ut ad ipſum transferendum adhibeatur ſymbolum aliquod. Symbola igitur non ſunt niſi ſigna rerum, quarum poſſeſſio transferenda. Videntur etiam ſymbola in transferenda poſſeſſione ſuperflua. Etenim eam rem, cujus poſſeſſio transferenda, nemo alius poſſidere debeat (§. 68.); ſi qui dominium tranſtulit ſufficienter ſignificat, ſe velle ut, eam ab hoc momento poſſideas tu & ſe paſſurum, ut tu dominium in ea exerceas, tu vero hoc acceptes, modo res tibi certa ſit, non impeditus in ea dominium exercere vales, quamprimum volueris (§. 28.), conſequenter res jam eſt in eo ſtatu, quo tibi competit potentia phyſica exercendi dominii, atque adeo poſſeſſio a te acquiſita (§. 740. *part. 2. Jur nat.*). Et patet ex demonſtratione poſſibilitatis traditionis & apprehenſionis ſymbolicæ (§. 73. 75.), hac ipſa declaratione mutua voluntatis transferentis & accipientis mediante ſymbolo transferri poſſeſſionem, nec ſymbola ullum habere effectum, niſi a mutua transferentis & accipientis voluntate. Cur igitur opus eſt ſymbolis ad id, quod ſine iſtis eodem modo fieri poterat. Enimvero ſymbola non ſine omni utilitate adhiberi poſſunt: Declaratio voluntatis mediante ſymbolo facta efficitur magis certa, cum quid actum fuerit per ea magis conſtet, præſertim ubi ſignificatus communi uſu approbatus. Faciunt etiam ſubinde ad rem, cujus dominium transfertur, certam efficiendam (§. 28.), veluti ſi per claves, quibus mediantibus fit traditio, transfertur poſſeſſio rerum incluſarum, ut inde accipienti conſtet quarum rerum etiamſi non viſarum translatum ſit dominium una cum poſſeſſione, vel aliis pateat, quarumnam rerum poſſeſſio in accipientem fuerit translata (§. 28.). Subinde ſignum ſunt poſſeſſionis acquiſitæ, etiamſi tua voluntate res adhuc maneat in alterius poteſtate. Immo dari etiam poſſunt caſus, in quibus ſymbolorum oblatione declaratur voluntas verbis non commode declaranda. Non igitur deſunt rationes, cur in ſtatu etiam naturali ad traditionem ſymbolicam delabantur homines: in ſtatu autem civili peculiares adhuc ſupervenire poſſunt rationes, quæ non ſunt hujus loci.

§. 77.

Si claves traduntur eo fine, ne quid rerum incluſarum auferatur, nec permutetur, aut res eodem fine ſignentur, ne ſcilicet permutentur, vel etiam hoc fine, ut fiant certæ; actus iſte traditio ſymbolica non erit. Etenim in hypotheſi propoſitionis præſentis claves non repræſentant res incluſas, nec earum tradendarum loco adhibentur, conſequenter ſymbola non ſunt (§. 72.). Et quoniam porro per eas traditio facta intelligi nequit, nec clavium traditio pro ſymbolica traditione haberi poteſt, ſi claves traduntur eo fine, ne quid rerum incluſarum auferatur, neve permutentur (§. 73.). *Quod erat unum.* *Actus cum traditione ſymbolica non confundendi.*

Similiter ſi res eo fine ſignentur, ne permutentur, vel ut ſint certæ, ſignatio rerum non repræſentat actum, quo transfertur poſſeſſio, conſequenter patet, nec in ſignificatu laxiori traditionis ſymbolicæ eum pro traditione ſymbolica haberi poſſe (*not.* §. 72.). *Quod erat alterum.*

Exempla caſus prioris ſunt, ſi venditor tradit emtori claves horrei, vel cellæ vinariæ, qui frumenta vel vina emit. Poſteriora vero exempla ſunt, ſi emtor dolia vini ſigillo ſuo firmat, vel trabes ſignat.

§. 78.

Modi traditionis brevi manu cum ſymbolica non confundendi.

Si claves tradantur eo fine, ne quid rerum incluſarum, quorum dominium in te tranſlatum fuit, auferatur, neve eædem permutentur, vel ut tu eas auferre poſſis, quamprimum volueris; item ſi res, quarum dominium in te tranſlatum, eo fine ſignentur, ne permutentur, vel ut fiant certæ, aut etiam cuſtos iisdem apponatur, ne quid earum auferatur te inſcio ac invito; traditio & apprehenſio facta brevi manu. Etenim ſi claves tradantur eo fine, ne quid rerum incluſarum, quarum dominium in te tranſlatum fuit, auferatur, neve eædem permutentur, vel ut tu eas auferre poſſis, quamprimum volueris; hoc ipſo facto declaratur ex parte transferentis, quod de rebus illis amplius nil quicquam pro ſuo arbitrio diſponere velit, & accipiens actu de ea diſponit, illo conſentiente, conſequenter res perducta eſt in eum ſtatum, quo accipienti competit potentia phyſica de rebus, quarum dominium in ipſum tranſlatum fuit, diſponendi pro arbitrio ſuo. Actui igitur, qui celebratur, ineſt actus traditionis & apprehenſionis (§. 24. 33.). Quoniam itaque brevi manu in hoc caſu fit traditio & apprehenſio (§. 41.); ſi claves traduntur eo fine, ne quid rerum incluſarum, quarum dominium in te tranſlatum fuit, auferatur, neve eædem permutentur, vel ut tu eas auferre poſſis, quamprimum volueris; traditio & apprehenſio brevi manu facta. *Quod erat primum.*

Quodſi res, quarum dominium in te tranſfertur, eo fine a te ſignentur, ne permutentur, vel ut fiant certæ, conſequenter ut conſtet, quænam ſint res iſtæ, quarum dominium in te tranſlatum, hoc ipſo actu de iis tanquam tuis diſponis, & quia transferens hoc fieri patitur, tacite declarat ſeſe amplius eas poſſidere nolle. Unde porro eodem prorſus, quo ante, modo patet, ſi res, quarum dominium in te tranſfertur, eo fine ſignentur, ne permutentur, aut ut certæ fiant, traditionem & apprehenſionem brevi manu factam fuiſſe. *Quod erat ſecundum.*

Denique ſi rebus, quarum dominium in te tranſlatum, cuſtos a te apponatur, ne clam auferantur ab alio; eodem prorſus, quo in caſu ſecundo, modo conficitur, traditionem & apprehenſionem factam fuiſſe brevi manu. *Quod erat tertium.*

Traditioni & apprehenſioni non obſtat, quod res, quarum dominium in te tranſlatum, alia de cauſa maneat apud transferentem (§. 35. 40.). Ceterum traditionem & apprehenſionem iis modis fieri, quos propoſitio præſens declarat, agnovere JCti Romani. Ideo *Martianus* l. 9. § 6 ff de acquir. rer. dom. Si quis, inquit, merces in horreo repoſitas vendiderit, ſimul atque claves horrei tradiderit emtori, transfert proprietatem mercium ad emtorem: cum quo conſentit *Papinianus*, qui hoc facto confeſtim emtorem dominium & poſſeſſionem adipiſci aſſerit, etſi non aperuerit horrea l. 74. ff. de contr. emt. Similiter *Paulus* l. 1. §. 21. ff. de acq. vel am. poſſ. vina tradita videri pronunciat, cum claves cellæ vinariæ emtori traditæ fuerint. Et *Javolenus* l. 51. cum *Labeone* ait, poſſeſſionem adipiſci nos, ſi acervum lignorum emero & eum venditor tollere me juſſerit, ego vero cuſtodiam appoſuerim. Denique *Paulus* l. 14. ff. de per. & comm. rei vend. videri trabes traditas pronunciat, quas emtor ſignaſſet. Ex propoſitione præcedente liquet, traditionem & apprehenſionem, de qua loquitur præſens, ſymbolicam non eſſe, quia non ſupponitur, claves repræſentare debere res incluſas, nec ſignationem & cuſtodis appoſitionem repræſentare debere actum traditionis & apprehenſionis. Quodſi igitur quæſiveris, num JCti Romani pro ſymbolica eam haberi voluerint, interpretes Juris Romani id quidem unanimiter aſſerunt, ſed non tam probant, quam ſumunt. Sane ſi ſymbolica eſſe debet traditio & apprehenſio, neceſſe omnino foret, ut lege præſcriberentur ſymbola loco rerum adhibenda & actus repræſentativi traditionis, non vero ſofficeret, ut definiretur quo facto traditio facta videri debeat, quatenus ſcilicet eidem locus non eſt niſi traditione ſubintellecta: quod poſterius in legibus citatis obtinere videtur. Sed nemini ea de re litem movebimus, præſertim cum in Jure Naturæ parum interſit, quid ſenſerint JCti Romani & quid videatur Interpretibus eorundem, nec in Jure civili ullum effectum Juris habeat, ſive placita JCtorum Romanorum Dd. interpretentur de ſymbolica traditione, quæ eo ſenſu ſymbolica non eſt, quo vocabulum accipi ſolet, ſive alio ſenſu quocunque modo iſtos traditionis ſymbolicos appellare malint. In Jure naturæ ſufficit demonſtrare, quod

quod iſtis modis traditio & apprehenſio fieri poſſit, ſeu, quod perinde eſt, poſſeſſio iis modis transferatur: in Jure autem civili abunde ſufficit, ſi ex jure naturæ conſtet, placitis JCtorum Romanorum ineſſe veritatem; ut legum æquitas agnoſcatur, cum ſatis exploratum ſit Romanos voluiſſe, ut Legibus inſit veritas, nec in iis regnet ſolum legiſlatoris arbitrium.

§. 79.

Num modi quidam traditionis & apprehenſionis explicati ſint ficti.

Si traditio eſt actus transferentis, apprehenſio vero accipientis, quo poſſeſſio ab illo in hunc tranſit; modi traditionis & apprehenſionis non ſunt ficti, in quibus res mobilis non manu, nec immobilis pede tangitur, hoc eſt, *modis iſtis revera transfertur poſſeſſio a transferente in accipientem, nec tantummodo transferri fingitur.* Etenim ex illa traditionis & apprehenſionis notione demonſtravimus, etiam iis traditionis & apprehenſionis modis, in quibus res mobilis non manu, nec immobilis pede tangitur, accipientem revera effici poſſeſſorem rei, cujus dominium in ipſum translatum a transferente, non vero tantummodo ſumitur tanquam factum, quod factum non eſt. Quoniam itaque nemo non concedit, fictum minime eſſe, quod revera fit, non vero tantummodo ſumitur, quaſi fiat, cum revera non fiat; modi iſti traditionis & apprehenſionis ficti non ſunt, in quibus res mobilis non manu, nec immobilis pede tangitur.

Non inanis eſt in Jure Naturæ diſquiſitio, an modi traditionis & apprehenſionis ſint veri, an ficti. Etenim in hoc Jure demonſtrandum eſt, quoſnam modos transferendi poſſeſſionem probet Jus Naturæ, hoc autem non admittit fictos, ſed veros, cum Legibus naturalibus inſit veritas, nec merum in iis regnet arbitrium, quemadmodum hebetioribus videtur. Immo nec veritas a legibus poſitivis abeſſe debet, ſiquidem in iis nihil deprehendi debet, quod recte reprehendatur: id quod agnoviſſe JCtos Romanos, nemo acutiorum in dubium revocabit. Hi caſu emergente definituri controverſias de poſſeſſione translata, hoc vel iſto modo eam transferri pronunciarunt. Ac ideo in Pandectis, quæ ex illorum ſcriptis compilatæ ſunt, varii occurrunt modi, quibus poſſeſſio transferri dicitur. Cum poſſeſſio non concipiatur ſine potentia phyſica de re diſponendi pro arbitrio ſuo, veluti de quolibet ejus uſu; nemo non ſtatim videbat, te rem mobilem, cujus in te translatum dominium, poſſidere, ubi ea de manu in manum ſenſu communi traditur: quod cum in immobilibus non ſuccedat, contactui manu facto ſubſtituerunt pedibus factum. A recepto igitur uſu loquendi jam receſſerunt JCti Romani, dum res immobiles tradi dixerunt (§. 139. *Log.*). Quamvis enim interpretes Juris Romani hanc traditionem rerum immobilium ad modos tradendi proprios referre ſoleant, quando in eas introducimur iisque pedibus inſiſtamus; non tamen diffitentur, hanc appellationem communi uſui loquendi non ſatis convenire, dum traditionem rerum mobilium de manu in manum factam modum tradendi maxime proprium vocant, neque enim inter ſignificatum proprium & improprium cadit intermedius, etſi quod improprie dicitur a ſignificatu proprio magis vel minus recedere poſſit. Quando itaque traditio ad res immobiles extenſa efficitur terminus artis, quod ante erat vocabulum in communi ſermone uſitatum, eidem quoque qua termino artis tribuendus erat ſignificatus non minus rebus immobilibus, quam mobilibus conveniens. In præſenti negotio res traduntur a transferente, & apprehenduntur ab accipiente eo fine, ut transferatur poſſeſſio, illo eam dimittente, hoc vero eandem acquirente. Quamobrem definienda omnino eſt traditio per actum transferentis, & apprehenſio per actum accipientis, quo transfertur poſſeſſio, quemadmodum a nobis factum (§. 23. 32. *not.* §. 25. & *not.* §. 33.). Atque hic ſignificatus termini technici proprius eſt, etſi juxta communem loquendi uſum improprius dicendus ſit (§. 148. *Log.*). Omnis adeo traditio & apprehenſio, cui definitio iſta applicari poteſt, propria habenda (§. 349. *Log.*). Quoniam itaque modi omnes, qui vulgo a Doctoribus ficti in oppoſitione ad veros, quibus res proprie tradi dicunt, appellantur, a definitione iſta minime abeunt, prouti ex demonſtrationibus anterioribus liquet; nulla ſane ratio eſt, cur eos pro fictis habeamus. Ceterum ſi quis *modum* traditionis & apprehenſionis *proprium* appellare velit nonniſi eum, in quo adeſt contactus rei ſive manu, ſive pede factus; *fictum* vero, in quo iſtiuſmodi contactus abeſt; per nos hoc faciat, neque enim terminos iſtos ex Jure civili eliminari volumus, ubi docendi gratia introducti, ut memoriæ diſcentium conſulatur, modo ſibi caveat, ne quod fictum dicitur fictum eſſe dicat, & res cum verbis confundens ex notione fictionis de ipſa poſſeſſione, quæ traditione a transferente dimittitur, & apprehenſione ab acquirente acquiritur, ferat judicium a veritate alienum.

§. 80.

Præſtare quid ſignificet.

Præſtare ſignificatu generali idem eſt ac dare & facere.

Quando igitur dicimur obligati ad aliquid præſtandum, hoc ipſo ſignificatur nos obligatos eſſe, ſive ad aliquid dandum, ſive etiam ad faciendum. Dare quid ſignificet, explicavimus alias (§. 675. *part.* 2. *Jur. nat.*): facere vero ſignificat quamlibet actionem externam liberam, qualiſcunque tandem ea ſit. Nimirum homo non habet niſi res & facultatem liberam agendi, unde pendent actiones ipſius liberæ, quæ introductis dominiis æquiparantur rebus, quæ ſunt in dominio noſtro (§. 436. *p.* 2. *Jur. nat.*); ſuntque res vel corporales, vel incorporales (§. 496. 497. *p.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem nemo alteri obligari poteſt, niſi vel ad dandum rem quandam corporalem aut incorporalem, vel ad aliquid faciendum. Unde præſtatio omnis abſolvitur dando & faciendo. Quemadmodum vero actio libera vel poſitiva eſt, vel negativa (§ 24. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); ſub facto etiam non factum comprehenditur.

§. 81.

Ceſſio quid ſit.

Translatio juris, quod nobis competit ad id, ad quod præſtandum alter nobis obligatur, dicitur *Ceſſio*. Hinc *jus noſtrum alteri cedere* dicimur, quando idem in alterum transferimus, vel etiam id, ad quod nobis jus eſt.

Ita ex. gr. jus pignoris, quod habemus in re aliena, alteri cedimus, dum ſufficienter declaramus nos velle, ut jus iſtud, quod nobis competebat, jam alteri competat. Similiter ſi alter mihi obligatus eſt ad ſolvendum centum aureos, & ego in te transfero jus, quod mihi eſt, ſolutionem illorum exigendi: tibi hoc cedo, vel etiam debitum centum aureorum tibi ceſſiſſe dicor.

§. 82.

Cedens & ceſſionarius quinam dicantur.

Qui alteri jus ſuum cedit, dicitur *Cedens*; is vero, cui ceditur, *Ceſſionarius* appellatur.

Sic ſi ego tibi cedo debitum centum aureorum, ut, qui mihi debebantur, jam debeantur tibi, & tibi competat jus ſolutionem exigendi, quod mihi competebat; ego cedens audio; tu vero Ceſſionarius vocaris.

§. 83.

Quomodo fiat ceſſio.

Ceſſio fit mutuo conſenſu cedentis & ceſſionarii ſufficienter declarato. Etenim ceſſio eſt translatio juris, quod mihi in re aliena competit, vel ad id, quod alter mihi præſtare debet (§. 84.). Enimvero jus ſuum in alium transfert, qui verbis vel factis declarat ſufficienter ſe velle ut jus, quod ſibi competebat, ſit alterius (§. 661. *part.* 2. *Jur. nat.*); transferri autem nequit niſi in accipientem (§. 7.), conſequenter etiam hic verbis vel factis ſufficienter declarare debet, quod velit jus alteri competens ſibi competere (§. 2.). Quamobrem eum ceſſionarius ſit, cui jus ceditur, cedens autem, qui idem alteri cedit (§. 82.); ceſſio fit, ſi cedens ſufficienter verbis vel factis declaret, ſe velle, ut jus, quod ſibi competebat, competat alteri, & ceſſionarius itidem verbis vel factis ſufficienter declaret, velle ſeſe, ut jus, quod competebat alteri, ſibi competat. Conſenſus autem conſiſtit in eo, quod unus fieri velit, quod fieri etiam vult alter (§. 658. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ergo ceſſio fit mutuo conſenſu cedentis & ceſſionarii ſufficienter declarato.

§. 84.

§. 84.

Quomodo ceſſione tranſeat jus de uno in alterum.

Quoniam ceſſio fit mutuo conſenſu cedentis & ceſſionarii ſufficienter declarato (§. 83.), *quam primum cedens ſufficienter quomodocunque declarat, ſe velle, ut jus ſuum ſit alterius, & ceſſionarius hoc acceptat, ceſſionarius jus acquirit*, conſequenter *ceſſionarius acquirit jus ſua & cedentis voluntate.*

Ex.gr. Titius mihi debet centum aureos: ego hos centum aureos tibi dono. Enimvero ut eos exigere poſſis a Titio, ego tibi cedo jus eos exigendi. Ceſſio facta intelligitur, quamprimum ego declaro hoc jus tibi competere debere & tu viciſſim declaras, quod id tibi competere velis. Tua igitur & mea voluntate acquiris jus centum aureos, quos mihi debebat Titius, ab eo exigendi. Eodem modo tibi cedere poſſum jus violentum poſſeſſorem vi de poſſeſſione dejiciendi.

§. 85.

Effectus ceſſionis.

Quicquid facere licuiſſet cedenti, id etiam licitum eſt ceſſionario. Etenim ceſſione juris jus eedentis in eeſſionarium tranſit (§. 81.), adeoque ceſſionarius perſonam cedentis repræſentat. Quoniam itaque licitum eſt, ad quod faciendum jus habemus (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); quiequid faeere lieuiſſet eedenti, id etiam eeſſionario licitum eſt.

Ex. gr. in caſu donationis centum aureorum; quos mihi debet Titius, quando jus eos exigendi tibi cedo, tibi in ſtatu naturali competit jus belli in Titium, ſi eos ſolvere noluerit, & jus eidem auferendi res, quarum pretium centum aureos non excedit. In ſtatu autem civili competit actio, ſeu jus tuum adverſus Titium proſequendi in foro. Jure Romano cedi potiſſimum dicuntur actiones. Sed cum actiones ſint jura nobis competentia, quippe in locum belli ſuccedentes in ſtatu civili, quemadmodum ſuo loco oſtendetur, a ſignificatu recepto non abhorret ceſſio jurium, quo termino etiam utuntur interpretes juris Romani. Vid. *Mullerus* in Notis ad *Struvii* Syntag. Exerc. 23. lib. 18. T. 4. §. 78. n. *β*.

§. 86.

Quantum ſit jus ceſſionarii.

Ceſſionario non plus licet, quam quod licuerat cedenti. Etenim ceſſionarius acquiſivit jus, quod cedenti eompetebat (§. 82.). Quamobrem cum eedenti non eſſet licitum, niſi quod vi juris eeſſi facere poterat (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); nec ceſſionario plus lieitum eſſe poteſt, niſi quod vi hujus juris faeere poterat, adeoque ceſſionario non plus licet, quam quod licuerat cedenti.

Non plus juris cedens in ceſſionarium transferre potuit, quam ipſe habuit, ceſſionario autem non facere licet, niſi quod jure ſibi conceſſo facere poteſt, quatenus ſcilicet qua ceſſionarius quid facit: id quod tacite ſupponi poterat.

§. 87.

Qualis ſit obligatio juri ceſſo reſpondens.

Ad quod cedenti quis obligatur; ad idem quoque obligatur idem ceſſionario. Quoniam enim in ceſſionarium transfertur a cedente jus, quod ipſi competit ad id, ad quod præſtandum alter ipſi obligatur (§. 81. 82.), ceſſionarius in locum cedentis ſuccedit, ac ideo ad quod quis eedenti obligatur, ad idem quoque obligatur idem eeſſionario.

Ex. gr. Si tu mihi debes centum aureos, & ego jus meum cedo Titio, Titio centum aureos debes, ſeu tu obligaris ad centum aureos ſolvendum.

§. 88.

§. 88.

Num ceſſione mutetur obligatio ejus, cujus reſpectu jus quoddam ceditur.

Quoniam ceſſionario ad idem obligaris, ad quod cedenti obligatus eras (§. 87.); *obligatio tua ceſſione non mutatur.*

Talis nimirum manet obligatio, qualis erat ante, & tanta manet, quanta fuerat ante. Si mihi debes centum aureos, & hi ſolvendi ſunt in nundinis proximis; nec Titio, cui jus meum ceſſi, plus debes, quam centum aureos; nec iidem ſolvendi ſunt eidem niſi in nundinis proximis.

§. 89.

An ceſſio fieri poſſit ſine conſenſu ejus adverſus cujus jus ceditur.

Ceſſio fieri poteſt inſcio ac invito eo, qui cedenti ad aliquid præſtandum obligatur. Quoniam enim ceſſionario non plus licet, quam quod licuerat cedenti (§. 86.), nec obligatio, qua cedenti tenebaris, ceſſione mutatur (§. 88.); ceſſione nil fit, quod eſt contra jus tuum. Enimvero cedens vi libertatis facere poteſt quod ipſi lubet, independenter a voluntate tua (§. 153. *part.* 1. *Jur. nat.*), quamdiu nil facit contra jus tuum (§. 158. *part.* 1. *Jur. nat.*). Ergo etiam in alterum jus ſuum ad id, ad quod præſtandum tu ipſi obligaris, transferre poteſt te inſcio ac invito, conſequenter te inſcio ac invito ceſſio fieri poteſt (§. 81.).

Vulgo definitioni ceſſionis inſeritur, quod fiat inſcio ac invito eo, adverſus quem fit. Enimvero quod demonſtrari poteſt ex ceteris quæ in definitione ſumuntur; eidem inſerendum non eſt (§ 730. *Log.*).

§. 90.

Ceſſio quando fieri nequeat.

Si ceſſio quomodocunque foret contra jus quoddam tertii cujuſcunque, ea fieri non debet. Vi enim libertatis naturalis facere non licet, quod eſt contra jus alterius (§. 156. *part.* 1. *Jur. nat.*), conſequenter nemo hoc facere debet. Quamobrem nec jus quoddam cedi debet alteri, ſi ceſſio quomodocunque foret contra jus quoddam tertii cujuſcunque, ſeu in hoc caſu ceſſio fieri non debet.

Dari iſtiuſmodi caſus, in quibus ceſſio foret contra jus quoddam tertii, adeoque conjuncta eſt cum injuria alterius (§. 859. *p.* 2. *Jur. nat.*), patebit ſuo loco. Atque tunc vi hujus principii colligetur, eam eſſe illicitam.

§. 91.

Quod ceſſione fiat traditio.

Dum jus ceditur, a cedente quoque traditur & a ceſſionario apprehenditur. Quoniam enim ceſſio fit mutuo cedentis & ceſſionarii conſenſu, cedens ſufficienter declarat, ſe jus in ceſſionarium transferre & paſſurum, ut id exerceat, ceſſionarius vero itidem declarat, ſeſe velle ut hoc jus ſibi competat & ſe idem exerciturum (§. 658. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter quod offert cedens acceptat (§. 2.). Enimvero ſi cedens in ceſſionarium jus ſuum transfert & id ab eodem exerceri patitur, idem tradit (§. 39.), & ſi ceſſionarius hoc acceptat, ipſum apprehendit (§. 65.). Quamobrem dum jus ceditur, a cedente quoque traditur & a ceſſionario apprehenditur.

Recte adeo interpretes Juris Romani affirmant, ceſſionem eſſe loco traditionis in rebus incorporalibus. Nimirum ceſſione cedens miſſam facit potentiam phyſicam exercendi juris, quod in ceſſionarium transfert; quia ipſe hoc jus exercere non vult, & ceſſionarius, cui cedens non reſiſtit, quo minus idem exerceat, non impeditus idem exercere valet, atque adeo

ceſſio-

Digitized by Google

ceſſione transfertur in ceſſionarium a cedente poſſeſſio (§. 744. *part. 1. Jur. nat.*) qualis actus eſt traditio ex parte transferentis, apprehenſio ex parte accipientis (§. 23. 32.). Ceterum non fingi ſubtilitates, quibus carere poteramus, elarius adhuc conſtabit, quando de ceſſione in ſtatu civili verba faciemus: ubi etiam patebit, cur ibidem potiſſimum dicantur cedi actiones.

§. 92.

Ceſſionario competit jus belli adverſus eum, qui cedenti ad aliquid præſtandum obligatur, niſi id ſibi ceſſionario præſtare velit, in ſtatu naturali. Quodſi enim cedenti is, qui eidem ad aliquid præſtandum obligatur, id ipſum præſtare non vult, ſuum, conſequenter & jus ſuum (§. 925. *part. 1. Jur. nat.*), tribuere non vult (§. 923. *part. 1. Jur. nat.*), adeoque ipſi adverſus hunc in ſtatu naturali jus belli competit (§. 1104. *part. 1. Jur. nat.*). Atqui ceſſionario idem facere licitum, quod cedenti facere licuiſſet (§. 85.), conſequenter idem jus competit, quod cedenti competebat (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ergo in ſtatu naturali ceſſionario competit jus belli adverſus eum, qui cedenti ad aliquid præſtandum obligatur, niſi id ſibi ceſſionario præſtare velit. *Jus belli competens ceſſionario.*

In hoc jure belli, quod obtinet in ſtatu naturali, fundatur ceſſio actionum, quibus locus eſt in ſtatu civili; quemadmodum ſuo loco oſtendemus.

§. 93.

Quoniam ceſſionario competit jus belli adverſus eum, qui cedenti ad aliquid præſtandum obligatur, niſi id ſibi ceſſionario præſtare velit, in ſtatu naturali (§. 92.); *in ceſſionarium cum jure ad id, ad quod quis cedenti præſtandum obligatur, transfertur etiam in ſtatu naturali adverſus debitorem jus belli, niſi id præſtare velit ipſi ceſſionario.* *Quomodo in eum transſeat.*

Non mirum Jus belli una cum jure ad id, quod præſtari debet, in ſtatu naturali ſimul transferri. Cum enim hoc jus ſit perfectum (§. 908. *part. 1. Jur. nat.*); eidem jus cogendi ineſt, niſi obligatus præſtare velit, quod debet (§. 235. *part. 1. Phil pract. univ.*). Jus vero cogendi alterum, ſi obligationi ſuæ ſatisfacere noluerit, quod per ſe ineſt omni juri perfecto, eſt jus belli in eum, qui obligationi ſuæ ſatisfacere recuſat (§. 687. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 94.

Quoniam jus belli eſt jus vi perſequendi jus ſuum adverſus eum, qui idem nobis tribuere non vult (§. 1103. *part. 1. Jur. nat.*), ceſſionario autem competit jus belli in eum, qui præſtare ipſi non vult, quod cedenti debebat, nunc ſibi debet (§. 93.); *ceſſionario vi adigere licet eum, qui ſibi præſtare non vult, ad quod præſtandum obligatur cedenti.* *Vis licita in eum, adverſus quem jus ceditur.*

Cum jura ad id cedantur, ad quod præſtandum tertius obligatur cedenti (§. 81.); ſpecialiora, quæ tradi poterant, tunc rectius patebunt, quando modos expoſuerimus, quibus ejuſmodi obligationes contrahuntur.

§. 95.

Jus ſuum remittere dicitur, qui ſufficienter ſignificat, ſe nolle, ut alter ſibi præſtet, ad quod præſtandum obligatur. Unde etiam *remitti* dicitur id, ad quod præſtandum alter obligatur, conſequenter *debitum* (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *Remiſſio juris quid ſit.*

Ex gr. Si tu mihi dare debes centum aureos, mihi competit jus ſolutionem exigendi & niſi ſol-

ſolvere volueris, quemadmodum debes, vi ad ſolutionem te adigendi, ut alios jam taceamus actus, ad quos mihi ex obligatione tua jus naſcitur. Quodſi ſufficienter declaro, me nolle, ut hos centum aureos mihi ſolvas, & tibi debitum remitto, & jus meum ſolutionem a te exigendi, & ſi ſolvere nolueris, ad ſolutionem te vi adigendi, immo jus quodcunque aliud, quod mihi ex obligatione tua naſcitur, remitto. Eodem modo idem patet, ſi tu mihi obligaris ad aliquid faciendum; vel etiam patiendum, ut a me fiat, veluti ſi mihi competat jus agrum tuum hoc anno colendi & ego eundem colere nolo, ſed permitto, ut tu eundem colas. Vernaculo ſermone dicimus ſich ſeines Rechtes begeben, quemadmodum ajmus ſein Recht einem andern abtreten, ſi idem cedimus.

§. 96.

Debitor quinam dicatur.

Qui ad aliquid præſtandum nobis obligatur, vocatur *Debitor*.

Debet enim id præſtare, ad quod præſtandum, hoc eſt, dandum vel faciendum obligatur (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Brevitatis adeo gratia debitor appellatur.

§. 97.

Effectus remiſſionis juris.

Quamprimum jus tuum remittis, debitor ab obligatione ſua liberatur, & jus tuum extinguitur. Etenim dum jus tuum remittis, ſufficienter ſignificas, te nolle, ut alter tibi præſtet, ad quod præſtandum tibi obligatur (§. 95.). Quoniam itaque ad hoc præſtandum nonniſi tibi obligatur *per hypoth.* a tua unice voluntate pendet vi libertatis naturalis, utrum velis, an nolis, hoc tibi ab ipſo præſtari. Quamobrem quamprimum jus tuum remittis, ad nihil præſtandum tibi amplius obligatur, adeoque remiſſione hac juris tui ab obligatione ſua liberatur debitor (§. 96.). *Quod erat alterum.*

Quoniam jus tuum, quod remittis, totum pendet ab obligatione alterius (§. 95.), adeoque in ea rationem ſufficientem habet (§. 851. *Ontol.*), ſublata obligatione, jus eidem reſpondens ſubſiſtere nequit (§. 70. *Ontol.*). Quamobrem cum remiſſione juris tollatur obligatio debitoris, *vi num.* 1. jus quoque tuum ſubſiſtere amplius nequit, conſequenter extinguitur. *Quod erat alterum.*

Cum jus remittitur, non transfertur in alterum, quemadmodum in ceſſione (§. 81.), ut facta remiſſione alii competat, quod antea tibi competebat; nec fit nullius, quemadmodum in derelictione (§. 251. *part. 2. Jur. nat.*), ut idem occupare poſſit, qui voluerit (§. 252. 253. *p. 2. Jur. nat.*), ſed idem prorſus expirat, ut in numero rerum incorporalium non amplius reperiatur.

§. 98.

Partem juris quinam remittat.

Qui ſufficienter declarat, ſe nolle ut totum, quod præſtare debet, alter ſibi præſtet; partem juris ſui remittit. Jus enim totum remittit, qui ſufficienter ſignificat ſe nolle, ut alter præſtet, ad quod præſtandum ſibi obligatur (§. 95.). Quamobrem ſi tantummodo declarat, ut non totum, quod præſtare debet, ſibi præſtet, adeoque ſe velle, ut partem ſaltem ejus præſtet; is partem juris ſui remittit.

Nimirum ſi id, quod præſtari debet, diviſionem admittit, aut plura continet, quorum unum abſque altero fieri poteſt, debitum conſideratur tanquam totum ex pluribus partibus compoſitum, conſequenter etiam jus ad omne, quod debetur, nobis competens, ſpectatur tanquam totum ex partibus conſtans, ut adeo perinde ſit ſive dicas jus remitti ex parte, ſive affirmes, partem juris remitti.

§. 99.

An remiſſio juris ſit modus acquirendi.

Remiſſione juris jus nemini acquiritur. Etenim quamprimum jus tuum remittis, idem extinguitur (§. 97.), adeoque a te non tranſit in alium. Remiſſione itaque juris jus nemini acquiritur.

Patet

Patet adeo remiſſionem juris non eſſe modum acquirendi: per legem tamen continuitatis fictione ſubinde non inutili pro modo acquirendi haberi poteſt tanquam termino, unde incipit translatio juris in alium, vel in quo deſinit. Quemadmodum enim in Arithmetica cyphra conſiderari poteſt tanquam numerus, a quo incipit numerorum ſeries, in Geometria circulus inſtar ellipſis, cujus diametri ſunt in ratione æqualitatis, parabola inſtar ellipſis, cujus foci intervallo infinito a ſe invicem diſtant, in Phyſica quies tanquam motus infinitæ parvæ celeritatis, aut infinitæ tarditatis, ita etiam in Moralibus nemo ſpectari poteſt tanquam perſona. Quodſi enim ſumamus jus transferri in quandam hominum multitudinem, hanc continuo imminui poſſe apparet, donec non relinquatur niſi perſona una, & tandem nulla, ſive nemo: qui caſus ultimus eſt caſus remiſſionis juris. Hæc annotamus in gratiam eorum, qui ad profundiora adſpirant, ſcientiam Juris naturalis ad eam univerſalitatem olim reducturi, quam habere poteſt.

§. 100.

Si quis remittit jus ſuum, ne, qui rem ſuam in poteſtate habet, eandem ipſi reſtituere teneatur; non remiſſione juris dominium transfertur in eum, qui eam in poteſtate ſua habet, ſed quia dominus vult eam fieri alterius, vel non eſſe ſuam. Etenim hac remiſſione juris, qui rem in poteſtate ſua habet, tantummodo liberatur ab obligatione eam reſtituendi, & jus tuum urgendi reſtitutionem extinguitur (§. 95.), conſequenter hoc actu dominium nondum transfertur. Quoniam tamen jus urgendi reſtitutionem non remittis niſi quia vel vis rem fieri ejus, qui eam tenet, vel eam in rerum tuarum numero eſſe non vis; in caſu priori voluntate tua dominium a te tranſit in eum, qui rem habet (§. 13.), in poſteriori rem derelinquis (§. 249 *part. 2. Jur. nat.*), quæ cum fiat nullius (§. 251. *part. 2. Jur. nat.*), occupando is dominium acquirit (§. 252. *part. 2. Jur. nat.*). Atque adeo patet, quod erat demonſtrandum.

An remittendo reſtitutionem rei ſuæ dominium in alterum transferatur.

Si qui fuerint, quibus propoſitio præſens dubia videtur, aut prorſus falſa, id inde eſt, quod communiter reſtitutionem rei remittere dicamur: ſi enim eam reſtituere non teneris, eandem retines, adeoque tua eſt. Enimvero remiſſio reſtitutionis eſt factum, ex quo colligitur te eam habere nolle, conſequenter non remiſſione reſtitutionis transfertur dominium, ſed actu voluntatis, quo eam alterius eſſe ſtatuis. Hic actus vero adeſſe debet, antequam remiſſionem reſtitutionis decernis, etſi eam non ſignifices alteri niſi dum declaras, te reſtitutionem ipſi remittere. Dominium itaque transfertur actu voluntatis, qui remiſſione reſtitutionis tanquam facto ſufficienter ſignificatur. Hinc etiam rem ſua ſponte reſtituere volenti dicere ſolemus, quod eam retinere debeat, vel quod eam habere nolimus. Atque hic caſus ordinarius eſt: caſus derelictionis vero minus frequens. Num alter obtineat, ex circumſtantiis particularibus colligitur. Qui principia pſychologica perſpecta habent, ut actus humanos in notiones diſtinctas reſolvere poſſint, ii nimias ſubtilitates minime accuſabunt.

§. 101.

Qui pœnam remittit, jus puniendi remittit. Pœnam enim remittit, qui eum, quem licite punire poterat, non punit, conſequenter pœnam remittens jus puniendi habet (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univerſal.*), & puniendus (§. 1061. *part. 1. Jur. nat.*) ad pœnam patiendum obligatur (§. 1071. *part. 1. Jur. nat.*), atque adeo qui pœnam remittit ſufficienter ſignificat ſe nolle, ut alter patiatur, ad quod patiendum obligatur. Quoniam itaque præſtatio continet etiam facta (§. 80.) & ſub factis etiam comprehenduntur non facta, veluti in caſu præſenti omiſſio reſiſtentiæ, ſi qui puniendi jus habet te punire voluerit, qui vero ſufficienter ſignificat ſe nolle, ut alter ſibi præſtet, ad quod præſtandum obligatur, jus ſuum remittit (§. 95.); jus puniendi remittit, qui pœnam remittit.

An pœnæ remiſſio ſit ſpecies remiſſionis Juris.

In demonſtranda propoſitione præſenti non utimur niſi principiis, quæ ubivis recepta ſunt. Nemo igitur in dubium revocare poteſt, quod remiſſio pœnæ ſit ſpecies remiſſionis juris, conſequenter ad eam applicari debeant, quæ dehac demonſtrantur (§. 248. *Log.*).

§. 102.

Jus quæſitum quid ſit.

Jus quæſitum dicitur, quod actu nobis competit.

Ex. grat. Si ſponſalia celebraſti publica cum perſona ad matrimonium habili, hæc obligatur ad matrimonium tecum conſummandum & tibi competit jus exigendi conſummationem, quemadmodum ſuo loco demonſtraturi ſumus. Jus igitur habes quæſitum ad matrimonium cum perſona iſta conſummandum.

§. 103.

Renunciatio quid ſit & cuinam fiat.

Juri ſuo renunciare dicitur, qui ſufficienter in gratiam alterius ſignificat, ſe jus quæſitum habere nolle. Hinc *Renunciatio ei fieri* dicitur, in cujus gratiam renunciatur.

Ita fidejuſſor renunciat beneficio diviſionis; tanquam juri pro ſe conſtituto, adeoque vi legis ſibi competenti, conſequenter quæſito, in gratiam creditoris, ut, cum plures ſint fidejuſſores, ipſe tamen eidem in ſolidum teneatur. Filia renunciat hæreditati paternæ in gratiam fratris, ut, cum ipſa ſimul ſuccedere aliquando poſſet in bonis paternis, frater ſolus ſuccedat.

§. 104.

Effectus renunciationis.

Quoniam igitur *renuncians* ſufficienter ſignificat ſe in gratiam alterius jus quoddam quæſitum habere nolle (§. 103.); *ſe ei, cui renunciat, obligat, quod jure ſuo adverſus ipſum uti nolit, & hic acquirit jus non patiendi, ut eodem adverſus ſe utatur.*

Ita fidejuſſor renuncians beneficio diviſionis ſeſe obligat creditori, quod nolit eodem uti, ſi quidem debitor principalis non fuerit ſolvendo, & ipſe acquirit jus in ſolidum exigendi ab eodem ſolutionem, quam a debitore principali conſequi nequit. Similiter filia renuncians hæreditati paternæ in gratiam fratris huic ſeſe obligat, quod ab hæreditate paterna abſtinere velit, ipſi omnia bona patris defuncti ſoli relictura; hic vero conſequitur jus ſororem excludendi ab hæreditate paterna, alias ſucceſſuram una cum ipſo in bonis patris defuncti.

§. 105.

An renunciatio ſit ſpecies translationis juris.

Patet hinc, *renunciatione non transferri in eum, cui renunciatur, jus quod habes, ſed ex obligatione eodem adverſus ipſum non utendi oriri jus alterius.*

In exemplo primo, quod dedimus, id manifeſtum eſt. Etenim beneficium diviſionis, cui renuncias, non acquirit creditor; ſed jus non patiendi, ut eodem utaris adverſus ipſum, quod ex obligatione tua naſcitur, vi renunciationis acquirit. In altero exemplo idem non adeo manifeſtum videtur. Quoniam enim frater, poſtquam filia in gratiam ipſius hæreditati paternæ renunciavit, in bonis patris defuncti ſolus ſuccedit, ſorore ſua excluſa; jus ſuccedendi renunciatrici antea competens in fratrem translatum videtur. Quodſi tamen rem curatius penſites, nec hic quicquam difficultatis ſupereſſe perſpicitur. Quando nimirum filia renunciat hæreditati paternæ; ab ea abſtinere obligatur, patre mortuo, ac frater ipſius acquirit jus non patiendi, ut hæreditatem adeat. Cum itaque jam nemo ſit præter filium, qui hæreditatem adire poſſit, patre mortuo, in bonis ejus ſolus ſuccedere debet. Accurate igitur loquendo dici nequit, jus tuum ſuccedendi in fratrem a te per renunciationem fuiſſe translatum; ſed perinde eſt, ac ſi ſorore mortua ſine liberis frater ſolus ſuperſtes ſuccederet.

§. 106.

Num renunciatio ſit voluntatis.

A voluntate renunciantis unice pendet, utrum juri ſuo renunciare velit, nec ne, & quomodo renunciare velit. Nemo enim jus ſuum alteri, ſive connatum ſit

(§. 64.

Digitized by Google

(§. 64. *part. 1. Jur. nat.*); ſive acquiſitum vi auferre poteſt (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum renuncians ſe obliget alteri, quod jure ſuo quæſito, adeoque actu ſibi competente (§. 192.), adverſus ipſum uti nolit (§. 104.); huic jus eſt eum cogendi ut hoc faciat. Facit igitur hoc libera voluntate, adeoque ab hac unice pendet, utrum juri ſuo renunciare velit, nec ne, & quomodo renunciare velit.

Renuncians ſe propria voluntate obligat ei, in cujus gratiam renunciat, cum jus cogendi alterum ad renunciandum contradictionem involvat. Quodſi enim tibi competit jus alterum cogendi ad renunciandum, alter tibi jam obligatus ad non utendum jure ſuo adverſus te, conſequenter tibi jam competit jus non patiendi ut eodem adverſus te utatur. Non igitur opus eſt, ut in gratiam tui renunciet (§. 104.), cum jam habeas, quod per renunciationem conſequi intendis; alteri vero non competat jus, cui renunciare debet. In caſu particulari hoc manifeſtius eſt. Quodſi enim creditori competit jus te cogendi, ne beneficio diviſionis utaris adverſus ipſum, ubi plures tecum fidejuſſerunt; utique jam habet, quod per renunciationem conſequitur. Eceur igitur opus eſt, ut renuncians demum ſignifices, te hoc facere nolle, cum jam obligatus ſis ad non faciendum?

§. 107.

Quoniam *renunciatio* a voluntate renunciantis pendet (§. 108.); igitur *fieri poteſt tam pure, quam ſub certa conditione a renunciante pro lubitu determinanda, & vel in totum, vel ex parte.* *Quomodo renunciatio fiat.*

Non eſt, quod objicias, leges ſubinde poſitivas præcipere renunciationem, ut adeo renunciatio fieri debeat, ac ea de cauſa neceſſaria appelletur, veluti quando mater ad ſuſcipiendum liberorum tutelam SCto Vellejano & ſecundis nuptiis renunciare tenetur, Nov. 94. cap. 2. Nov. 118. cap. 5. auth. matri & aviæ. C. quand. mat. tut. off. fung. Cum enim hæc neceſſitas nonniſi conditionata ſit, nimirum ſi velit tutelam ſuſcipere; renunciatio ab ipſius voluntate pendet, quatenus tutelæ ſuſceptio ipſius arbitrio relicta: quod ut magis pateat, ſequentem addere lubet propoſitionem.

§. 108.

Si ad actum quendam requiratur alterius conſenſus, & hic conſentire nolit, niſi juri cuidam tuo renuncies; renunciatio a tua voluntate pendet. Etenim in hypotheſi propoſitionis præſentis a tua unice voluntate pendet, utrum ab actu iſto abſtinere, an juri tuo renunciare malis. Quoniam igitur tibi integrum eſt ex duobus hiſce eligere, quod tibi placuerit; ubi renunciare mavis, quam ab actu, ad quem requiritur alterius conſenſus, abſtinere, libere renuncias (§. 941. *Pſych. empir.*). In hypotheſi adeo propoſitionis præſentis adhuc a voluntate tua dependet renunciatio (§. 851. *Ontol.*). *An renunciationis hypothetica neceſſitas obſtet libertati voluntatis?*

Videmus adeo ſubinde etiam in ſtatu naturali, ſepoſita lege poſitiva, ipſo jure naturali renunciationem eſſe hypothetice neceſſariam; eam tamen libertati voluntatis minime obſtare. Ne vero quis exiſtimet, exemplum de tutela matris modo allatum (*not.* §. 107.) huc minime quadrare; probe perpendendum eſt, conſenſum liberorum præſumtum lege ſuſtineri: id quod in civitate fieri debere ſuo loco conſtabit.

§. 109.

Quoniam actio coacta non eſt, quæ a voluntate tua dependet, ut non niſi te volente committatur, quamvis eam omittere malles (§. 580. *part. 1. Phil. pract. univ.*), a tua autem voluntate pendet renunciatio, ſi ad actum quendam requiritur conſenſus alterius, & hic conſentire nolit (§. 109.); *renunciatio coacta non eſt, quæ fit conſenſus alterius ad actum quendam conſequendi gratia, abſque illo conſenſu minime validum.* *An ob eam renunciatio dici poſſit coacta.*

Probe hoc notandum eſt ; ne in hoc caſu particulari renunciatio videatur cum injuria renunciantis conjuncta ; quemadmodum haud raro fieri ſolet.

§. 110.

Jus delatum quodnam ſit.

Jus tibi deferri dicitur, quod num acquirere velis, an nolis, in ſolo tuo arbitrio poſitum eſt.

Ex. gr. Hæreditas tibi defertur ; quando in teſtamento valido inſtitutus fueris hæres: in tuo enim arbitrio ſolo poſitum eſt, utrum dominium in omnibus bonis defuncti acquirere velis, nec ne, nec quiſquam eſt, qui volentem prohibere poſſit, quo minus acquiras.

§. 111.

Repudiatio juris quid ſit.

Jus repudiare dicitur, qui ſufficienter ſignificat ſe jus ſibi delatum habere nolle.

Ita hæreditatem repudiat, qui in teſtamento valido hæres inſtitutus eam adire recuſat. Imperium repudiat ; qui in Regem electus idem accipere non vult.

§. 112.

Repudiatio ad quodnam jus ſpectet.

Quoniam jus delatum repudiamus (§. 110.); jus vero delatum nondum acquiſivimus (§. 102.); *repudiatio pertinet ad jus nondum acquiſitum.*

Patet adeo differentia, quæ inter repudiationem, renunciationem & remiſſionem juris intercedit. Nimirum repudiatio eſt juris nondum acquiſiti; renunciatio vero & remiſſio juris acquiſiti. Remittitur vero jus ad id, ad quod præſtandum alter nobis obligatus eſt (§. 95.); renunciatur juri, quo adverſus alterum uti poteramus (§. 103.). Actus adeo diverſos, quibus jure quodam nos privamus, ſeu eodem ultro cedimus, ſatis a ſe invicem diſcrevimus non contra receptum uſum loquendi. Vid. *Schardius* in Lexico Juridico. Probe autem is obſervat ; renunciare, repudiare, remittere ad finem habere ſignificationem, ut adeo renunciatio, repudiatio & remiſſio per fines diſcerni poſſint. Renunciamus enim juri quæſito, ut alter inde commodum conſequatur ; repudiamus jus acquirendum, ut ipſi incommodum aliquod evitemus ; remittimus jus quæſitum, ut alterum ab obligatione ſua liberemus. Ecce igitur tibi fines diverſos, quos diverſis iſtis actibus conſequi ſtudemus.

§. 113.

An repudiatio ſit modus jus transferendi.

Repudians jus, quod repudiat, in alium non transfert. Etenim qui jus repudiat, tantummodo ſignificat, ſe jus ſibi delatum habere nolle (§. 111.), conſequenter non declarat, ſe jus quoddam, quod ſibi competit, alterius eſſe velle. Quamobrem cum jus in alium non transferat, niſi qui declarat, ſe velle, ut jus quod ſibi competit, ſit alterius (§. 661. *part.* 2. *Jur. nat.*); qui jus repudiat, idem in alium non transfert.

Repudiatio igitur, cum non transferat jus in alium, non eſt modus acquirendi, licet ea in cauſa ſit, ut alius jus quoddam acquirere poſſit, qui alias idem acquiſiturus non fuiſſet. Ita ſi hæreditatem repudias, hoc ipſo actu nemo eandem acquirit, licet alius, cui poſt te eadem lege defertur, eandem acquirere non potuiſſet, niſi tu eam repudiaſſes. Similiter ſi Sempronius Rex electus fuerit, ſed regnum ſibi delatum repudiat, hoc ipſo actu nemo alius imperium acquirit, etſi repudiatio in cauſa ſit, ut alius eligatur, qui alias electus minime fuiſſet.

§. 114.

Repudiatio ſpontanea.

Repudiatio fit ſua ſponte, ſeu proprio motu. Repudias enim jus tibi delatum (§. 111.), quod adeo num acquirere velis, an nolis, in ſolo tuo arbitrio poſitum

tum (§. 110.). Quamobrem cum tua ſponte fiat, ad quod faciendum te ipſe determinas, nulla habita alterius ratione (neque enim alio ſenſu ſua ſponte fieri quid hic dicitur); repudiatio tua ſponte fit.

Differt nimirum hac in re a renunciatione, quæ fit in gratiam alterius, ut adeo plerumque renuncies voluntati alterius ſatisfacturus, qui commodum ſentit ex renunciatione. Etſi vero etiam contingere poſſit, ut ex repudiatione a te facta emergat commodum alterius; id tamen nonniſi ex accidente eſt, nec a te intenditur tanquam finis, quemadmodum ex modo dictis liquet.

§. 115.

Jure ſuo ſe abdicare dicitur, ſi quis ſua ſponte declarat, ſe jus quoddam in ſe collatum, quod ipſe in alium transferre nequit, diutius habere nolle. *Abdicatio juris quid ſit.*

Ex. gr. magiſtratu ſe abdicare dicitur; qui magiſtratum ante tempus deponit. Facit enim hoc ſua ſponte, quod munere iſto diutius fungi nolit: neque vero hoc munus alteri conferri poteſt pro arbitrio ſuo, conſequenter jus, quod habet, in alium transferre nequit. Phraſis hoc ſenſu accipitur l. 2. §. 3. ff. de orig. jur. Et quamvis ſubinde in latiori ſignificatu accipiatur; lubet tamen eandem in ſignificatu nonniſi ſtrictiore accipere, tum ut omnem evitemus æquivocationem, quemadmodum methodus ſcientifica requirit (§. 144. *Diſc. prælim.*), tum quod nulla neceſſitate ſignificatus ad alia extendatur.

§. 116.

Quoniam jus, quo nos abdicamus, in alium pro arbitrio noſtro transferre non valemus (§. 115.); per ſe patet *jure ſuo ſe abdicantem jus, quo ſe abdicat, in alium non transferre.* *An ſit modus jus transferendi in alium.*

Hinc porro conficitur, quod abdicatio juris non ſit modus acquirendi, etſi perinde ac repudiatio (*not.* §. 112.) in cauſa ſit, ut alius jus quoddam acquirere poſſit, qui alias idem non acquiſiviſſet. Quoniam enim tu magiſtratu te abdicas, alii locum facis. Ne autem quis miretur, vel prorſus reprehendat quod de modo acquirendi in genere agentes verba faciamus de remiſſione, renunciatione, repudiatione & abdicatione juris; tenendum eſt, ubi agitur de modo acquirendi, ibi etiam agendum eſſe de cauſis, quæ acquirendo juri locum faciunt.

§. 117.

Naturaliter homo jus ſuum alteri cedere, idem etiam remittere poteſt, quando hac ceſſione vel remiſſione nihil fit contra jus tertii. Etenim vi libertatis naturalis permittendum eſt, ut unusquiſque in determinandis actionibus ſuis ſuum ſequatur judicium, conſequenter faciat, quod ſibi videtur, quamdiu nil facit contra jus tuum (§. 156. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamdiu itaque nemo eſt, contra cujus jus aliquid fit, ſi quis jus ſuum ad id, ad quod præſtandum alter ipſi obligatur, in alium transfert, conſequenter cedit (§. 81.) vel etiam non vult, ut alter ſibi præſtet, ad quod præſtandum obligatur, conſequenter jus ſuum remittit (§. 95.), naturaliter homo jus ſuum alteri cedere, idem etiam remittere poteſt. *Ceſſio & remiſſio juris quando naturaliter permittenda.*

Simpliciter ſeu abſque ulla reſtrictione affirmari nequit ceſſionem & remiſſionem juris eſſe naturaliter permiſſam. Dantur enim omnino caſus, in quibus ex permiſſæ non ſunt, veluti ſi ceſſio in potentiorem tui vexandi cauſa, aut remiſſio in fraudem creditorum fiat, quemadmodum ſuo loco videbimus. Ex notione ceſſionis & remiſſionis juris demonſtrari nequit, quod ea pro lubitu fieri, vel non fieri poſſit: ſed pendet hoc a jure libertatis naturalis, quemadmodum actiones humanæ ceteræ omnes, & ea de cauſa tam ceſſio, quam remiſſio eandem reſtrictionem habet, quam libertas naturalis, & utraque eſt valida, etiamſi imprudenter & contra jus imperfectum alterius, aut contra officium erga ſe ipſum facta.

§. 118.

§. 118.

Renunciatio, repudiatio & abdicatio juris quando naturaliter permittenda.

Naturaliter homo cuilibet juri ſuo quaſito renunciare, ſibi delatum repudiare & jus ſuum abdicare poteſt quamdiu nil fit contra jus tertii. Vi enim libertatis naturalis permittendum eſt, ut unuſquiſque in determinandis actionibus ſuis ſuum ſequatur judicium, conſequenter faciat quod lubet, quamdiu nil fit contra jus perfectum tertii (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*). Quamdiu itaque nil fit contra jus perfectum tertii, ſi juri tuo quæſito renuncias, vel tibi delatum repudias, vel etiam jus tuum abdicas, tibi omnino permittendum, ut renuncies, ut jus tibi delatum repudies, ut jus tuum abdices, conſequenter naturaliter hoc facere potes.

Eadem hic tenenda ſunt, quæ modo de ceſſione & remiſſione juris (*not. §. 117.*) annotavimus. Nemini ſcilicet eſt jus contradicendi & impediendi, quo minus jus cedatur, remittatur, repudietur, abdicetur, vel juri renuncietur, niſi ei, cujus jus perfectum tali actu violatur. Sane ipſum dominium, quemadmodum abunde conſtat ex iis, quæ in parte ſecunda Juris naturalis a nobis demonſtrata ſunt, a libertate naturali habet, quod dominus de re ſua pro lubitu diſponere poſſit, nec naturaliter abuſus ab alio impediri queat, etiamſi charitati adverſetur, veluti cum quis rem perdere, quam egeno dare mavult.

§. 119.

Indigentia hominum introductione dominiorum non ſublata.

Introductis rerum dominiis, nemo res omnes per ſe habere poteſt, quæ ad vitæ neceſſitatem, commoditatem ac jucunditatem, immo & animæ perfectionem acquirendam requiruntur, ac in multis adhuc auxilio & opera aliorum non minus, quam rebus alienis quilibet indiget. Et hæc indigentia tanto major eſt, quanto longius a vitæ ſimplicitate receditur. Patet hoc a poſteriori, modo animum advertere velis ad eas res, quibus homines indigent ad vitam commode, jucunde ac decore tranſigendam, tam naturales, quam induſtriales & artificiales; tum etiam ad operas, quibus indigemus indies. Inprimis autem perpendendum eſt, quotnam requirantur operæ, quinam rerum artificialium ſeu inſtrumentorum apparatus, antequam res induſtriales ad actum perducantur, & quam longa ſit cauſarum ſeries, a quibus actus rerum artificialium dependet, ita ut homo unus ne uni quidem rei artificiali producendæ ſolus ſufficiat. Satis ſuperque hoc apparet, ſi quidem conſideres materiam, quæ in rerum artificialium productione ſpecificatur, & ad ſpecificationem requiſita inſtrumenta, atque ſubſidiarias operas. Qui levi ſaltem attentione utitur, abunde perſpicit, dominiis introductis fieri non poſſe, ut unuſquiſque rebus ſuis ſit contentus, nec indigeat alienis, ut ſua opera perficere ſolus poſſit, quæ fieri debent ſui cauſa, nec opus habeat aliena. Hanc vero indigentiam eſſe tanto majorem, quanto longius a vitæ ſimplicitate receditur, ſtatim pateſcit, ſi eam (§. 68. *part. 2. Jur. nat.*) cum noſtro vivendi genere conferas, quod non omnium idem eſt, uno a ſimplicitate vitæ magis recedente, quam altero.

Oſtenditur etiam a priori hoc modo. Res vel ſunt corporales, vel incorporales (§. 496. 497. *part. 1. Jur. nat.*). Corporales vel ſunt immobiles, vel mobiles (§. 148. 149. *part. 2. Jur. nat.*), & in harum numero ſunt etiam ſe moventes (§. 236. *part. 2. Jur. nat.*). In numero vero incorporalium ſunt jura etiam & facultates animæ (§. 498. *part. 1 Jur. nat.*). Et corporales vel pure naturales ſunt, vel induſtriales, vel artificiales (§ 503. & *ſeqq. part. 1. Jur. nat.*). In vitæ ſimplicitate homines rebus pure naturalibus maxima ſaltem parte contenti (§. 68. *part. 2. Jur. nat.*): multiplicato tamen genere humano vitæ etiam ſimplicitas res induſtriales exigit (§. 72. *part. 2. Jur. nat.*). Quoniam communio primæva abſque charitate ſubſiſtere nequit, ne quidem in ſimplicitate vitæ (§. 77. *part. 2. Jur. nat.*), hæc vero cum ſit virtus, qua alios diligimus tanquam noſmetipſos (§. 620. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter omni ſtudio pro virili id agimus, ut

alter

Digitized by Google

alter ſit felix, ac cavemus, ne fiat infelix (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*), ut non dicam omnes omnino homines, ſed ſaltem plerique eandem colant fieri vix poſſe haud difficulter unuſquiſque largitur, qui quales ſint homines a poſteriori perſpexit; multiplicato genere humano in ipſa adhuc ſimplicitate vitæ diſceſſum fuiſſe facile conjiciet, conſequenter quia communione primæva ſublata dominia introduci neceſſe eſt (§. 140. *part. 2. Jur. nat.*), res pure naturales in dominium deductas & induſtriales ſuas factas fuiſſe intelliget. Cœperunt igitur homines primum res ſe moventes & res mobiles alias ad victum atque amictum neceſſarias cum caſis & tuguriolis ſuis tanquam rebus artificialibus (§. 505. *p. 1. Jur. nat.*), &, ubi tam multiplicatus hominum numerus, quam de vita commodius tranſigenda cogitatio ſedes fixas eligi perſuaſit, fundos etiam, tanquam res immobiles (§. 149. *part. 2. Jur. nat.*), dominio ſubjicere: quo facto non modo ea, quæ natura ſua ſponte in fundis producit, conſequenter res pure naturales (§. 503. *part. 1. Jur. nat.*), verum etiam quæ eadem nonniſi interveniente opera humana largitur conſequenter res induſtriales, (§. 504. *part. 1. Jur. nat.*) ſua fecerunt tanquam fructus (§. 956. *part. 1. Theol. nat.*) jure fruendi (§. 135. *part. 2. Jur. nat.*), quod dominio ineſt (§. 136. *part. 2. Jur. nat.*). Et quoniam hominis actiones iam internæ, quam externæ liberæ æquiparantur rebus, quæ ſunt in dominio ipſius, & hinc etiam opera non minus, quam cultura & cura rerum (§. 436. 437. *part. 2. Jur. nat.*), dominiis rerum introductis omnes etiam hominis actiones tam internæ, quam externæ liberæ, & hinc etiam omnis opera, omnis rerum cultura atque cura accenſendæ fuerunt rebus, quæ ſunt in dominio. Et quoniam res quoque incorporales dominio ſubjici poſſunt (§. 217. *part. 2. Jur nat.*), veluti jus piſcandi in certa fluvii parte (§. 218. *part. 2. Jur. nat.*), jus aucupii in certo fundo (§. 228. *part. 2. Jur. nat.*), vel capiendi aves certæ tantummodo ſpeciei (§. 229. *part. 2. Jur. nat.*), jus venandi in certo fundo (§. 276. *part. 2. Jur. nat.*), vel venandi feras certæ ſpeciei (§. 277. *part. 2. Jur. nat.*) & his gemina; ubi hominibus placuit, iſtiuſmodi quoque jura in dominio eſſe cœperunt. Ubi res ſe moventes & fundi in dominium fuerunt deducti, rei pecuariæ, agriculturæ, horticulturæ opera danda erat, ædificia quoque tam habitationi, quam œconomiæ rurali commoda extruenda erant: cogitandum quoque erat de inſtrumentis commodis ad rem œconomicam faciendam neceſſariis. Atque adeo ad res artificiales parandas animum applicare cœperunt homines (§. 505. *part. 1. Jur. nat.*): quarum numerus & varietas admodum augeri cœpit, ubi ſucceſſive de vita commodius atque jucundius tranſigenda cogitare cœperunt homines, donec tandem ſingula in eum venere ſtatum, in quo nunc ſunt, multiplici opera & cura requiſita, antequam res artificiales ad actum perduci poſſent, ut adeo unius hominis opera & cura minime ſufficeret ob multiplicem & varium admodum laborem ad unius actum requiſitum. Res artificiales fiunt ſpecificatione & ſupponunt materiam habilem (§. 339. *p. 2. Jur. nat.*). Unde ſi materia fuerit aliena, res artificialis communis eſt ſpecificantis & domini materiæ (§. 340. *part. 2. Jur. nat.*), conſequenter ſi ſpecificans fuerit dominus materiæ, eadem tota eſt ſpecificantis ſolius. Introductis adeo dominiis res quoque induſtiales & artificiales in dominio eſſe cœperunt, quæ in communione primæva communes eſſe debebant (§. 29. *part. 2. Jur. nat.*). Cum non omnia poſſimus omnes, ad res induſtriales & artificiales multiplicandas nequid deſit, quod vitæ neceſſitas, commoditas & jucunditas exigit, partienda fuit opera inter homines, quemadmodum hodie factum videmus. Itaque hinc intelligitur, quod introductis rerum dominiis alius habeat res pure naturales, alius artificiales, alius denique in dominio ſuo non habeat niſi operas, quas aliis præſtare poteſt, vel curam, quam rebus alienis impendere valet, quamdiu unuſquiſque retinet quod ſuum eſt, & quod originarie vel quaſi acquiſivit. Nemo igitur dominiis rerum introductis res omnes habere per ſe poteſt, quæ ad vitæ neceſſitatem, commoditatem ac jucunditatem, immo & animæ perfectionem acquirendam requiruntur, ac in multis adhuc auxilio & opera aliorum non minus, quam rebus alienis omnes indigemus.

Quo-

Quoniam in vitæ ſimplicitate homines paucis indigent (§. 69. *part. 2. Jur. nat.*), conſequenter tanto pluribus rebus opus habent, quo longius ab eadem recedunt, id quod etiam ipſa ſimplicitatis vitæ ratio cum ea, quæ nunc nobis eſt, vivendi ratione collata prodit (§. 68. *part. 2. Jur. nat.*); ex ipſa demonſtratione anteriore abunde patet, indigentiam operarum & rerum alienarum tanto eſſe debere majorem, quo longius a vitæ ſimplicitate receditur.

Ad demonſtrationem propoſitionis præſentis majore luce colluſtrandam plurimum facit, ſi diſtinctam actus rerum induſtrialium & artificialium notionem conſequi ſtudeamus, qui, quatenus hæ contingentes ſunt, determinatur per ſeriem contingentium, quæ a ſe invicem dependent ut effectus a ſua cauſa (§. 87. *Coſmol.*) analyſi nunquam a nobis terminanda (§. 87. 90. *Coſmol.*), quatenus vero eædem res induſtriales & artificiales ſunt, in rebus naturalibus tanquam cauſis terminatur, quemadmodum ex notione rerum induſtrialium & artificialium colligere licet (§. 504. 505. *part. 1. Jur. nat.*). Exemplo unico eoque maxime vulgari rem declarare lubet; ſufficit enim hoc ad excitandam attentionem in aliis. Videamus itaque quomodo actus indusii determinetur, ſeu quomodo fiat, ut indusium exiſtat. Conficitur ex linteo opera netricis, quæ linteum ſecat in partes ope forficis & partes conſuit trajiciendo acum filum duplicatum trahentem, acubus in aciario ſervatis, ne earum facile faciat jacturam, ut taceamus res alias, quæ commoditati ipſius inſerviunt, veluti digitale, quo munit digitum ne eidem noceat duritie ſua acus per linteum adurgendæ, cellulam, in qua res ſuas condit & culcitellam, cui linteamina affigit. Materia, nimirum linteum, eſt corpus artificiale, & tale quoque eſt filum duplicatum, talia ſunt inſtrumenta, quibus utitur, forfex & acus, talia quoque ſunt ſupellex ejus, veluti aciarium, cellula, culcitella. Has igitur res exiſtere neceſſe eſt, antequam indusium fieri poſſit, aut ſaltem fieri poſſit commode. Opera vero netricis qua in ea adhibet, ſupponit artem, habitum exercitio acquirendum. Linteum texitur a textore ex filis lineis ope machinæ textoriæ & radii, quo manibus excuſſo trajiciuntur fila tranſverſa per ſtamen, ut taceamus inſtrumenta alia, quibus præterea opus habet. Fila ducuntur ex lino, quod in rerum induſtrialium numero eſt, quatenus ſub vegetabilium genere continetur, artificialibus vero connumerandum, quatenus multo labore nec ſine inſtrumentis præparandum, antequam ex eo nendo fila duci poſſunt. Multifaria opus eſt opera, ut linum ex ſemine agro commiſſo creſcat ac deinde nendo efficiatur aptum, quam hic deſcribi & moleſtum foret, & ſuperfluum. Forfices conficiuntur perinde ac acus ex chalybe ſingularibus opificiis, inſtrumentorum peculiarium apparatum requirentibus. Chalybs paratur ex ferro, ex metallifodinis eruendo & arte metallurgica a ſcoriis ſeparando. Opus etiam eſt inſtrumentis ad fila duplicanda. Quodſi ergo notionem adæquatam actus omnium rerum artificialium, a quibus dependet actus indusii, analyſi eo uſque continuanda, donec ad res pure naturales pervenias, venari & operas omnes humanas huc requiſitas accurate diſcernere volueris; vel hoc uno exemplo convinceris, dominiis rerum introductis neminem eſſe, qui non indigeat multis, quæ aliorum ſunt, & aliorum operis, ſi quidem vitam commode ac jucunde tranſigere, immo etiam animam pro virili perficere velit. Hinc etiam intelligitur actum rerum artificialium plures admodum diverſas requirere operas, quæ in eundem hominem minime cadunt, quam induſtrialium, harum tamen actum dependere ab actu artificialium, quatenus ad res induſtriales producendas neceſſarius eſt uſus inſtrumentorum, quæ ſunt in artificialium numero. Quodſi hiſtoria omnium artium, etiam manuariarum, veluti opificiorum & earum, quæ iſtis viliores reputantur, proſtaret, nexus rerum artificialium & induſtrialium multo foret clarior ac in omnium oculos facile incurreret, multo etiam magis pateret, fieri minime poſſe, ut unus homo per ſe habeat omnia, rerum dominiis introductis, quæ vitæ neceſſitas, commoditas atque jucunditas, immo ipſa animæ perfectio exigit. Non piget hæc paulo expreſſius inculcare, propterea quod alibi etiam animum ad ea attendi opus erit.

§. 120.

Communicatio operarum quid ſit. *Operarum Communicatio* dicitur earundem in uſum aliorum collatio.

Ita operas ſuas communicat cum domino agri, qui eundem ejus juſſu exercet, cum ipſe exercere eundem non poſſit. Tuam meeum communicas operam, ſi mihi MSC. quoddam deſcribis. Idem facit linteo, qui ex meo lino linteum texit.

§. 121.

Qualis ſit dominiis introductis. *Introductis dominiis operarum communicatio æquipollet translationi dominii.* Introductis enim dominiis operæ æquiparantur rebus, quæ ſunt in dominio noſtro (§. 437.

Digitized by Google

§. 437. *part. 2. Jur. nat.*), conſequenter qui operam ſuam in alterius uſum confert, dominium rei ſuæ in eum transferre videtur. Quamobrem cum operam ſuam cum altero communicet, qui in ejuſdem uſum eandem confert (§. 120.); operarum communicatio dominiis introductis translationi dominii æquipollet.

§. 122.

Dare & facere in quantum ſint idem.

Quoniam translatio dominii datio eſt (§. 675. *part. 2. Jur. nat.*), operarum autem in uſum alterius facta collatio ſeu communicatio translationi dominii dominiis introductis æquipollet (§. 121.); *operarum* quoque *communicatio introductis dominiis dationi æquipollet*. Et quia dare idem eſt, ac dominium rei ſuæ in alterum transferre (§. 675. *part. 2. Jur. nat.*), *facere* quoque *perinde eſt ac dare introductis dominiis* (§. 121.).

Poſterius etiam colligi poterat ex eo immediate, quod omnes actiones hominis tam internæ, quam externæ æquiparentur rebus, quæ ſunt in dominio ipſius (§. 436. *p. 2. Jur. nat.*). Hinc adeo porro patet, ſi ego tibi do & tu facis, quod tu mihi viciſſim dare cenſendus ſis. Neque putandum eſt, eum, qui res nullas habet, nihil habere, quod dare poſſit: multa enim habere exiſtimatur, qui multa facere poteſt. Hæc notaſſe proderit in ſequentibus.

§. 123.

Obligatio transferendi dominia & communicandi operas.

Introductis dominiis homines ſibi invicem obligantur ad dominia transferenda & operas communicandas. Introductis enim dominiis nemo per ſe res omnes habet, quæ ad vitæ neceſſitatem, commoditatem atque jucunditatem & animæ perfectionem acquirendam requiruntur, ac in multis quilibet adhuc non minus aliorum auxilio & opera, quam rebus alienis indiget, hac indigentia tanto majore exiſtente, quanto longius a vitæ ſimplicitate receditur (§. 119.). Enimvero unuſquiſque hominum ad perfectionem alterius ſtatuſque ipſius conferre obligatur per ipſam eſſentiam & naturam ſuam, quantum conferre valet (§. 222. *part. 1. Phil. pract. univ.*) conjunctis viribus eandem promovendo (§. 221. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem introductis dominiis homines ſibi invicem obligantur ad dominia transferenda & operas communicandas.

Translatio igitur dominiorum & communicatio operarum, quæ eidem æquipollet (§. 121.), non tantummodo eſt neceſſitatis phyſicæ, verum etiam moralis, etſi ſine phyſica non locus eſſet morali. Neque putandum eſt, quod ſufficiat adeſſe neceſſitatem phyſicam, quæ hominibus imperat translationem dominiorum & communicationem operarum: etenim ex morali conſequuntur, quæ ex phyſica deduci minime poſſunt. Quamobrem propoſitio præſens probe notanda.

§. 124.

Obligatio mutua ad dandum & faciendum.

Quoniam homines ſibi invicem obligantur ad dominium transferendum (§. 123.), transferre autem dominium idem eſt ac dare (§. 675. *part 2. Jur. nat.*), facere autem perinde eſt ac dare (§. 122.), *homines ſibi mutuo ad dandum & faciendum obligantur, prouti unuſquiſque indiget re vel opera alterius* (§. 232. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Qualis vero ſit hæc obligatio & quodnam ex ea jus naſcatur, mox diſtinctius explicabitur.

§. 125.

Res quænam ab alio nobis comparetur.

Rem ab alio ſibi comparare dicitur, qui dominium rei, quæ alterius eſt, ſibi acquirit.

Ita ſi tu dominium libri tui in me transfers, ego eum accipiens dominium ejus acquiro. Librum igitur a te mihi comparaſſe dicor.

§. 126.

Jus res ſibi comparandi ab alio.

Homini competit jus, dominiis rerum introductis, res ab alio ſibi comparandi. Etenim homines ſibi invicem obligantur, dominiis rerum introductis, ad dominia rerum ſuarum transferendum (§. 123.). Quamobrem cum accipiens voluntate transferentis ſtatim efficiatur dominus (§. 13.), conſequenter dominium rei, quæ erat alterius, ſibi acquirat, ex obligatione autem transferentis oriatur jus accipientis (§. 23. *p. 1. Jur. nat.*); dominiis rerum introductis hominibus competit jus dominium rerum, quæ ſunt alterius, ſibi acquirendi. Quoniam itaque res ab alio ſibi comparat, qui earum, quæ ſunt alterius, dominium ſibi acquirit (§. 125.); dominiis rerum introductis homini competit jus res ab alio ſibi comparandi.

Quale ſit hoc jus & quæ porro de eodem notanda, ſuo loco oſtenditur. Sufficit hic conſtare, quod licitus ſit actus comparandi res ab alio, ſi in genere ſpectetur. Neque enim hic agimus de translatione dominii niſi in genere. Abſit autem ut exiſtimes ſuperfluum eſſe, ut demonſtretur, homini competere jus res ab alio ſibi comparandi, videbimus enim ſuo loco non abſque ratione hoc a nobis factum eſſe. Ceterum cum ſuperius oſtenderimus (§. 12.), a domini unice voluntate pendere, utrum dominium rei ſuæ transferre in alium velit, nec ne; mirum forſan videatur nonnullis, qui fieri poſſit, ut ſibi mutuo ad translationem dominii ſui obligentur. Etenim translatio dominii a domini libertate pendet vi libertatis naturalis, quemadmodum ex demonſtratione ſuperiore patet (§. 12.), libertas autem non tollit obligationem naturalem (§. 159. *p. 1 Jur. nat.*). Quamobrem cum obligatione naturali transferendi dominium rei ſuæ, qua nimirum ipſe carere potes, alter vero indiget, prouti mox clarius evincemus, conſiſtit libertas transferendi dominium, quando & in quemnam domino viſum fuerit. Obligantur homines ad dominia rerum ſuarum in ſe invicem transferenda; ſed ego non in ſingulari obligor ad dominium rei meæ in te transferendum, quando tibi viſum fuerit.

§. 127.

Quando non teneamur dominium rei noſtræ transferre in alium.

Nemo tenetur dare alteri, quo ipſe opus habet, ſeu dominium rei ſuæ transferre in alterum, qua ipſe indiget. Quodſi enim ipſe indiges re, qua indiget alter, & cujus in ſe dominium a te transferri vellet, officium erga te ipſum colliditur cum officio erga alium (§. 206. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Sed quando officium erga ſe ipſum colliditur cum officio erga alios, officium erga ſe ipſum vincit (§. 229. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem dominium rei ſuæ in alterum transferre non teneris, qua ipſe indiges, ſeu alteri dare non debes, quo ipſe opus habes (§. 208. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Num igitur ipſe eo indigeas, quod alter ſibi dari a te vellet, vi libertatis naturalis tuo permittendum eſt judicio (§. 156. *part. 1. Jur. natur.*).

§. 128.

Quando jus rem ab alio nobis comparandi nullum.

Quoniam jus alterius ex obligatione tua oritur (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*), tu vero ad dominium rei tuæ in alium transferendum non obligaris, qua ipſe opus habes (§. 127.); *nec alteri jus eſt ad eam rem a te ſibi comparandam, qua ipſe opus habes* (§. 125.).

§. 129.

Operæ communicatio

Porro cum facere perinde ſit ac dare (§. 122.), nemo autem alteri dare teneatur,

neatur, quo ipſe opus habet (§. 127.); *nemo etiam obligatur ad alteri faciendum, ſi ſibi non vacat.*

quando non præcepta.

Non vacat mihi facere, ſi vel mihi quid faciendum eodem tempore, vel ad faciendum alteri jam obligatus ſum. Utroque caſu perinde eſt ac ſi tibi rem dare deberem, qua ipſe carere non poſſum.

§. 130.

Jus alienas operas ſibi comparandi quando nullum.

Quoniam nemo obligatur alteri ad faciendum, ſi ſibi non vacat (§. 129.); *nemini* quoque *dominiis introductis jus eſt ad operas a te comparandas, quando tibi non vacat.*

Hinc injuſtæ, quas moves, ſunt querelæ, ſi quis operas ſuas tibi locare non vult, quando ipſi non vacat: neque enim facit quid contra jus tuum, dum facere non vult, quod fieri velles.

§. 131.

An plura ſint dominia in communione poſitiva.

In communione poſitiva dominium nonniſi unum eſt. Etenim in communione poſitiva dominium in re indiviſa pluribus conjunctim competit (§. 126. *part. 2. Jur. nat.*), adeoque nulli dominium competit in hac, nulli in iſta, nulli in illa parte. Patet itaque non ſingulorum, qui ſunt in communione, dominium quoddam eſſe in certa quadam rei parte, ſed dominium perinde ac rem, quæ in dominio plurium ſimul eſt, eſſe indiviſum. In communione adeo poſitiva dominium nonniſi unum eſt.

Ad illuſtrationem propoſitionis præſentis faciunt, quæ alibi annotavimus (*not.* §. 126. & 127. *part. 2. Jur. nat.*), hic relegenda.

§. 132.

Quot dominia oriantur ex diviſione rei communis & quomodo communio poſitiva intereat.

Si res communis inter eos, qui ſunt in communione poſitiva, dividitur, tot oriuntur dominia, quot ſunt perſonæ, inter quas dividitur, ſeu quot conſtituuntur partes ſeparatæ, & communio poſitiva interit. Quodſi enim res communis inter eos, qui ſunt in communione poſitiva, dividitur, ſinguli acquirunt dominium in ea parte, quæ unicuique tribuitur. Quamobrem tot oriuntur dominia, quot ſunt partes ſeparatæ, ſeu, ſi in una parte non niſi unus dominium conſequitur, quod hic ſupponitur, quot ſunt perſonæ, inter quas res, quæ erat communis, dividitur. *Quod erat unum.*

Quoniam itaque unicuique eorum, qui erant in communione poſitiva, dominium competit in certa quadam parte, facta diviſione *per demonſtrata*; non amplius omnes conjunctim in re indiviſa dominium habent. Quamobrem cum communio poſitiva deſinat, quamprimum non amplius omnes conjunctim in re indiviſa dominium habent (§. 126. *part. 2. Jur. nat.*); ſi res communis inter eos, qui ſunt in communione poſitiva, dividitur, communio poſitiva interit. *Quod erat alterum.*

Quodſi res dividitur in plures partes, quam ſunt perſonæ, & uni tribuuntur partes plures una; partes plures uni cedentes habentur pro una, & diviſio in plures commoditatis tantummodo gratia fit, ut unicuique facilius pars rata tribui poſſit. Ex. grat. Ponamus rem quandam tribus eſſe communem ea lege, ut unus pro tribus, ſecundus pro duabus partibus & tertius pro una parte dominus ſit. Totum ſi dividitur in ſex partes, ut unus tres, ſecundus duas & tertius unam accipiat; idem nonniſi in tres partes inæquales diviſum intelligitur, quæ ſunt in ratione 3. 2. & 1. nempe pars primi ad partem ſecundi in ſeſquialtera, ad partem tertii

in tripla; & pari ſecundi ad partem tertiam in ratione dupla. Totum diviſum revera eſt in tres partes, quarum prima ad ſecundam in ratione ſeſquialtera, ſecunda ad tertiam in dupla eſt. Oriuntur adeo ex hac diviſione tria dominia, adeoque tot, quot ſunt partes ſeparatæ in dominia particularia deductæ,

§. 133.

Quando ex communione poſitiva alia naſcatur.

Si res communis dividitur inter eos, qui ſunt in communione poſitiva, & plures dominium acquirunt in eadem parte conjunctim; communio poſitiva, quæ ante erat, interit & nova oritur quoad plures dominium in eadem parte obtinentes. Etenim ſi res communis dividitur inter eos, qui ſunt in communione poſitiva, quamvis plures dominium acquirant conjunctim in eadem parte, non tamen omnes conjunctim dominium retinent in re tota. Quamobrem cum communio poſitiva non ſubſiſtat, niſi omnes conjunctim in re tota indiviſa dominium retineant, quod ante habuerant (§. 126. *part. 2. Jur. nat.*); communio poſitiva, quæ ante erat, interit, etiam quando res communis dividitur, & plures dominium conjunctim acquirunt in eadem parte. *Quod erat unum.*

Quoniam tamen plures in eadem parte conjunctim dominium acquirunt, *per hypotheſin*, & hæc quoad ipſos ſpectatur tanquam res indiviſa, quod per ſe patet, ubi vero plures conjunctim dominium habent in re indiviſa, communio poſitiva eſt (§. 126. *part. 2. Jur. nat.*); ideo patet, communionem poſitivam novam oriri quoad plures dominium in eadem parte obtinentes. *Quod erat alterum.*

Communionem novam, quæ oritur, non eſſe eandem cum vetere, facile patet ex objecto, quod cum antea eſſet res tota, nunc eſt nonniſi pars quædam, ejus mutato autem objecto, mutatur etiam communio, ſeu non eadem perſiſtit. Fieri etiam poteſt, ut pars una maneat his, alia aliis communis, conſequenter ut loco communionis unius oriantur plures juxta dominia ſeparata. Sed de his diſertius dici non eſt opus. Sufficit oſtendiſſe, diviſione rei communis ſemper interire communionem, quæ ante erat, ſive deinceps oriantur dominia plura ſeparata, ſive communiones novæ inde reſultent. Plura autem loco unius oriri dominia, etiam ſi plures prodeant facta diviſione communiones, palam eſt, cum tot etiam ſint dominia diverſa quot communiones poſitivæ diverſæ exiſtunt (§. 126. *part. 2 Jur. nat.*). Non hic attenduntur perſonæ, cum dominium in eadem re unum idemque ſit, cuicunque perſonæ tandem competat, nec per hoc mutetur jus, quod transfeat ex perſona una in aliam, aut ex una in plures & contra.

§. 134.

Quomodo res dividenda communis.

Quando a communione poſitiva receditur, res pro rata dividenda inter eos, qui in eadem ſunt. Quilibet enim, qui in communione poſitiva eſt, pro parte rei communis dominus eſt (§. 127. *part. 2. Jur. nat.*), conſequenter ubi res dividitur, eam unuſquiſque accipere debet partem, pro qua dominus eſt. Quoniam itaque res pro rata dividitur inter eos, qui in eadem communione ſunt, ſi in ea dividitur ratione, quam habent ad ſe invicem partes, pro quibus illi domini ſunt; quando a communione primæva receditur, res pro rata inter eos dividenda, qui in eadem ſunt.

Nimirum ſi ſinguli fuerint dominus pro parte æquali, veluti ſi tres fuerint pro parte tertia, ut uni tantundem juris in re indiviſa competat, quemadmodum alteri; res dividitur in tres partes æquales & unicuique cedit pars tertia, ita ut jam dominium unicuique competat in parte tertia a toto diſtincta ſeparatum. Quodſi vero unus fuerit pro tribus, alter pro duabus partibus rei indiviſæ dominus res dividenda eſt in duas partes inæquales, quæ ſunt inter ſe ut 3. ad 2. vel, quod perinde eſt, in quinque partes æquales, quarum tres conſtituunt partem majorem, duæ reliquæ minorem. Quoniam totum quodcunque qua totum repræſentari poteſt per lineam rectam; diviſio in caſu quocunque procedit per problema, quo recta data dividi jubetur in partes numero datas, quæ ſunt ad ſe invicem in ratione data.

§. 135.

§. 135.

Quomodo lucrum & damnum in communione poſitiva dividendum.

Qui ſunt in communione poſitiva lucrum & damnum pro rata participant. Etenim qui ſunt in communione poſitiva conjunctim dominus ſunt (§. 127. *part.* 2. *Jur. nat.*). Lucrum igitur & damnum eorum commune eſt & utrumque ſpectatur tanquam res communis inter eos, qui in communione poſitiva ſunt, dividenda. Enimvero ſi res communis dividitur inter eos, qui ſunt in communione poſitiva, communio poſitiva interit (§. 132.), conſequenter ab ea receditur, eaque de cauſa res communis pro rata inter illos dividitur (§. 134.). Ergo qui ſunt in communione poſitiva lucrum & damnum pro rata participant.

Oſtenditur etiam hoc modo. In communione poſitiva plures conjunctim in re indiviſa dominium pro rata (§. 126. *p.* 2. *Jur. nat.*), habent, conſequenter etiam jus ad lucrum unicuique pro rata eſſe debet. Lucrum igitur, quando inter ipſos dividendum, pro rata participant. *Quod erat unum*.

Enimvero cum damnum ex re proveniens ferre debeat rei dominus, quod per ſe patet, quilibet autem in communione poſitiva pro parte dominus ſit (§. 127. *part.* 1. *Jur. nat.*); quilibet etiam pro ea parte damnum ferre debet, pro qua dominus eſt. Qui ergo in communione poſitiva ſunt damnum pro rata participant. *Quod erat alterum*.

Patet adeo damnum & lucrum inter eos dividi, qui ſunt in communione poſitiva per regulam ſocietatis, inferendo nimirum: ut ſumma partium ad partem quamlibet, pro qua quis dominus eſt, ita lucrum vel damnum commune ad partem unicuique competentem. In demonſtratione priori ſuppoſuimus damnum ſpectari debere tanquam rem ſia, qui in communione poſitiva ſunt, pro rata communem. Quoniam enim damnum in jactura rei conſiſtit (§. 486. *part.* 2. *Jur. nat.*), res negativa eſt ſimilis numeris negativis. Quemadmodum itaque ad ſalvandos conceptus univerſales numeri negativi ſeu quantitates negativæ in Matheſi tractantur tanquam numeri, ita etiam res negativæ inſtar rerum haberi poſſunt in Moralibus quæ ſunt verarum rerum, perinde ac numeri negativi verorum numerorum defectus.

§. 136.

Quid faciendum, ſi pars unius prægravet.

Si utilitas ex re percipienda non fuerit magnitudini partium proportionalis; is, cujus pars prægravat, tenetur alteri ad aliud præſtandum, quod æquivalet ei, quod deeſt. Qui enim ſunt in communione poſitiva, lucrum & damnum pro rata participant (§. 135.). Quoniam itaque quavis facta diviſione eam adhuc percipere debet utilitatem, quam ex re indiviſa communi percipiebat, ne alter locupletior fiat cum ipſius damno (§. 585. *part.* 2. *Jur. nat.*); ſi utilitas ex re percipienda non fuerit magnitudini partium proportionalis, conſequenter pars unius prægravet, is, cujus pars prægravat, utique tantundem alteri reſtituere tenetur, in quantum locupletior factus (§. 586. *part.* 2. *Jur. nat.*), adeoque alteri tenetur ad aliud præſtandum, quod æquivalet ei, quod deeſt.

In communione poſitiva jus in re commune eſt (§. 126. *part.* 2 *Jur. nat*). Quamobrem cum res dominio ſubjiciantur propter uſum, quem habere poſſunt (§. 211. *part.* 2. *Jur nat*); ſi qui pro æquali parte domini ſunt, eandem quoque ex re indiviſa percipere debent utilitatem. Rata igitur eorum, qui ſunt in communione poſitiva, minime æſtimanda ex magnitudine partium rei communis, ſed ex utilitate, quæ ex re communi percipitur. Facta diviſione nullius conditio fieri debet deterior, quam erat in communione, nec alterius conditio per hoc fieri debet melior, quod tua ſit deterior: id enim omnino perinde eſt ac ſi alter fieret locupletior ex re tua (§. 584 *part.* 2 *Jur. nat.*). Ceterum cum nondum egerimus de pretio rerum, nec de pecunia, communi pretii rerum omnium menſura, propoſitionem præſentem nonniſi terminis generalibus enunciare licuit. Hiſce perſpectis quod propoſitione præſente præcipitur, ex eo etiam ſequitur, quod nemo dolo vel culpa ſua efficere debeat, ut alter minus habeat, quam habere debet (§. 579. *part.* 2. *Jur. nat.*). Habet enim omnino minus, quam

habet

tæ, veluti in exemplo dato ei, quem ſors definiverit. Atque adeo intelligitur abſque ceſſione juris negotium de communi dividundo exitum habere non poſſe, ſit ita quod ceſſio perſonæ incertæ facienda facilius perſuadeatur iis, qui jus ſuum certæ cedere nolunt, propterea quod illi adhæret ſpes rem acquirendi, conſequenter jure ſuo non cedendi, ut adeo ceſſionem juris in eventum dubium collocans eodem cedere ſibi non videatur, & invitus eodem cedere malit, qui ſua ſponte cedere non vult. Ea eſt quamvis non una de cauſa plurimorum indoles, ut nolentes etshi, quam volentes duci malint.

§. 141.

Cur ad actus dominii requiratur omnium conſenſus in communione poſitiva.

In communione poſitiva nullus actus dominii validus abſque conſenſu omnium, qui in eadem ſunt. In communione enim poſitiva omnes conjunctim, qui in eadem ſunt, dominus rei ſunt communis (§. *127. part. 2. Jus. nat.*), conſequenter volitiones omnium ſimul conſtituunt actum voluntatis domini: quod cum fieri minime poſſit, niſi omnes conjunctim idem velint, eadem vero volentes conſentiant inter ſe (§. *658. part. 1. Phil. pract. univ.*); conſenſus omnium in communione poſitiva conſtituit actum voluntatis domini. Quoniam itaque per naturam dominii nullus dominii actus validus abſque voluntate domini (§. *118. 120. p. 2. Jur. nat.*); in communione poſitiva nullus actus dominii validus abſque conſenſu omnium, qui in eadem ſunt.

Quicquid igitur agitur in adminiſtratione rei communis omnium conſenſu fieri debet. Ita ſi domus fuerit communis, non poterit locari ſine omnium conſenſu. Principium hoc fœcundiſſimum eſt, cum actus dominii ſint longe plurimi, ad quos applicari debet.

§. 142.

Alienatio rei communis abſque omnium conſenſu minime valida.

Quoniam dominus ſeu qui plenum dominium habet, rem alienare poteſt (§. *665. part. 2. Jur. nat.*), adeoque alienatio actus dominii eſt, nullus vero actus dominii in communione poſitiva validus abſque conſenſu omnium, qui in eadem ſunt (§. 141.); *alienatio* quoque *rei communis valida non eſt abſque conſenſu omnium eorum, qui in communione poſitiva ſunt, ſeu, nemo, qui in communione poſitiva eſt, rem communem abſque conſenſu eorum, qui in eadem ſunt, alienare poteſt.*

Ita domus communis a te ſolo, inconſultis ceteris ac invitis, alienari non poteſt.

§. 143.

An pro parte dominium rei communis in alium transferri poſſit.

Quilibet, qui in communione poſitiva eſt, ratam ſuam in alium transferre poteſt. Quilibet enim, qui in communione poſitiva eſt, pro parte dominus eſt (§. *127. part. 2. Jur. nat.*), adeoque pro rata jus in eadem habet. Quoniam itaque a domini unice voluntate pendet, utrum dominium vel jus ſuum in alium transferre velit, nec ne, & in quem transferre velit (§. 12.); quilibet, qui in communione poſitiva eſt, jus quod in re communi habet, adeoque ratam ſuam in alium transferre poteſt.

Ex gr. Si fueris pro quinta parte dominus rei communis, jus tuum in alium transferre potes, ut ipſe fiat pro parte quinta dominus.

§. 144.

Quale jus transferatur, rata translata.

Si qui in communione poſitiva eſt ratam ſuam in alium transfert, jus, quod habet in re indiviſa, non vero in ea parte, pro qua dominus eſt, a toto ſeparata dominium transfert. Etenim quamdiu communio poſitiva ſubſiſtit, tamdiu unusquiſque, qui in eadem eſt, nonniſi jus in re indiviſa habet, minime vero dominium in parte v. gr. tertia a toto ſeparata, ubi pro parte tertia fuerit dominus

Digitized by Google

minus (§. 126. 127. *part. 2. Jur. nat.*). Quoniam itaque nemo in alterum transferre poteſt jus, niſi quod habet, quod per ſe patet; ſi qui in communione poſitiva eſt ratam ſuam in alium transfert, jus quod in re indiviſa habet, non vero in ea parte, pro qua dominus eſt, a toto ſeparata dominium transfert.

Duo diverſa eſſe jura dominium commune in re indiviſa pro parte v. gr. tertia & dominium ſeparatum in parte tertia, aut potius re, quæ ante fuerat pars tertia alterius, nemo non admittere tenetur. Qui in communione poſitiva eſt, ei jus primum competit, non alterum (§. 126. *part. 2. Jur. nat.*), alterum enim demum acquiritur facta diviſione (§. 131.). Jus igitur primum, quod actu habet, non vero quod acquirere debebat transferre poteſt.

§. 145.

Quoniam rem alienat qui dominium ejus in alium transfert (§. 662. *part. 2. Jur. nat.*); *ſi quis pro quarta parte fuerit dominus, partem quartam a re ſeparatam alienare nequit abſque conſenſu ceterorum* (§. 142. 144.). Idem eodem modo intelligitur de parte qualibet alia.

Quando alienatio partis rei communis valida.

Si pars v. gr. quarta rei alienanda ab eo, qui pro parte quarta dominus eſt; neceſſe omnino eſt, ut pars illa ante a tota re ſeparetur, atque eidem aſſignetur: id quod ſine conſenſu omnium fieri oequit. In hoc enim caſu perinde eſt ac ſi res communis divideretur, unus in parte ſibi debita dominium ſeparatum acquireret, ceteri vero in altera tanquam re indiviſa dominium conjunctum commune (§. 133.). Alienatio igitur partis facta ab eo, qui pro parte dominus eſt, non fit jure alienantis, ſed jure omnium, qui in communione ſunt & conjunctim in alienationem conſentiunt. Eſt nimirum actus dominii, (§. 665. *part. 2. Jur. nat.*), quod cum omnibus ſit commune (§. 126. *part. 2. Jur. nat.*), alienatio valida eſſe nequit abſque conſeoſu omnium (§. 141.), & omnium jure communi fit, qui non minus rem totam, quam partem ejus quamlibet alienare poſſunt, quando omnibus conjunctim viſum fuerit.

§. 146.

Naturæ dominii repugnat, ut quis invitus maneat in communione poſitiva. Etenim in communione poſitiva nullus actus dominii validus abſque conſenſu omnium, qui ſunt in eadem (§. 141.), conſequenter qui pro quinta parte dominus eſt, non poteſt de quinta rei parte inconſultis ac invitis ceteris diſponere pro arbitrio ſuo. Quoniam itaque dominium eſt jus diſponendi de re ſua pro arbitrio ſuo (§. 118. *part. 1. Jur. nat.*), naturæ dominii repugnat, ut quis aliis inconſultis ac invitis de ea diſponere minime poſſit, conſequenter eidem quoque repugnat, ut quis invitus in communione poſitiva maneat.

An invitus ut maneat in communione poſitiva naturæ dominii conveniat.

Quamdiu una omnium eſt voluntas, adeoque pleniſſimus conſenſus, communio poſitiva nil habet, quod ſit dominii naturæ adverſum: qui enim pro quinta parte dominus eſt, dum conſentit ut hoc modo diſponatur de re tota, de quinta parte ſibi debita pro arbitrio ſuo diſponit. Quamdiu autem de parte ſibi debita non aliter diſponere vult, quam conſenſu omnium de re tota diſponitur; volens, non invitus in communione manet; aſt ubi aliter diſponere vult, nec ceteri conſentire volunt, tum invitus manet in communione, niſi diviſione dominium ſeparatum in ea parte acquirat, pro qua dominus eſt. Atque tum parum convenit dominio, ut quis non pro arbitrio ſuo de quinta rei parte diſponere poſſit, pro qua dominus eſt.

§. 147.

Quoniam naturæ dominii repugnat, ut quis invitus maneat in communione (§. 146.); *niſi ſingularis adſit obligatio, ne communio tollatur*, ſeu *niſi prohibitum ſit, ne tollatur, ab eo, qui prohibendi jus habet, nemo cogi poteſt ut invitus maneat in communione poſitiva.*

An quis cogi poſſit, ut in communione poſitiva maneat.

Ex communionis poſitivæ notione minime fluit, eam non poſſe tolli (§. 126. *part. 2. Jur. nat.*). Nemo eorum, qui in communione eſt, adeo alterum cogendi jus habet, ut in eadem maneat. Adverſatur hoc libertati naturali (§. 153. *part. 2. Jur. nat.*). Quodſi ergo a communione poſitiva recedi minime poſſit, ſingularia adeſſe debet obligatio, vi cujus in eo permanere tenentur, qui juri ſuo renunciare nolunt. Quoniam a domini unice voluntate pendet, quomodo dominium in alios transferre velit (§. 11.); eccur dubitandum eſt fieri poſſe, ut quis dominium ſub lege communionis manentis in aliquos conjunctim conferat? Vulgo ſimpliciter dicitur, neminem cogi poſſe, ut invitus maneat in communione, &, dum ratio redditur, recenſentur multa incommoda; quæ in eadem ex diſſenſu eorum conſequuntur, qui rem communem habent, veluti quod communio ſit mater diſcordiarum, quod dominium ſeparatum in parte ſit utilius dominio communi pro parte in ee indiviſa & quæ ſunt hiſce gemina. Enimvero ſi quid tibi utile eſt, non ideo jus ad id habes, quia utile (§. 265. *part. 1 Phil. pract. univ.*). Sed jura primitiva ex obligatione aliqua primitiva oriuntur (§. 44. *part. 2. Jur. nat.*), derivativa autem fluunt ex obligationibus & juribus aliis ſe prioribus (§. 46. *part. 1. Jur. nat.*). Rationes igitur, quas diximus, motiva quædam ſunt, cur quis a communione recedere malit, quam in eadem permanere, non vero jus dant ab eadem recedendi.

CAPUT II.

De Obligationem circa Sermonem.

§. 148.

Quomodo loquendum, ut ab aliis intelligaris.

QUi *ab aliis vult intelligi, vocabulis uti debet, prout fert uſus loquendi.* Qui enim vult ab aliis intelligi, is uti debet vocabulis, quibus auditis in mente audientium excitantur notiones, quas ipſe loquens cum iiſdem conjungit (§. 117. *Log.*). Quoniam itaque audito vocabulo ejus rei idea in mente reſuſcitatur, quam cum vocabulo ſæpius una percepimus (§. 273. *Pſych. empir.*); qui ab aliis vult intelligi, vocabulis eas tribuere debet notiones, quibus res repræſentantur iis in communi ſermone indigitatæ. Enimvero qui vocabulis eas tribuit notiones, quibus res repræſentantur iis in communi ſermone indigitatæ, iiſdem utitur prout fert uſus loquendi (§. 139. *Log.*). Quamobrem qui ab aliis vult intelligi, vocabulis uti debet, prout fert uſus loquendi.

Ecce tibi neceſſitatem phyſicam modi loquendi, ubi ab aliis intelligi volueris. Cave autem ne eam confundas cum neceſſitate morali, ſeu obligatione (§. 118. *p. 1. Phil. pract. univerſ.*). Neque enim ſequitur, ſi vis intelligi, hoc modo loquendum, ergo natura obligaris ad hoc modo loquendum, niſi præſupponas te obligari ad ita loquendum, ut ab altero intelligaris: qualis obligatio in omni caſu non adeſt. Secus adeo faciens parum ſapienter ac imprudenter agis (§. 678. *Pſych. rat.* & §. 256. *p. 1. Jur. nat.*), ſed nil facis quod eſt contra jus perfectum alterius (§. 239. *part. 1. Philoſ. pract. univ.*). Antequam igitur conſtet te a communi uſu loquendi recedere non debere vi legis naturalis, evincendum omnino eſt te ad ita loquendum obligatum eſſe, ut ab altero intelligaris. Sunt equidem qui ut obligationem vocabulis utendi in ſignificatu recepto tueantur, pactum tacitum hominum comminiſcuntur de vocabulis non aliter, quam in communiter recepto ſignificatu utendis. Sed cum pactum tacitum niti debeat voluntate præſumta, num propoſito præſens ſit ſufficiens ratio eam præſumendi non immerito dubitatur.

§. 149.

Fundamentum obligationis obſervandi communem uſum loquendi.

Quoniam qui ab aliis vult intelligi, vocabulis uti debet, prout fert uſus loquendi (§. 148.); *qui ad mentem ſuam alteri ſignificandam obligatur vocabulis uti debet in eo ſignificatu, quem fert uſus loquendi.*

Nimirum tunc valet regula communis: Qui obligatur ad finem, is etiam obligatur ad uſum mediorum, ſine quibus finem conſequi non datur. Unde vero ſit obligatio ad mentem ſuam alteri ſignificandam, ſuo patebit loco: neque enim una ejus eademque cauſa ſemper eſt.

§. 150.

§. 150.

Veritas moralis quid.

Veritas moralis eſt convenientia verborum cum cogitationibus. Ut adeo *verum dicat, qui ea cogitat, quæ ſe cogitare dicit*, veluti *quod judicet hoc eſſe verum, quod pro vero a ſe haberi ait; quod velit, quod ſe velle, nolit revera, quod ſe nolle dicit.*

Non confundenda eſt veritas logica cum veritate morali. Logice enim verum, ſi quod affirmas fuerit, quod negas non fuerit (§. 505. *Log.*); at moraliter verum eſt, ſi dicas hanc eſſe mentem tuam, & ea mens tua ſit, non attenta veritate logica, ubi de judiciis ſermo fuerit. Veritati morali ineſt veritas logica; quatenus id in mente tua eſt, quod verba ſignificant, adeoque quod moraliter verum eſt ſubjective verum eſt etiam logice, licet objective falſum eſſe poſſit, ubi logice conſideratur.

§. 151.

Quando moraliter verum dicat, qui quod falſum eſt dicit.

Si quod eſſe putas eſſe dicis, cum non ſit & contra, moraliter verum loqueris. Etenim ſi eſſe vel non eſſe dicis quod eſſe vel non eſſe putas, etiam ſi in caſu priori non ſit, in poſteriori ſit; verba tua cum cogitationibus tuis conveniunt, hoc eſt, quod ſignificant, illud eſt. Enimvero ſi verba tua cogitationibus tuis conveniunt, moraliter verum loqueris (§. *150.*). Ergo moraliter verum loqueris, ſi quod eſſe putas eſſe dicis, cum non ſit & contra.

Ex. gr. Si quis ex te quærit, num Mævius ſit domi, &, dum putas eum eſſe domi, cum non ſit, reſpondes quod ſit; moraliter verum dicis. Ex adverſo ſi putas eum non eſſe domi, cum ſit; quæſitus reſpondens, quod non ſit, moraliter verum dicis. Aſt in utroque caſu logice falſum eſt, quod dicis. Patet adeo quomodo dicendo falſum loquamur verum.

§. 152.

Falſitas moralis quid ſit.

Falſitas moralis eſt diſconvenientia verborum cum cogitationibus noſtris. *Falſum* adeo *loquitur, qui aliter cogitat, quam ſe cogitare dicit*, veluti ſi dicat hoc eſſe falſum, quod pro vero habet, vel ſi judicet eſſe verum, quod pro falſo a ſe haberi ait, ſi velit, quod ſe nolle, vel nolit, quod ſe velle affirmat.

Opponitur falſitas moralis falſitati logicæ, quæ eſt diſconvenientia verborum cum rebus (§ 505. *Log.*). Nimirum veritas & falſitas moralis atque logica non idem habent objectum: moralis verſatur circa cogitationes, ſeu actus internos animæ, quorum tibi conſcius es (§. 23. *Pſych. empir.*), logica autem circa res, quas cognoſcimus. Si de veritate vel falſitate morali ſermo fuerit, id tantummodo quæritur utrum ea cogites, nec ne, quæ verba tua ſignificant, v. gr. ſi ex te quæritur, num Titius ſit domi, & tu reſpondes: Titius eſt domi, num tu putes eum eſſe domi. Aſt ſi de veritate vel falſitate logica quæſtio eſt, tum quæritur, num ſit quod eſſe affirmatur, vel non ſit, quod eſſe negatur, veluti cum tu dicis: Titius eſt domi, num revera ſit domi, an non ſit. Differentiam veritatis moralis a veritate logica & falſitatis moralis a falſitate logica probe perſpicere plurimum refert: multa enim hinc pendent in moralibus, quæ alias non ſatis intelliguntur, quemadmodum ſuo loco conſtabit.

§. 153.

Quando falſum loquamur dicendo verum.

Si quod eſſe putas non eſſe dicis, cum non ſit, & contra, moraliter falſum loqueris. Etenim ſi quod eſſe putas non eſſe dicis, cogitationes tuæ ac verba tua inter ſe non conveniunt, licet non ſit, quod non eſſe dicis. Similiter ſi quod non eſſe putas, eſſe dicis, cogitationes tuæ cum verbis tuis minime conveniunt, quamvis ſit, quod eſſe dicis. Quoniam itaque moraliter falſum loqueris, quando cogitationes tuæ ac verba tua inter ſe non conveniunt (§. 152.);

Digitized by Google

falſum moraliter loqueris, ſi quod eſſe putas non eſſe dicis, etiamſi non ſit, vel quod non eſſe putas eſſe dicis, quamvis revera ſit.

Ex. gr. Quæro ex te, num Titius ſit domi, tu putas eum non eſſe domi, & reſpondes, quod ſit domi, etiam ſi hic domi ſit, mo aliter falſum loqueris, neque enim verba tua ſignificant quod cogitas. Similiter ſi tu putas Titium eſſe domi, qui non eſt., & reſpondes, quod non ſit domi, moraliter denuo falſum loqueris, cum aliud loquaris, aliud cogites, adeoque verba tua non conveniant cum cogitationibus tuis. In utroque caſu logice tamen verum eſt, quod dicis. Atque adeo patet, quomodo dicendo verum moraliter falſum loqui poſſimus.

§. 154.

Veriloquium quid ſit.

Veriloquium eſt ſermo moraliter verus.

Moraliter verum eſt, ſi verba, quæ profers, animi tui ſenſa exprimant (§. 150.). Hinc veriloquium eſt, ſi dicas te hoc facere velle, quando tibi eſt animus hoc faciendi, ſi dicas; Titium primum ſtrinxiſſe gladium, ubi hoc ab ipſo factum eſſe putas.

§. 155.

An ſupponat veritatem logicam.

Quoniam veriloquium eſt ſermo moraliter verus (§. 154.), moraliter vero verum eſſe poteſt, quod logice falſum eſt (§. 151.); *veriloquium non ſupponit veritatem logicam, nec per ipſum veritas logica probatur.*

Nimirum moraliter verum loqui poteſt, qui dicit falſum (§. 151.). Quamvis adeo certus ſis alterum moraliter verum loqui, non tamen hinc colligere potes, quod hoc ſit verum.

§. 156.

Falſiloquium quid ſit.

Falſiloquium eſt ſermo moraliter falſus.

Moraliter falſum eſt, ſi verba, quæ profers, ſint a mente tua aliena (§. 152.). Hinc falſiloquium eſt, ſi dicas te hoc facere velle, quando tibi eſt animus non faciendi, vel te hoc facere nolle, quando tibi eſt animus faciendi; item ſi dicas Titium primum ſtrinxiſſe gladium, ubi hoc ab ipſo factum non eſſe putas, aut num factum ſit, ignoras. Qui enim affirmat, ſe noſſe fatetur quod affirmat: qui ignorantiam confitetur, nec affirmare, nec negare audet, ſed judicium ſuſpendit.

§. 157.

Quoniam falſiloquium eſt ſermo moraliter falſus (§. 156.), moraliter vero falſum eſſe poteſt, quod logice verum eſt (§. 153.), *falſiloquium non ſupponit falſitatem logicam, nec per ipſum probatur falſitas logica.*

Nimirum moraliter falſum loqui poteſt, qui dicit logice verum (§. 153.). Quamvis adeo certus ſis alterum moraliter falſum dicere, non tamen hinc colligere datur, quod ſit falſum.

§. 158.

Veriloquium, & falſiloquium quales ſint actiones.

Veriloquium actio externa ſincera eſt; falſiloquium ſimulata. Veriloquium eſt ſermo moraliter verus (§. 154.). Quamobrem cum ſermo actio externa ſit (§. 567. *part. 1. Theol. nat.*), idemque moraliter verum eſt, ſi verba cum cogitationibus noſtris conſentiunt (§. 150.), quas eſſe actiones internas conſtat (§. 567. *part. 1. Theol. nat.*), ſincera autem ſit actio externa, quæ cum interna conſentit (§. 714. *part. 2. Phil. pract. univ.*); veriloquium actio externa ſincera eſt. *Quod erat unum.*

Si-

Similiter falſiloquium eſt ſermo moraliter falſus (§. 156.). Quamobrem cum ſermo ſit actio externa (§. 567. *part.* 1. *Theol. nat.*), idemque moraliter falſus ſit, ſi verba cum cogitationibus noſtris, actibus internis (§. 567. *part.* 1. *Theol. nat.*), minime conveniunt, ſeu ab iisdem diſſentiunt (§. 152.), ſimulata autem ſit actio externa, quæ ab interna diſſentit (§. 716. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*); falſiloquium actio ſimulata eſt. *Quod erat alterum.*

Si verba cum cogitationibus noſtris conveniunt, eas, quas habemus, cogitationes ſignificant, adeoque iisdem minime contrariantur, conſequenter cum iisdem conſentiunt (§. 714. *p.* 2. *Phil. pract. univ.*). Ex adverſo ſi verba cum cogitationibus noſtris non conveniunt; eas; quas habemus cogitationes non ſignificant, ſed potius contrarias, adeoque ab iisdem diſſentiunt (§. 716. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*).

§. 159.

Homo obligatur ad animi ſui ſenſa alteri ſignificanda, quando ſine hoc officio cuidam naturali, vel obligationi cuidam, qua alteri in ſingulari tenetur, ſatisfieri nequit. Officio enim jure naturali ſatisfacere tenetur (§. 224. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & quoniam obligationi contractæ, qua alteri in ſingulari teneris, ſimiliter ſatisfaciendum, niſi is te ab ea liberare velit (§. 236. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quod hic non fieri ſupponitur, obligationi quoque contractæ, qua alteri in ſingulari tenemur, ſatisfacere debemus. Quodſi ergo alterutri harum ſatisfieri nequit, niſi animi noſtri ſenſa alteri ſignificemus, quin ad eadem ipſi ſignificanda obligemur dubitandum non eſt. *Quando quis obligatur ad animi ſui ſenſa alteri ſignificanda.*

Vi libertatis naturalis permittendum unicuique, num animi ſui ſenſa nobis ſignificare velit, an nolit (§. 156. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quoniam tamen libertas non tollit obligationem naturalem (§. 159. *p.* 1. *Jur. nat.*), conſequenter vi ejuſdem tibi non licet omittere, quod eſt officii tui erga alios (§. 222. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); nec animi tui ſenſa celare alterum licet, quando hoc fieret cum neglectu officii tui erga ipſum. Quodſi facto quodam tuo obligationem contraxiſti, qua alteri in ſingulari teneris, ſponte libertati naturali quoad ea renunciaſti, quæ illa exigit: id quod unumquemque facere poſſe, ipſa libertas naturalis inſinuat (§. 106). Quodſi ergo ea exigit, ut animi tui ſenſa alteri ſignifices, hoc utique faciendum, nec jus te defendit libertatis naturalis, ubi hoc facere nolueris.

§. 160.

Quoniam ad officia erga alios, quæ ſunt officia humanitatis (§. 655. *part.* 1. *Jur. nat.*), alteri imperfecte tantummodo obligamur (§. 659. *part.* 1. *Jur. nat.*), adeoque alteri ad ea nonniſi jus imperfectum competit (§. 238. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); jus vero, quod reſpondet obligationi, qua alteri in ſingulari tenemur, perfectum eſt (§. 908. *part.* 1. *Jur. nat.*), homo vero alteri obligatur ad animi ſui ſenſa ſignificanda, quando ſine hoc officio cuidam naturali, vel obligationi cuidam contractæ, qua alteri in ſingulari tenetur, ſatisfieri nequit (§. 159.); *homo obligatur ad animi ſui ſenſa alteri ſignificanda, quando ipſi jus imperfectum, vel perfectum ad hoc competit.* *Idem tenus expenditur.*

Patet adeo neminem a te exigere poſſe, ut animi tui ſenſa eidem ſignifices, niſi jus minimum imperfectum ipſi competat ad notitiam cogitationum tuarum, quo violato juſta demum ipſi conquerendi cauſa eſt, quod eas ſibi ſufficienter indicare nolueris. Si nullo jure hoc prætendit, libertati tuæ relictum eſt, quid facere velis, immo quod hoc prætendat juri libertatis adverſatur, ita ut tibi ſit de eo conquerendi cauſa juſta.

§. 161.

Ad veriloquium obligamur, quando alteri ad animi noſtri ſenſa indicanda obligamur ſive perfecte, ſive imperfecte. Quando enim alteri obligamur ad animi noſtri *Quando veriloquium* ſenſa

lege naturali praeceptum. ſenſa indicanda, neceſſe eſt ut verba, quæ facimus, adhibeantur, quibus auditis intelligitur, quæ animo noſtro ſententia ſedeat, conſequenter ut verba cum cogitationibus noſtris conveniant. Quamobrem cum veritas moralis in convenientia verborum cum cogitationibus noſtris conſiſtat (§. 150.), ſermo, qui ex illis conſtat, moraliter verus eſſe debet. Enimvero ſermo moraliter verus veriloquium eſt (§. 154.). Ad veriloquium adeo obligamur, quando alteri ad animi noſtri ſenſa indicanda obligamur ſive perfecte, ſive imperfecte.

Videmus adeo, quando veriloquium ſit lege naturali præceptum (§. 164. *pars* 1. *Phil. pract. univ.*). Omnis enim obligatio vel naturalis eſt, vel a naturali vim ſuam habet. Unde alteri ad animi noſtri ſenſa indicanda obligamur; vel quando lex naturæ præcipit ut hoc faciamus, vel quando ea jubet, ut obligationi ſponte contractæ ſatisfiat.

§. 162.

Idem ulterius expenditur. Quoniam ad animi ſenſa alteri indicanda obligamur, quando fine hoc officio cuidam naturali, vel obligationi cuidam contractæ, qua alteri in ſingulari tenemur, ſatisfieri nequit (§. 159.), ſeu quando alteri jus ad hoc competit, ut ipſi animi noſtri ſententiam dicamus (§. 160.), ad veriloquium vero obligamur, quando alteri ad animi noſtri ſenſa indicanda ſive perfecte, ſive imperfecte obligamur (§. 161.): *ad veriloquium obligamur, quando ſine eo officio cuidam naturali, vel obligationi cuidam contractæ, qua alteri in ſingulari tenemur, ſatisfieri nequit, ſeu quando ipſi jus imperfectum, vel perfectum ad hoc competit, ut animi noſtri ſenſa eidem aperiamus.*

Vi hujus principii in quocunque caſu dato ſemper dijudicare licebit, utrum veriloquium ſit præceptum, nec ne, ita ut nec ſine peccato omitti, nec falſiloquium eidem ſubſtitui poſſit (§. 440. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*): qui enim verum dicere tenetur, nec veritatem celare, nec falſum dicere debet. Iſtud peccatum omiſſionis, hoc peccatum commiſſionis eſt (§. 24. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ut adeo clarius appareat peccatum commiſſionis legi naturæ, quæ veriloquium urget in caſu propoſitionis præſentis, adverſari, ſequentem addere lubet propoſitionem.

§. 163.

Quando animi ſui ſenſa non ſint celanda. Quoniam qui hoc faciendum obligatur ad contrarium non faciendum ſimul obligatur (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*), ad veriloquium autem, conſequenter ad verum moraliter dicendum (§. 154.), obligatur, qui ſine veriloquio officio cuidam naturali, vel obligationi contractæ, qua alteri in ſingulari tenetur, ſatisfacere nequit, ſeu qui verum non dicendo faceret hoc contra jus vel perfectum vel imperfectum alterius (§. 162.); *veritatem, conſequenter animi ſui ſenſa* (§. 150.), *alterum celare non debet, quando officium aliquod erga alium, ſeu obligatio contracta, qua alteri in ſingulari tenetur, exigit, ut verum loquatur, ſeu animi ſui ſenſa indicet, aut ſi alteri cuidam jus ſive perfectum, ſive imperfectum ad hoc eſt, ut verum loquatur, ſeu animi ſui ſenſa indicet.*

Qui verum non dicit, quando dicere debet, ſed celat, is utique omittit, quod facere debebat (§. 24. *part.* 1. *Phil. pract. univerſ.*), atque adeo celare veritatem, quando ad veriloquium obligamur peccatum omiſſionis eſt. Conſtat itaque peccatum hoc omiſſionis repugnare legi naturæ, qua ad veriloquium obligamur.

§. 164.

Quando falſiloquium prohibitum. *Quando ad veriloquium obligamur, a falſiloquio abſtinere debemus, ſeu falſiloquium illicitum eſt.* Quando enim ad veriloquium obligamur, cum veriloquium ſermo ſit moraliter verus (§. 154.), verba noſtra cum cogitationibus noſtris convenire debent (§. 150.), conſequenter cum lex præceptiva ſit ſimul prohibitiva

bitiva contrarii (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*), prohibitum eſt uti verbis, quæ a cogitationibus noſtris diſſentiunt, adeoque ab iis abſtinendum (§. 163. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero ſermo, qui conſtat ex verbis a cogitationibus noſtris diſſentientibus, moraliter falſus (§. 152.), adeoque falſiloquium eſt (§. 156.). A falſiloquio igitur abſtinere debemus, quando ad veriloquium obligamur, conſequenter falſiloquium illicitum eſt (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Contradictoria ſunt verum loqui & verum non loqui. Sed qui falſum loquitur non loquitur verum (§. 150. 152.). Ergo qui obligatur ad loquendum verum, ei permiſſum non eſt loqui falſum. Manifeſtum itaque eſt in eo caſu, quo ad veriloquium obliquamur, falſiloquium illicitum eſſe. Ex. gr. Si tibi animus non eſt mutuo mihi dandi pecuniam, & cum neceſſe ſit ut mihi dicas, num mutuo dare velis, non licet dicere ac verbis fidem tuam adſtringere, quod dare velis.

§. 165.

Idem ulterius expenditur.

Quoniam ad veriloquium obligamur, quando ſine eo officio cuidam erga alios vel obligationi cuidam contractæ, qua alteri in ſingulari tenemur, ſatisfieri nequit, ſeu quando alteri jus eſt ad animi noſtri ſenſa cognoſcenda ſive perfectum ſive imperfectum (§. 162.); a falſiloquio autem abſtinere debemus, quando ad veriloquium obligamur (§. 164.); *falſiloquium illicitum eſt, ſeu ab eo abſtinere debemus, quando ſine veriloquio officio cuidam erga alios, vel obligationi contractæ, qua alteri in ſingulari tenemur, ſatisfieri nequit, ſeu quando alteri jus ſive imperfectum, ſive perfectum eſt ad animi noſtri ſenſa cognoſcenda.*

§. 166.

Undenam falſiloquium illicitum reddatur.

Quoniam falſiloquium repugnat officio cuidam erga alios, vel obligationi contractæ, qua alteri in ſingulari tenemur, ſi ſine veriloquio neutri ſatisfieri poſſit, quando autem ſatisfieri nequit ſine veriloquio, falſiloquium illicitum eſt, & ab eo abſtinere debeamus (§. 165.); *falſiloquium, quod repugnat officio cuidam erga alios, vel obligationi contractæ, qua alteri in ſingulari tenemur, illicitum eſt & ab eo abſtinendum.* Et eodem modo patet, *falſiloquium illicitum eſſe, quod eſt contra jus ſive perfectum, ſive imperfectum alterius.*

Atque adeo patet, falſiloquium in ſe non eſſe illicitum, ſed illicitum effici repugnantia cum officio erga alios, vel obligatione, qua alteri teneris in ſingulari, aut, ſi mavis, cum jure ſive perfecto, ſive imperfecto alterius: quando enim repugnat officio erga alios imperfecto, cum jure alterius imperfecto pugnat, quando autem repugnat officio perfecto, aut obligationi, qua alteri in ſingulari teneris, cum jure perfecto alterius pugnat. Falſiloquio itaque in ſe non ineſt moralis quædam turpitudo, ſed eam trahit ab actu moraliter turpi, qui eidem accedit.

§. 167.

Quando veritas reticenda & veriloquium illicitum.

Si veriloquium pugnat cum officio aliquo erga alios, vel obligatione contracta, qua alteri in ſingulari tenemur, hoc eſt, ſi vera dicendo contra officium vel obligationem contractam, qua alteri in ſingulari tenemur, agamus; a veriloquio abſtinere debemus, ſeu veritas reticenda. Idem etiam valet, ſi veriloquium eſt contra jus alterius ſive perfectum, ſive imperfectum. Cum enim obligatio ſit neceſſitas agendi moralis (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), nemo non concedere tenetur, quod officio non minus tanquam actioni, ad quam omittendam obligamur (§. 224. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quam obligationi contractæ, qua alteri in ſingulari tenemur, ſit ſatisfaciendum (§. 120. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter quod omittendum ſit, quicquid contra officium iſtud, vel obligationem iſtam eſt (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quodſi ergo veriloquium pugnat cum officio aliquo erga alios vel obligatione contracta, qua alteri in ſingulari tenemur, ſeu,

quod

Ita ſi tu domioium libri tui in me transfers, ego eum accipiens dominium ejus acquiro. Librum igitur a te mihi compsraſſe dicor.

§. 126.

Jus res ſibi comparandi ab alio.

Homini competit jus, dominiis rerum introductis, res ab alio ſibi comparandi. Etenim homines ſibi invicem obligantur, dominiis rerum introductis, ad dominia rerum ſuarum transferendum (§. 123.). Quamobrem cum accipiens voluntate transferentis ſtatim efficiatur dominus (§. 13.), conſequenter dominium rei, quæ erat alterius, ſibi acquirat, ex obligatione autem transferentis oriatur jus accipientis (§. 23. *p.* 1. *Jur. nat.*); dominiis rerum introductis hominibus competit jus dominium rerum, quæ ſunt alterius, ſibi acquirendi. Quoniam itaque res ab alio ſibi comparat, qui earum, quæ ſunt alterius, dominium ſibi acquirit (§. 125.); dominiis rerum introductis homini competit jus res ab alio ſibi comparandi.

Quale ſit hoc jus & quæ porro de eodem notanda, ſuo loco oſtenditur. Sufficit hic conſtare, quod licitus ſit actus comparandi res ab alio, ſi in genere ſpectetur. Neque enim hic agimus de translatione dominii niſi in genere. Abſit autem ut exiſtimes ſuperfluum eſſe, ut demonſtretur, homini competere jus res ab alio ſibi comparandi, videbimus enim ſuo loco non abſque ratione hoc a nobis factum eſſe. Cæterum cum ſuperius oſtenderimus (§. 12.), a domini unica voluntate pendere, utrum dominium rei ſuæ transferre in alium velit, nec ne; mirum forſan videbitur nonnullis, qui fieri poſſit, ut ſibi mutuo ad translationem dominii ſui obligentur. Etenim translatio dominii a domini libertate pendet vi libertatis naturalis, quemadmodum ex demonſtratione ſuperiore patet (§. 12.), libertas autem non tollit obligationem naturalem (§. 159. *p.* 1 *Jur. nat.*). Quamobrem cum obligationa naturali transferandi dominium rei ſuæ, qua nimirum ipſe carere potes, alter vero indiget, prouti mox clarius evincemus, conſiſtit libertas transferendi dominium, quando & in quemnam domino viſum fuerit. Obligantur homines ad dominia rerum ſuarum in ſe invicem transferenda; ſed ego non in ſingulari obligor ad dominium rei meæ in te transferendum, quando tibi viſum fuerit.

§. 127.

Quando non teneamur dominium rei noſtræ transferre in alium.

Nemo tenetur dare alteri, quo ipſe opus habet, ſeu dominium rei ſuæ transferre in alterum, qua ipſe indiget. Quodſi enim ipſe indiges re, qua indiget alter, & cujus in te dominium a te transferri vellet, officium erga te ipſum colliditur cum officio erga alium (§. 206. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Sed quando officium erga ſe ipſum colliditur cum officio erga alios, officium erga ſe ipſum vincit (§. 229. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem dominium rei ſuæ in alterum transferre non teneris, qua ipſe indiges, ſeu alteri dare non debes, quo ipſe opus habes (§. 208. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Num igitur ipſe eo indiges, quod alter ſibi dari a te vellet, vi libertatis naturalis tuo permittendum eſt judicio (§. 156. *part.* 1. *Jur. nat.*).

§. 128.

Quando jus rem ab alio nobis comparandi nullum.

Quoniam jus alterius ex obligatione tua oritur (§. 23. *part.* 1. *Jur. nat.*), tu vero ad dominium rei tuæ in alium transferendum non obligaris, qua ipſe opus habes (§. 127.); *nec alteri jus eſt ad eam rem a te ſibi comparandam, qua ipſe opus habes* (§. 125.).

§. 129.

Operæ communicatio

Porro cum facere perinde ſit ac dare (§. 122.), nemo autem alteri dare teneatur,

neatur,

neatur, quo ipſe opus habet (§. 127.); *nemo etiam obligatur ad alteri faciendum, ſi ſibi non vacat.*

quando non præcepta.

Non vacat mihi facere, ſi vel mihi quid faciendum eodem tempore, vel ad faciendum alteri jam obligatus ſum. Utroque caſu perinde eſt ac ſi tibi rem dare deberem, qua ipſe carere non poſſum.

§. 130.

Quoniam nemo obligatur alteri ad faciendum, ſi ſibi non vacat (§. 129.); *nemini quoque dominiis introductis jus eſt ad operas a te comparandas, quando tibi non vacat.*

Jus alienas operas ſibi comparandi quando nullum.

Hinc injuſtæ, quas moves, ſunt querelæ, ſi quis operas ſuas tibi locare non vult, quando ipſi non vacat: neque enim facit quid contra jus tuum, dum facere non vult, quod fieri velles.

§. 131.

In communione poſitiva dominium nonniſi unum eſt. Etenim in communione poſitiva dominium in re indiviſa pluribus conjunctim competit (§. 126. *part.* 2. *Jur. nat.*), adeoque nulli dominium competit in hac, nulli in iſta, nulli in illa parte. Patet itaque non ſingulorum, qui ſunt in communione, dominium quoddam eſſe in certa quadam rei parte, ſed dominium perinde ac rem, quæ in dominio plurium ſimul eſt, eſſe indiviſum. In communione adeo poſitiva dominium nonniſi unum eſt.

An plura ſint dominia in communione poſitiva.

Ad illuſtrationem propoſitionis præſentis faciunt, quæ alibi annotavimus (*not.* §. 126. & 127. *part.* 2. *Jur. nat.*), hic relegenda.

§. 132.

Si res communis inter eos, qui ſunt in communione poſitiva, dividitur, tot oriuntur dominia, quot ſunt perſonæ, inter quas dividitur, ſeu quot conſtituuntur partes ſeparatæ, & communio poſitiva interit. Quodſi enim res communis inter eos, qui ſunt in communione poſitiva, dividitur, ſinguli acquirunt dominium in ea parte, quæ unicuique tribuitur. Quamobrem tot oriuntur dominia, quot ſunt partes ſeparatæ, ſeu, ſi in una parte non niſi unus dominium conſequitur, quod hic ſupponitur, quot ſunt perſonæ, inter quas res, quæ erat communis, dividitur. *Quod erat unum.*

Quoniam itaque unicuique eorum, qui erant in communione poſitiva, dominium competit in certa quadam parte, facta diviſione *per demonſtrata*; non amplius omnes conjunctim in re indiviſa dominium habent. Quamobrem cum communio poſitiva deſinat, quamprimum non amplius omnes conjunctim in re indiviſa dominium habent (§. 126. *part.* 2. *Jur. nat.*); ſi res communis inter eos, qui ſunt in communione poſitiva, dividitur, communio poſitiva interit. *Quod erat alterum.*

Quot dominia oriantur ex diviſione rei communis & quomodo communio poſitiva intereat.

Quodſi res dividitur in plures partes, quam ſunt perſonæ, & uni tribuuntur partes plures una; partes plures uni cedentes habentur pro una, & diviſio in plures commoditatis tantummodo gratia fit, ut unicuique facilius pars rata tribui poſſit. Ex. grat. Ponamus rem quandam tribus eſſe communem ea lege, ut unus pro tribus, ſecundus pro duabus partibus & tertius pro una parte dominus ſit. Totum ſi dividitur in ſex partes, ut unus tres, ſecundus duas & tertius unam accipiat; idem nonniſi in tres partes inæquales diviſum intelligitur, quæ ſunt in ratione 3. 2. & 1. nempe pars primi ad partem ſecundi in ſeſquialtera, ad partem tertii

in tripla ; & pars ſecundi ad partem tertiam in ratione dupla. Totum diviſum revera eſt in tres partes, quarum prima ad ſecundam in ratione ſeſquialtera, ſecunda ad tertiam in dupla eſt. Oriuntur adeo ex hac diviſione tria dominia, adeoque tot, quot ſunt partes ſeparatæ in dominia particularia deductæ.

§. 133.

Quando ex communione poſitiva alia naſcatur.

Si res communis dividitur inter eos, qui ſunt in communione poſitiva, & plures dominium acquirunt in eadem parte conjunctim; communio poſitiva, quæ ante erat, interit & nova oritur quoad plures dominium in eadem parte obtinentes. Etenim ſi res communis dividitur inter eos, qui ſunt in communione poſitiva, quamvis plures dominium acquirant conjunctim in eadem parte, non tamen omnes conjunctim dominium retinent in re tota. Quamobrem cum communio poſitiva non ſubſiſtat, niſi omnes conjunctim in re tota indiviſa dominium retineant, quod ante habuerant (§. 126. *part. 2. Jur. nat.*); communio poſitiva, quæ ante erat, interit, etiam quando res communis dividitur, & plures dominium conjunctim acquirunt in eadem parte. *Quod erat unum.*

Quoniam tamen plures in eadem parte conjunctim dominium acquirunt, *per hypotheſin*, & hæc quoad ipſos ſpectatur tanquam res indiviſa, quod per ſe patet, ubi vero plures conjunctim dominium habent in re indiviſa, communio poſitiva eſt (§. 126. *part. 2. Jur. nat.*); ideo patet, communionem poſitivam novam oriri quoad plures dominium in eadem parte obtinentes. *Quod erat alterum.*

Communionem novam, quæ oritur, non eſſe eandem cum vetere, facile patet ex objecto, quod cum antea eſſet res tota, nunc eſt nonniſi pars quædam, ejus mutato autem objecto, mutatur etiam communio, ſeu non eadem perſiſtit. Fieri etiam poteſt, ut pars una maneat his, alia aliis communis, conſequenter ut loco communionis unius oriantur plures juxta dominia ſeparata. Sed de his diſertius dici non eſt opus. Sufficit oſtendiſſe, diviſione rei communis ſemper interire communionem, quæ ante erat, ſive deinceps oriantur dominia plura ſeparata, ſive communiones novæ inde reſultent. Plura autem loco unius oriri dominia, etiam ſi plures prodeant facta diviſione communiones palam eſt, cum tot etiam ſint dominia diverſa quot communiones poſitivæ diverſæ exiſtunt (§. 126. *part. 2 Jur. nat.*). Non hic attenduntur perſonæ, cum dominium in eadem re unum idemque ſit, cuicunque perſonæ tandem competat, nec per hoc mutetur jus, quod transfeat ex perſona una in aliam, aut ex una in plures & contra.

§. 134.

Quomodo res dividenda communis.

Quando a communione poſitiva receditur, res pro rata dividenda inter eos, qui in eadem ſunt. Quilibet enim, qui in communione poſitiva eſt, pro parte rei communis dominus eſt (§. 127. *part. 2. Jur. nat.*), conſequenter ubi res dividitur, eam unuſquiſque accipere debet partem, pro qua dominus eſt. Quoniam itaque res pro rata dividitur inter eos, qui in eadem communione ſunt, ſi in ea dividitur ratione, quam habent ad ſe invicem partes, pro quibus illi domini ſunt; quando a communione primæva receditur, res pro rata inter eos dividenda, qui in eadem ſunt.

Nimirum ſi ſinguli fuerint dominus pro parte æquali, veluti ſi tres fuerint pro parte tertia, ut uni tantundem juris in re indiviſa competat, quemadmodum alteri; res dividitur in tres partes æquales & unicuique cedit pars tertia, ita ut jam dominium unicuique competat in parte tertia a toto diſtincta ſeparatum. Quodſi vero unus fuerit pro tribus, alter pro duabus partibus rei indiviſæ dominus res dividenda eſt in duas partes inæquales, quæ ſunt inter ſe ut 3. ad 2. vel, quod perinde eſt, in quinque partes æquales, quarum tres conſtituunt partem majorem, duæ reliquæ minorem. Quoniam totum quodcunque qua totum repræſentari poteſt per lineam rectam; diviſio in caſu quocunque procedit per problema, quo recta data dividi jubetur in partes numero datas, quæ ſunt ad ſe invicem in ratione data.

Digitized by Google

§. 135.

Quomodo lucrum & damnum in communione poſitiva dividendum.

Qui ſunt in communione poſitiva lucrum & damnum pro rata participant. Etenim qui ſunt in communione poſitiva conjunctim dominus ſunt (§. 127. *part. 2. Jur. nat.*). Lucrum igitur & damnum eorum commune eſt & utrumque ſpectatur tanquam res communis inter eos, qui in communione poſitiva ſunt, dividenda. Enimvero ſi res communis dividitur inter eos, qui ſunt in communione poſitiva, communio poſitiva interit (§. 132.), conſequenter ab ea receditur, eaque de cauſa res communis pro rata inter illos dividitur (§. 134.). Ergo qui ſunt in communione poſitiva lucrum & damnum pro rata participant.

Oſtenditur etiam hoc modo. In communione poſitiva plures conjunctim in re indiviſa dominium pro rata (§. 126. *p. 2. Jur. nat.*), habent, conſequenter etiam jus ad lucrum unicuique pro rata eſſe debet. Lucrum igitur, quando inter ipſos dividendum, pro rata participant. *Quod erat unum.*

Enimvero cum damnum ex re proveniens ferre debeat rei dominus, quod per ſe patet, quilibet autem in communione poſitiva pro parte dominus ſit (§. 127. *part. 1. Jur. nat.*); quilibet etiam pro ea parte damnum ferre debet, pro qua dominus eſt. Qui ergo in communione poſitiva ſunt damnum pro rata participant. *Quod erat alterum.*

Patet adeo damnum & lucrum inter eos dividi, qui ſunt in communione poſitiva per regulam ſocietatis, inferendo nimirum: ut ſumma partium ad partem quamlibet, pro qua quis dominus eſt, ita lucrum vel damnum commune ad partem unicuique competentem. In demonſtratione priori ſuppoſuimus damnum ſpectari debere tanquam rem iis, qui in communione poſitiva ſunt, pro rata communem. Quoniam enim damnum in jactura rei conſiſtit (§. 486. *part. 2. Jur. nat.*), res negativa eſt ſimilis numeris negativis. Quemadmodum itaque ad ſalvandos conceptus univerſales numeri negativi ſeu quantitates negativæ in Matheſi tractantur tanquam numeri, ita etiam res negativæ inſtar rerum haberi poſſunt in Moralibus quæ ſunt verarum rerum, perinde ac numeri negativi verorum numerorum defectus.

§. 136.

Quid faciendum, ſi pars unius prægravet.

Si utilitas ex re percipienda non fuerit magnitudini partium proportionalis; is, cujus pars prægravat, tenetur alteri ad aliud præſtandum, quod æquivalet ei, quod deeſt. Qui enim ſunt in communione poſitiva, lucrum & damnum pro rata participant (§. 135.). Quoniam itaque quavis facta diviſione eam adhuc percipere debet utilitatem, quam ex re indiviſa communi percipiebat, ne alter locupletior fiat cum ipſius damno (§. 585. *part. 2. Jur. nat.*); ſi utilitas ex re percipienda non fuerit magnitudini partium proportionalis, conſequenter pars unius prægravet, is, cujus pars prægravat, utique tantundem alteri reſtituere tenetur, in quantum locupletior factus (§. 586. *part. 2. Jur. nat.*), adeoque alteri tenetur ad aliud præſtandum, quod æquivalet ei, quod deeſt.

In communione poſitiva jus in re commune eſt (§. 126. *part. 2 Jur. nat.*). Quamobrem cum res dominio ſubjiciantur propter uſum, quem habere poſſunt (§. 211. *part. 2. Jur nat.*); ſi qui pro æquali parte domini ſunt, eandem quoque ex re indiviſa percipere debent utilitatem. Rata igitur eorum, qui ſunt in communione poſitiva, minime æſtimanda ex magnitudine partium rei communis, ſed ex utilitate, quæ ex re communi percipitur. Facta diviſione nullius conditio fieri debet deterior, quam erat in communione, nec alterius conditio per hoc fieri debet melior, quod tua ſit deterior: id enim omnino perinde eſt ac ſi alter fieret locupletior ex re tua (§. 584 *part. 2 Jur. nat.*). Ceterum cum nondum egerimus de pretio rerum, nec de pecunia, communi pretii rerum omnium menſura, propoſitionem præſentem nonniſi terminis generalibus enunciare licuit. Hiſce perſpectis quod propoſitione præſente præcipitur, ex eo etiam ſequitur, quod nemo dolo vel culpa ſua efficere debent, ut alter minus habeat, quam habere debet (§. 579. *part. 2. Jur. nat.*). Habet enim omnino minus, quam

habet

habere debet, qui, cum pro parte tertia eſſet dominus rei indiviſæ, is equidem tertiam partem accepit, ſed ex parte tamen tertia non tertiam utilitatis partem percipit, quamdiu eſſet in communione.

§. 137.

Quid faciendum, ſi res communis dividi non poſſit.

Si res communis dividi non poſſit, qui totam ſolus accipit, ceteris tenetur ad præſtandum aliud, quod ratæ æquivalet. Quodſi enim res communis dividi non poſſit, phyſice impoſſibile eſt, ut unusquiſque eam ejus accipiat partem, pro qua dominus eſt, conſequenter unus ſolus eandem accipiat neceſſe eſt. Quoniam tamen nemo locupletari debet alterius cum damno (§. 585. *part. 2. Jur. nat.*); ceteris ſingulis, qui cum ipſo in communione ſunt, aliud quid præſtare tenetur, quod tantundem valet, quantum valet pars rei ſibi debita. Quamobrem ſi res communis dividi non poſſit, qui totam ſolus accipit, ceteris tenetur ad præſtandum aliud, quod ratæ æquivalet.

Poterat etiam propoſitio præſens oſtendi hunc in modum. Ponamus rem, quæ dividi minime poteſt, eſſe in communione trium pro æqua parte. Quod ſi a communione recedendum, dividenda eſt in tres partes, ut uni cuilibet cedat pars una (§. 134.). Ponamus ergo, cum res dividi minime queat *per hyp.* eam dividi in tres partes 1, 0 & 0, ac te accipere partem 1, hoc eſt, rem indiviſam. Tua ergo pars prægravat, adeoque teneris ceteris duobus ſingulis ad præſtandum aliud, quod æquivalet ei, quod ipſorum parti deeſt (§. 136.) Quoniam ſinguli accepere 0, unicuique tantum deeſt, quantum valet pars tertia ejus, quod tu accepiſti, ſcilicet pars tertia totius rei. Quamobrem ſingulis quoque ad præſtandum aliud teneris, quod æquivalet parti tertiæ totius rei. Atque adeo patet, ſi res communis dividi non poſſit, qui totam ſolus accipit, ceteris teneri ad præſtandum aliud, quod ratæ æquivalet.

Demonſtrationem poſteriorem addidimus in gratiam eorum, qui ad altiora adſpirant ſuo tempore ad conceptus univerſales reducturi doctrinas Juris naturæ, quemadmodum ſupra monuimus in ſimili caſu (*not.* §. 99.). Notandum vero, quando [illegible]rs nulla habetur pro parte, ſeu o exprimit partem ipſius 1, non nihilum ſumi pro aliquo abſolute conſideratum, ſed abſentiam partis adeſſe debitæ conſiderari tanquam partem, cui deeſt, quod ex parte prægravante ſuppleri debet, quatenus qui nihil habet, minus habere dicendus eſt, quam habere debet, adeoque in ſerie eorum, qui minus habent, quam habere debent, conſtituit terminum primum, & ex eo, quod abeſt, intelligitur, quod ex parte prægravante ſuppiendum. Nihili relative conſiderati datur aliqua notio, ex qua de ipſo ratiocinari datur, quemadmodum de ente poſitivo, & ob quam meotitur ſpeciem entis. Qui in arte inveniendi verſati ſunt, iis non ignota loquor. Clariora autem hæc evadent, ſi quando ars characteriſtica combinatoria ſeu ſpecioſa generalis fuerit inventa (§. 297. *Pſychol. empir.*). Quodſi 1 referat totum in partes tres dividendum & $\frac{3}{3}$ ſit pars prima prægravans $= \frac{1}{3} + \frac{2}{3}$; erit $o = \frac{1}{3} - \frac{1}{3}$: unde ſi ex parte prægravante ſuppletur, quod deeſt, prodit $o + \frac{1}{3} = \frac{1}{3}$. Si quibus nugari videar, qui toleranter vera ignorant; ii per me pro modulo ingenii ſui judicent: patiantur vero mihi in pretio eſſe, quæ ab ipſis contemnuntur, quia mihi uſui ſunt, quibus ipſi uti neſciunt.

§. 138.

Cur, ſi commune dividendum, uni totum aſſignari poſſit.

Si commune inter duos dividendum vel plures & res, quæ dividi nequit, uni aſſignatur tota, alter vel ceteri jus ſuum eidem cedunt. Etenim ſi res duobus vel pluribus fuerit communis, ſinguli pro parte domini ſunt (§. 127. *part. 2. Jur. nat.*), adeoque ſi res communis dividenda, quilibet ratam ſuam, hoc eſt, partem ſibi debitam accipere debet. Quamobrem cum nemo alteri invito jus, quod habet in parte ſibi debita, auferre poſſit (§. 336. *part 2. Jur. nat.*), neceſſe eſt ut ceteri jus ſuum ad partem ſibi debitam transferant in eum, cui res tota indiviſa aſſignanda. Quoniam itaque jus ſuum alteri cedit, quod ſibi ad aliquid competit, ſi idem in eum transfert (§. 81.); ubi commune inter duos

vel

vel plures dividendum & res, quæ dividi nequit, uni tota aſſignatur, alter vel ceteri jus ſuum eidem cedunt.

Nimirum quando agitur de communi dividundo, qui ſunt in communione obligantur ad partem debitam unicuique aſſignandam, & unicuique adeo jus eſt exigendi, ut pars ſibi debita aſſignetur. Quamobrem ubi permittit, ut unus accipiat rem totam indiviſam, quia dividi nequit, jus ſuum omnino eidem cedit (§. 81.). Hæc addere viſum eſt, ne ceſſionem juris invita definitione ſumſiſſe videamur non ſatis perſpicacibus.

§. 139.

Quando communio invitis iis, qui in eadem ſunt, ſubſiſtat.

Si commune inter duos vel plures dividendum dividi nequit, & ambo vel plures rem indiviſam totam habere volunt; naturaliter negotium non habet exitum, ſed communio, invitis etiam iis, qui in ea ſunt, ſubſiſtit. Etenim ſi commune inter duos vel plures dividendum dividi nequit, negotium exitum habere nequit, niſi uni tota indiviſa aſſignetur, conſequenter alter vel ceteri jus ſuum eidem cedant (§. 138.). Quoniam vero qui jus ſuum alteri cedit, idem in eum transfert (§. 81.), a domini vero voluntate unice pendet, utrum jus ſuum in alium transferre velit, nec ne (§. 12.), nemo etiam eorum, qui ſunt in communione, cogi poteſt, ut invitus jus ſuum cedat alteri. Quamobrem ubi plures rem, quæ dividi nequit, totam indiviſam habere volunt, nemini quoque tota aſſignari poterit, adeoque naturaliter negotium, quo agitur de communi dividundo, exitum habere nequit. *Quod erat unum.*

Enimvero quamdiu nemo eorum, qui ſunt in communione, dominium in re tota indiviſa ſolus acquirit, tamdiu manet idem omnibus conjunctim. Quamobrem ſi commune inter duos vel plures dividendum dividi nequit & plures rem indiviſam totam habere volunt, communio ſubſiſtit etiam ipſis invitis (§. 126. *part. 2. Jur. nat.*). *Quod erat alterum.*

Non eſt quod excipias, negotium exitum habere, ſi qui in communione ſunt, pro parte inæquali domini ſunt: rationi enim conveniens eſſe, ut ceteri jus ſuum cedant ei, qui pro majori parte dominus eſt, cum prætendere minime poſſint, ut is jus ſuum cedat ei, qui pro parte minore dominus eſt. Nam quod rationi convenientius eſt non ſtatim jus dat, quod aliunde non habes. Neque etiam ſemper rationi convenientius eſt, ut, qui pro majore parte dominus eſt, ei jus ſuum cedant ceteri, veluti cum re magis indigeat qui pro minore parte dominus eſt. Videbimus tamen ſuo loco, quod lege poſitiva ob iſtiuſmodi rationes rem totam uni aſſignare detur.

§. 140.

Quomodo negotium de communi dividendo tandem exitum inveniat.

Quoniam *negotium, quo agitur, de communi dividundo*, naturaliter exitum habere nequit per ſe, *ſi plures vel omnes rem totam indiviſam habere volunt* (§. 139.); *quando idem exitum habere debet, neceſſe eſt ut conſenſu eorum, qui ſunt in communione, definiatur modus, quo determinari debeat, cuinam ſit aſſignanda.*

Quando omnes aut ſaltem plures rem communem dividendam habere volunt totam, quæ dividi nequit, unicuique ſuæ eſſe debent rationes, cur eam potius habere, quam jus ſuum alteri cedere velit (§. 70. *Ontol.*). Libertati autem naturali repugnat, ut quis ſibi ſumat judicium de rationum valore determinaturus, quænam aliam vincere debeat (§. 156. *part. 2. Jur. nat.*). Unde patet, rationes meliores ne quidem ſufficere ad terminandum negotium de communi dividundo, etiamſi qui ſunt in communione in eo conſentiant, ut res cedat ei, cui meliores ſint rationes, cur eam habere velit. Nemo enim facile concedet rationes alterius ſuis eſſe meliores, adeoque nihil agetur, quamdiu ſtatur libertate naturali. Nullum igitur reſtat medium, quo negotium ad exitum pervenire poſſit, niſi ut communi conſenſu eligatur modus, quo determinetur perſona, cui tota aſſignanda. Quales vero ſint iſtiuſmodi modi, ex quibus eligi poteſt, qui ſe probaverit omnibus, ſuo loco oſtendemus. Sufficit exempli loco indicaſſe, quod ſorti definitio controverſiæ committi poſſit. Patet autem, dum in electionem hujuſmodi modi conſentitur, unumquemque tacite jus ſuum cedere perſonæ incertæ,

tæ, veluti in exemplo dato ei, quem ſors deſiniverit. Atque adeo intelligitur abſque ceſſione juris negotium de communi dividundo exitum habere non poſſe, ſit ita quod ceſſio perſonæ incertæ facienda facilius perſuadeatur iis, qui jus ſuum certæ cedere nolunt, propterea quod illi adhæret ſpes rem acquirendi, conſequenter jure ſuo non cedendi, ut adeo ceſſionem juris in eventum dubium collocans eodem cedere ſibi non videatur, & invitus eodem cedere malit, qui ſua ſponte cedere non vult. Ex eſt quamvis non una de cauſa plurimorum indoles, ut nolentes trahi, quam volentes duci malint.

§. 141.

Cur ad actus dominii requiratur omnium conſenſus in communione poſitiva.

In communione poſitiva nullus actus dominii validus abſque conſenſu omnium, qui in eadem ſunt. In communione enim poſitiva omnes conjunctim, qui in eadem ſunt, dominus rei ſunt communis (§. 127. *part.* 2. *Jus. nat.*), conſequenter volitiones omnium ſimul conſtituunt actum voluntatis domini: quod cum fieri minime poſſit, niſi omnes conjunctim idem velint, eadem vero volentes conſentiant inter ſe (§. 658. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); conſenſus omnium in communione poſitiva conſtituit actum voluntatis domini. Quoniam itaque per naturam dominii nullus dominii actus validus abſque voluntate domini (§. 118. 120. *p.* 2. *Jur. nat.*); in communione poſitiva nullus actus dominii validus abſque conſenſu omnium, qui in eadem ſunt.

Quicquid igitur agitur in adminiſtratione rei communis omnium conſenſu fieri debet. Ita ſi domus fuerit communis, non poterit locari ſine omnium conſenſu. Principium hoc fœcundiſſimum eſt, cum actus dominii ſint longe plurimi, ad quos applicari debet.

§. 142.

Alienatio rei communis abſque omnium conſenſu minime valida.

Quoniam dominus ſeu qui plenum dominium habet, rem alienare poteſt (§. 665. *part.* 2. *Jur. nat.*), adeoque alienatio actus dominii eſt, nullus vero actus dominii in communione poſitiva validus abſque conſenſu omnium, qui in eadem ſunt (§. 141.); *alienatio quoque rei communis valida non eſt abſque conſenſu omnium eorum, qui in communione poſitiva ſunt, ſeu, nemo, qui in communione poſitiva eſt, rem communem abſque conſenſu eorum, qui in eadem ſunt, alienare poteſt.*

Ita domus communis a te ſolo, inconſultis ceteris ac invitis, alienari non poteſt.

§. 143.

An pro parte dominium rei communis in alium transferri poſſit.

Quilibet, qui in communione poſitiva eſt, ratam ſuam in alium transferre poteſt. Quilibet enim, qui in communione poſitiva eſt, pro parte dominus eſt (§. 127. *part.* 2. *Jur. nat.*), adeoque pro rata jus in eadem habet. Quoniam itaque a domini unice voluntate pendet, utrum dominium vel jus ſuum in alium transferre velit, nec ne, & in quem transferre velit (§. 12.); quilibet, qui in communione poſitiva eſt, jus quod in re communi habet, adeoque ratam ſuam in alium transferre poteſt.

Ex gr. Si fueris pro quinta parte dominus rei communis, jus tuum in alium transferre potes, ut ipſe ſiat pro parte quinta dominus.

§. 144.

Quale jus transferatur, rata translata.

Si qui in communione poſitiva eſt ratam ſuam in alium transfert, jus, quod habet in re indiviſa, non vero in ea parte, pro qua dominus eſt, a toto ſeparata dominium transfert. Etenim quamdiu communio poſitiva ſubſiſtit, tamdiu unuſquiſque, qui in eadem eſt, nonniſi jus in re indiviſa habet, minime vero dominium in parte v. gr. tertia a toto ſeparata, ubi pro parte tertia fuerit dominus

minus (§. 128. 127. *part. 2. Jur. nat.*). Quoniam itaque nemo in alterum transferre poteſt jus, niſi quod habet, quod per ſe patet; ſi qui in communione poſitiva eſt ratam ſuam in alium transfert, jus quod in re indiviſa habet, non vero in ea parte, pro qua dominus eſt, a toto ſeparata dominium transfert.

Duo diverſa eſſe jura dominium commune in re indiviſa pro parte v. gr. tertia & dominium ſeparatum in parte tertia, aut potius re, quæ ante fuerat pars tertia alterius, nemo non admittere tenetur. Qui in communione poſitive eſt, ei jus primum competit, non alterum (§. 126. *part. 2. Jur. nat.*), alterum enim demum acquiritur facta diviſione (§. 132). Jus igitur primum, quod actu habet, non vero quod acquirere debebat transferre poteſt.

§. 145.

Quando alienatio partis rei communis valida.

Quoniam rem alienat qui dominium ejus in alium transfert (§. 662. *part. 2. Jur. nat.*); *ſi quis pro quarta parte fuerit dominus, partem quartam a re ſeparatam alienare nequit abſque conſenſu ceterorum* (§. 142. 144.). Idem eodem modo intelligitur de parte qualibet alia.

Si pars v. gr. quarta rei alienanda ab eo, qui pro parte quarta dominus eſt; neceſſe omnino eſt, ut pars iſta ante a tota re ſeparetur, atque eidem aſſignetur: id quod ſine conſenſu omnium fieri nequit. In hoc enim caſu perinde eſt ac ſi res communis divideretur, unus in parte ſibi debita dominium ſeparatum acquireret, ceteri vero in altera tanquam re indiviſa dominium conjunctim commune (§. 133.). Alienatio igitur partis facta ab eo, qui pro parte dominus eſt, non fit jure alienantis, ſed jure omnium, qui in communione ſunt & conjunctim in alienationem conſentiunt. Eſt nimirum actus dominii, (§. 665. *part. 2. Jur. nat.*), quod cum omnibus ſit commune (§. 126. *part. 2. Jur. nat.*), alienatio valide eſſe nequit abſque conſenſu omnium (§. 141.), & omnium jure communi fit, qui non minus rem totam, quam partem ejus quamlibet alienare poſſunt, quando omnibus conjunctim viſum fuerit.

§. 146.

An invitus ut maneat in communione poſitiva naturæ dominii conveniat.

Naturæ dominii repugnat, ut quis invitus maneat in communione poſitiva. Etenim in communione poſitiva nullus actus dominii validus abſque conſenſu omnium, qui ſunt in eadem (§. 141.), conſequenter qui pro quinta parte dominus eſt, non poteſt de quinta rei parte inconſultis ac invitis ceteris diſponere pro arbitrio ſuo. Quoniam itaque dominium eſt jus diſponendi de re ſua pro arbitrio ſuo (§. 118. *part. 1. Jur. nat.*), naturæ dominii repugnat, ut quis aliis inconſultis ac invitis de ea diſponere minime poſſit, conſequenter eidem quoque repugnat, ut quis invitus in communione poſitiva maneat.

Quamdiu una omnium eſt voluntas, adeoque pleniſſimus conſenſus, communio poſitiva nil habet, quod ſit dominii naturæ adverſum: qui enim pro quinta parte dominus eſt, dum conſentit ut hoc modo diſponatur de re tota, de quinta parte ſibi debita pro arbitrio ſuo diſponit. Quamdiu autem de parte ſibi debita non aliter diſponere vult, quam conſenſu omnium de re tota diſponitur; volens, non invitus in communione manet; aſt ubi aliter diſponere vult, nec ceteri conſentire volunt, tum invitus manet in communione, niſi diviſione dominium ſeparatum in ea parte acquirat, pro qua dominus eſt. Atque tum parum convenit dominio, ut quis non pro arbitrio ſuo de quinta rei parte diſponere poſſit, pro qua dominus eſt.

§. 147.

An quis cogi poſſit, ut in communione poſitiva maneat.

Quoniam naturæ dominii repugnat, ut quis invitus maneat in communione (§. 146.); *niſi ſingularis adſit obligatio, ne communio tollatur, ſeu niſi prohibitum ſit, ne tollatur, ab eo, qui prohibendi jus habet, nemo cogi poteſt ut invitus maneat in communione poſitiva.*

Ex communionis poſitivæ notione minime fluit, eam non poſſe tolli (§. 126. *part. 2. Jur. nat.*). Nemo eorum, qui in communione eſt, adeo alteram cogendi jus habet, ut in eadem maneat. Adverſatur hoc libertati naturali (§. 153. *part. 2. Jur. nat.*). Quodſi ergo a communione poſitiva recedi minime poſſit, ſingularis adeſſe debet obligatio, vi cujus in eo permanere tenentur, qui juri ſuo renunciare nolunt. Quoniam a domini unice voluntate pendet, quomodo dominium in alios transferre velit (§. 11.); eccur dubitandum eſt fieri poſſe, ut quis dominium ſub lege communionis manentis in aliquos conjunctim conferat? Vulgo ſimpliciter dicitur, neminem cogi poſſe, ut invitus maneat in communione, &, dum ratio redditur, recenſentur multa incommoda; quæ in eadem ex diſſenſu eorum conſequuntur, qui rem communem habent, veluti quod communio ſit mater diſcordiarum, quod dominium ſeparatum in parte ſit utilius dominio communi pro parte in re indiviſa & quæ ſunt hiſce gemina. Enimvero ſi quid tibi utile eſt, non ideo jus ad id habes, quia utile (§. 365. *part. 1 Phil. pract. univ.*). Sed jura primitiva ex obligatione aliqua primitiva oriuntur (§. 44. *part. 1. Jur. nat.*), derivativa autem fluunt ex obligationibus & juribus aliis ſe prioribus (§. 46. *part. 1. Jur. nat.*). Rationes igitur, quas diximus, motiva quædam ſunt, cur quis a communione recedere malit, quam in eadem permanere, non vero jus dant ab eadem recedendi.

CAPUT II.

De Obligationem circa Sermonem.

§. 148.

Quomodo loquendum, ut ab aliis intelligaris.

Qui ab aliis vult intelligi, vocabulis uti debet, prout fert uſus loquendi. Qui enim vult ab aliis intelligi, is uti debet vocabulis, quibus auditis in mente audientium excitantur notiones, quas ipſe loquens cum iiſdem conjungit (§. 117. *Log.*). Quoniam itaque audito vocabulo ejus rei Idea in mente reſuſcitatur, quam cum vocabulo ſæpius una percepimus (§. 273. *Pſych. empir.*); qui ab aliis vult intelligi, vocabulis eas tribuere debet notiones, quibus res repræſentantur iis in communi ſermone indigitatæ. Enimvero qui vocabulis eas tribuit notiones, quibus res repræſentantur iis in communi ſermone indigitatæ, iiſdem utitur prout fert uſus loquendi (§. 139. *Log.*). Quamobrem qui ab aliis vult intelligi, vocabulis uti debet, prout fert uſus loquendi.

Ecce tibi neceſſitatem phyſicam modi loquendi, ubi ab aliis intelligi volueris. Cave autem ne eam confundas cum neceſſitate morali, ſeu obligatione (§. 118. *p. 1. Phil. pract. univerſ.*). Neque enim ſequitur, ſi vis intelligi, hoc modo loquendum, ergo natura obligaris ad hoc modo loquendum, niſi præſupponas te obligari ad ita loquendum, ut ab altero intelligaris: qualis obligatio in omni caſu non adeſt. Secus adeo faciens parum ſapienter ac imprudenter agis (§. 678. *Pſych. rat.* & §. 256. *p. 1. Jur. nat.*), ſed nil facis quod eſt contra jus perfectum alterius (§. 239. *part. 1. Philoſ. pract. univ.*). Antequam igitur conſtet te a communi uſu loquendi recedere non debere vi legis naturalis, evincendum omnino eſt te ad ita loquendum obligatum eſſe, ut ab altero intelligaris. Sunt equidem qui ut obligationem vocabulis utendi in ſignificatu recepto tueantur, pactum tacitum hominum comminiſcuntur de vocabulis non aliter, quam in communiter recepto ſignificatu utendis. Sed cum pactum tacitum niti debeat voluntate præſumta, num propoſitio præſens ſit ſufficiens ratio eam præſumendi non immerito dubitatur.

§. 149.

Fundamentum obligationis obſervandi communem uſum loquendi.

Quoniam qui ab aliis vult intelligi, vocabulis uti debet, prout fert uſus loquendi (§. 148.); *qui ad mentem ſuam alteri ſignificandam obligatur vocabulis uti debet in eo ſignificatu, quem fert uſus loquendi.*

Nimirum tunc valet regula communis: Qui obligatur ad finem, is etiam obligatur ad uſum mediorum, ſine quibus finem conſequi non datur. Unde vero ſit obligatio ad mentem ſuam alteri ſignificandam, ſuo patebit loco: neque enim una ejus eademque cauſa ſemper eſt.

§. 150.

§. 150.

Veritas moralis quid ſit.

Veritas moralis eſt convenientia verborum cum cogitationibus. Ut adeo *verum dicat, qui ea cogitat, quæ ſe cogitare dicit*, veluti *quod judicet hoc eſſe verum, quod pro vero a ſe haberi ait; quod velit, quod ſe velle, nolit revera, quod ſe nolle dicit.*

Non confundenda eſt veritas logica cum veritate morali. Logice enim verum, ſi quod affirmas fuerit, quod negas non fuerit (§. 505. *Log.*); at moraliter verum eſt, ſi dicas hanc eſſe mentem tuam, & ea mens tua ſit, non attenta veritate logica, ubi de judiciis ſermo fuerit. Veritati morali ineſt veritas logica; quatenus id in mente tua eſt, quod verba ſignificant, adeoque quod moraliter verum eſt ſubjective verum eſt etiam logice, licet objective falſum eſſe poſſit, ubi logice conſideratur.

§. 151.

Quando moraliter verum dicat, qui quod falſum eſt dicit.

Si quod eſſe putas eſſe dicis, cum non ſit & contra, moraliter verum loqueris. Etenim ſi eſſe vel non eſſe dicis quod eſſe vel non eſſe putas, etiam ſi in caſu priori non ſit, in poſteriori ſit; verba tua cum cogitationibus tuis conveniunt, hoc eſt, quod ſignificant, illud eſt. Enimvero ſi verba tua cogitationibus tuis conveniunt, moraliter verum loqueris (§. 150.). Ergo moraliter verum loqueris, ſi quod eſſe putas eſſe dicis, cum non ſit & contra.

Ex. gr. Si quis ex te quærit, num Mævius ſit domi, &, dum putas eum eſſe domi, cum non ſit, reſpondes quod ſit; moraliter verum dicis. Ex adverſo ſi putas eum non eſſe domi, cum ſit; quæſitus reſpondens, quod non ſit, moraliter verum dicis. Aſt in utroque caſu logice falſum eſt, quod dicis. Patet adeo quomodo dicendo falſum loquamur verum.

§. 152.

Falſitas moralis quid ſit.

Falſitas moralis eſt diſconvenientia verborum cum cogitationibus noſtris. *Falſum* adeo *loquitur, qui aliter cogitat, quam ſe cogitare dicit*, veluti ſi dicat hoc eſſe falſum, quod pro vero habet, vel ſi judicet eſſe verum, quod pro falſo a ſe haberi ait, ſi velit, quod ſe nolle, vel nolit, quod ſe velle affirmat.

Opponitur falſitas moralis falſitati logicæ, quæ eſt diſconvenientia verborum cum rebus (§ 505. *Log.*). Nimirum veritas & falſitas moralis atque logica non idem habent objectum: moralis verſatur circa cogitationes, ſeu actus internos animæ, quorum tibi conſcius es (§. 23. *Pſych. empir.*), logica autem circa res, quas cognoſcimus. Si de veritate vel falſitate morali ſermo fuerit, id tantummodo quæritur utrum ea cogites, nec ne, quæ verba tua ſignificant, v. gr. ſi ex te quæritur, num Titius ſit domi, & tu reſpondes: Titius eſt domi, num tu putes eum eſſe domi. Aſt ſi de veritate vel falſitate logica quæſtio eſt, cum quæritur, num ſit quod eſſe affirmatur, vel non ſit, quod eſſe negatur, veluti cum tu dicis: Titius eſt domi, num revera ſit domi, an non ſit. Differentiam veritatis moralis a veritate logica & falſitatis moralis a falſitate logica probe perſpicere plurimum refert: multa enim hinc pendent in moralibus, quæ alias non ſatis intelliguntur, quemadmodum ſuo loco conſtabit.

§. 153.

Quando falſum loquamur dicendo verum.

Si quod eſſe putas non eſſe dicis, cum non ſit, & contra, moraliter falſum loqueris. Etenim ſi quod eſſe putas non eſſe dicis, cogitationes tuæ ac verba tua inter ſe non conveniunt, licet non ſit, quod non eſſe dicis. Similiter ſi quod non eſſe putas, eſſe dicis, cogitationes tuæ cum verbis tuis minime conveniunt, quamvis ſit, quod eſſe dicis. Quoniam itaque moraliter falſum loqueris, quando cogitationes tuæ ac verba tua inter ſe non conveniunt (§. 152.);

falſum moraliter loqueris, ſi quod eſſe putas non eſſe dicis, etiamſi non ſit, vel quod non eſſe putas eſſe dicis, quamvis revera ſit.

Ex.gr. Quæro ex te, num Titius ſit domi, tu putas eum non eſſe domi, & reſpondes, quod ſit domi, etiam ſi hic domi ſit, moraliter falſum loqueris, neque enim verba tua ſignificant quod cogitas. Similiter ſi tu putas Titium eſſe domi, qui non eſt, & reſpondes, quod non ſit domi, moraliter denuo falſum loqueris, cum aliud loquaris, aliud cogites, adeoque verba tua non conveniant cum cogitationibus tuis. In utroque caſu logice tamen verum eſt, quod dicis. Atque adeo patet, quomodo dicendo verum moraliter falſum loqui poſſimus.

§. 154.

Veriloquium quid ſit.

Veriloquium eſt ſermo moraliter verus.

Moraliter verum eſt, ſi verba, quæ profers, animi tui ſenſa exprimant (§. 150.). Hinc veriloquium eſt, ſi dicas te hoc facere velle, quando tibi eſt animus hoc faciendi, ſi dicas Titium primum ſtrinxiſſe gladium, ubi hoc ab ipſo factum eſſe putas.

§. 155.

An ſupponat veritatem logicam.

Quoniam veriloquium eſt ſermo moraliter verus (§. 154.), moraliter vero verum eſſe poteſt, quod logice falſum eſt (§. 151.); *veriloquium non ſupponit veritatem logicam, nec per ipſum veritas logica probatur.*

Nimirum moraliter verum loqui poteſt, qui dicit falſum (§. 151.). Quamvis adeo certus ſis alterum moraliter verum loqui, non tamen hinc colligere potes, quod hoc ſit verum.

§. 156.

Falſiloquium quid ſit.

Falſiloquium eſt ſermo moraliter falſus.

Moraliter falſum eſt, ſi verba, quæ profers, ſint a mente tua aliena (§. 152.). Hinc falſiloquium eſt, ſi dicas te hoc facere velle, quando tibi eſt animus non faciendi, vel te hoc facere nolle, quando tibi eſt animus faciendi; item ſi dicas Titium primum ſtrinxiſſe gladium, ubi hoc ab ipſo factum non eſſe putas, aut num factum ſit, ignoras. Qui enim affirmat, ſe noſſe fatetur quod affirmat: qui ignorantiam confitetur, nec affirmare, nec negare audet, ſed judicium ſuſpendit.

§. 157.

Quoniam falſiloquium eſt ſermo moraliter falſus (§. 156.), moraliter vero falſum eſſe poteſt, quod logice verum eſt (§. 153.), *falſiloquium non ſupponit falſitatem logicam, nec per ipſum probatur falſitas logica.*

Nimirum moraliter falſum loqui poteſt, qui dicit logice verum (§. 153.). Quamvis adeo certus ſis alterum moraliter falſum dicere, non tamen hinc colligere datur, quod ſit falſum.

§. 158.

Veriloquium, & falſiloquium quales ſint actiones.

Veriloquium actio externa ſincera eſt; falſiloquium ſimulata. Veriloquium eſt ſermo moraliter verus (§. 154.). Quamobrem cum ſermo actio externa ſit (§. 567. *part. 1. Theol. nat.*), idemque moraliter verum eſt, ſi verba cum cogitationibus noſtris conſentiunt (§. 150.), quas eſſe actiones internas conſtat (§. 567. *part. 1. Theol. nat.*), ſincera autem ſit actio externa, quæ cum interna conſentit (§. 714. *part. 2. Phil. pract. univ.*); veriloquium actio externa ſincera eſt. *Quod erat unum.*

Si-

Digitized by Google

Similiter falſiloquium eſt ſermo moraliter falſus (§. 156.). Quamobrem cum ſermo ſit actio externa (§. 567. *part.* 1. *Theol. nat.*), idemque moraliter falſus ſit, ſi verba cum cogitationibus noſtris, actibus internis (§. 567. *part.* 1. *Theol. nat.*), minime conveniunt, ſeu ab iiſdem diſſentiunt (§. 152.), ſimulata autem ſit actio externa, quæ ab interna diſſentit (§. 716. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*); falſiloquium actio ſimulata eſt. *Quod erat alterum.*

Si verba cum cogitationibus noſtris conveniunt, eas, quas habemus, cogitationes ſignificant, adeoque iiſdem minime contrariantur, conſequenter cum iiſdem conſentiunt (§. 714. *p.* 2. *Phil. pract. univ.*). Ex adverſo ſi verba cum cogitationibus noſtris non conveniunt; eas, quas habemus cogitationes non ſignificant, ſed potius contrarias, adeoque ab iiſdem diſſentiunt (§. 716. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*).

§. 159.

Quando quis obligatur ad animi ſui ſenſa alteri ſignificanda.

Homo obligatur ad animi ſui ſenſa alteri ſignificanda, quando ſine hoc officio cuidam naturali, vel obligationi cuidam, qua alteri in ſingulari tenetur, ſatisfieri nequit. Officio enim jure naturali ſatisfacere tenetur (§. 224. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & quoniam obligationi contractæ, qua alteri in ſingulari teneris, ſimiliter ſatisfaciendum, niſi is te ab ea liberare velit (§. 236. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quod hic non fieri ſupponitur, obligationi quoque contractæ, qua alteri in ſingulari tenemur, ſatisfacere debemus. Quodſi ergo alterutri harum ſatisfieri nequit, niſi animi noſtri ſenſa alteri ſignificemus, quin ad eadem ipſi ſignificanda obligemur dubitandum non eſt.

Vi libertatis naturalis permittendum unicuique, num animi ſui ſenſa nobis ſignificare velit, an nolit (§. 156. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quoniam tamen libertas non tollit obligationem naturalem (§. 159. *p.* 1. *Jur. nat.*), conſequenter vi ejuſdem tibi non licet omittere, quod eſt officii tui erga alios (§. 222. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); nec animi tui ſenſa celare alterum licet, quando hoc fieret cum neglectu officii tui erga ipſum. Quodſi facto quodam tuo obligationem contraxiſti, qua alteri in ſingulari teneris, ſponte libertati naturali quoad ea renunciaſti, quæ illa exigit: id quod unumquemque facere poſſe, ipſa libertas naturalis inſinuat (§. 106). Quodſi ergo ea exigit, ut animi tui ſenſa alteri ſignifices, hoc utique faciendum, nec jus te defendit libertatis naturalis, ubi hoc facere nolueris.

§. 160.

Idem porro expenditur.

Quoniam ad officia erga alios, quæ ſunt officia humanitatis (§. 655. *part.* 1. *Jur. nat.*), alteri imperfecte tantummodo obligamur (§. 659. *part.* 1. *Jur. nat.*), adeoque alteri ad ea nonniſi jus imperfectum competit (§. 238. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); jus vero, quod reſpondet obligationi, qua alteri in ſingulari tenemur, perfectum eſt (§. 908. *part.* 1. *Jur. nat.*), homo vero alteri obligatur ad animi ſui ſenſa ſignificanda, quando ſine hoc officio cuidam naturali, vel obligationi cuidam contractæ, qua alteri in ſingulari tenetur, ſatisfieri nequit (§. 159.); *homo obligatur ad animi ſui ſenſa alteri ſignificanda, quando ipſi jus imperfectum, vel perfectum ad hoc competit.*

Patet adeo neminem a te exigere poſſe, ut animi tui ſenſa eidem ſignifices, niſi jus minimum imperfectum ipſi competat ad notitiam cogitationum tuarum, quo violato juſta demum ipſi conquerendi cauſa eſt, quod eas ſibi ſufficienter indicare nolueris. Si nullo jure hoc prætendit, libertati tuæ relictum eſt, quid facere velis, immo quod hoc prætendat juri libertatis adverſatur, ita ut tibi ſit de eo conquerendi cauſa juſta.

§. 161.

Quando veriloquium

Ad veriloquium obligamur, quando alteri ad animi noſtri ſenſa indicanda obligamur ſive perfecte, ſive imperfecte. Quando enim alteri obligamur ad animi noſtri ſenſa

Digitized by Google

lege naturali præceptum.

ſenſa indicanda, neceſſe eſt ut verba, quæ facimus, adhibeantur, quibus auditis intelligitur, quæ animo noſtro ſententia ſedeat, conſequenter ut verba cum cogitationibus noſtris conveniant. Quamobrem cum veritas moralis in convenientia verborum cum cogitationibus noſtris conſiſtat (§. 150.), ſermo, qui ex illis conſtat, moraliter verus eſſe debet. Enimvero ſermo moraliter verus veriloquium eſt (§. 154.). Ad veriloquium adeo obligamur, quando alteri ad animi noſtri ſenſa indicanda obligamur ſive perfecte, ſive imperfecte.

Videmus adeo, quando veriloquium ſit lege naturali præceptum (§. 164. *part* 1. *Phil. pract. univ.*). Omnis enim obligatio vel naturalis eſt, vel a naturali vim ſuam habet. Unde alteri ad animi noſtri ſenſa indicanda obligamur, vel quando lex naturæ præcipit ut hoc faciamus, vel quando ea jubet, ut obligationi ſponte contractæ ſatisfiat.

§. 162.

Idem ulterius expenditur.

Quoniam ad animi ſenſa alteri indicanda obligamur, quando ſine hoc officio cuidam naturali, vel obligationi cuidam contractæ, qua alteri in ſingulari tenemur, ſatisfieri nequit (§. 159.), ſeu quando alteri jus ad hoc competit, ut ipſi animi noſtri ſententiam dicamus (§. 160.), ad veriloquium vero obligamur, quando alteri ad animi noſtri ſenſa indicanda ſive perfecte, ſive imperfecte obligamur (§. 161.): *ad veriloquium obligamur, quando ſine eo officio cuidam naturali, vel obligationi cuidam contractæ, qua alteri in ſingulari tenemur, ſatisfieri nequit, ſeu quando ipſi jus imperfectum, vel perfectum ad hoc competit, ut animi noſtri ſenſa eidem aperiamus.*

Vi hujus principii in quocunque caſu dato ſemper dijudicare licebit, utrum veriloquium ſit præceptum, nec ne, ita ut nec ſine peccato omitti, nec falſiloquium eidem ſubſtitui poſſit (§. 440. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*): qui enim verum dicere tenetur, nec veritatem celare, nec falſum dicere debet. Iſtud peccatum omiſſionis, hoc peccatum commiſſionis eſt (§. 24. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ut adeo clarius appareat peccatum commiſſionis legi naturæ, quæ veriloquium urget in caſu propoſitionis præſentis, adverſari, ſequentem addere lubet propoſitionem.

§. 163.

Quando animi ſui ſenſa non ſint celanda.

Quoniam qui hoc faciendum obligatur ad contrarium non faciendum ſimul obligatur (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*), ad veriloquium autem, conſequenter ad verum moraliter dicendum (§. 154.), obligatur, qui ſine veriloquio officio cuidam naturali, vel obligationi contractæ, qua alteri in ſingulari tenetur, ſatisfacere nequit, ſeu qui verum non dicendo faceret hoc contra jus vel perfectum vel imperfectum alterius (§. 162.); *veritatem, conſequenter animi ſui ſenſa* (§. 150.), *alterum celare non debet, quando officium aliquod erga alium, ſeu obligatio contracta, qua alteri in ſingulari tenetur, exigit, ut verum loquatur, ſeu animi ſui ſenſa indicet, aut ſi alteri cuidam jus ſive perfectum, ſive imperfectum ad hoc eſt, ut verum loquatur, ſeu animi ſui ſenſa indicet.*

Qui verum non dicit, quando dicere debet, ſed celat, is utique omittit, quod facere debebat (§. 24. *part.* 1. *Phil. pract. univerſ.*), atque adeo celare veritatem, quando ad veriloquium obligamur peccatum omiſſionis eſt. Conſtat itaque peccatum hoc omiſſionis repugnare legi naturæ, qua ad veriloquium obligamur.

§. 164.

Quando falſiloquium prohibitum.

Quando ad veriloquium obligamur, a falſiloquio abſtinere debemus, ſeu *falſiloquium illicitum eſt*. Quando enim ad veriloquium obligamur, cum veriloquium ſermo ſit moraliter verus (§. 154.), verba noſtra cum cogitationibus noſtris convenire debent (§. 150.), conſequenter cum lex præceptiva ſit ſimul prohibitiva

bitiva contrarii (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*), prohibitum eſt uti verbis, quæ a cogitationibus noſtris diſſentiunt, adeoque ab iis abſtinendum (§. 163. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero ſermo, qui conſtat ex verbis a cogitationibus noſtris diſſentientibus, moraliter falſus (§. 152.), adeoque falſiloquium eſt (§. 156.). A falſiloquio igitur abſtinere debemus, quando ad veriloquium obligamur, conſequenter falſiloquium illicitum eſt (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Contradictoria ſunt verum loqui & verum non loqui. Sed qui falſum loquitur non loquitur verum (§. 150. 152.). Ergo qui obligatur ad loquendum verum, ei permiſſum non eſt loqui falſum. Manifeſtum itaque eſt in eo caſu, quo ad veriloquium obligamur, falſiloquium illicitum eſſe. Ex. gr. Si tibi animus non eſt mutuo mihi dandi pecuniam, & cum neceſſe ſit ut mihi dicas, num mutuo dare velis, non licet dicere ac verbis fidem tuam adſtringere, quod dare velis.

§. 165.

Idem ulterius exponitur.

Quoniam ad veriloquium obligamur, quando ſine eo officio cuidam erga alios vel obligationi cuidam contractæ, qua alteri in ſingulari tenemur, ſatisfieri nequit, ſeu quando alteri jus eſt ad animi noſtri ſenſa cognoſcenda ſive perfectum ſive imperfectum (§. 162.); a falſiloquio autem abſtinere debemus, quando ad veriloquium obligamur (§. 164.); *falſiloquium illicitum eſt, ſeu ab eo abſtinere debemus, quando ſine veriloquio officio cuidam erga alios, vel obligationi contractæ, qua alteri in ſingulari tenemur, ſatisfieri nequit, ſeu quando alteri jus ſive imperfectum, ſive perfectum eſt ad animi noſtri ſenſa cognoſcenda.*

§. 166.

Unde nam falſiloquium illicitum reddatur.

Quoniam falſiloquium repugnat officio cuidam erga alios, vel obligationi contractæ, qua alteri in ſingulari tenemur, ſi ſine veriloquio neutri ſatisfieri poſſit, quando autem ſatisfieri nequit ſine veriloquio, falſiloquium illicitum eſt, & ab eo abſtinere debeamus (§. 165.); *falſiloquium, quod repugnat officio cuidam erga alios, vel obligationi contractæ, qua alteri in ſingulari tenemur, illicitum eſt & ab eo abſtinendum.* Et eodem modo patet, *falſiloquium illicitum eſſe, quod eſt contra jus ſive perfectum, ſive imperfectum alterius.*

Atque adeo patet, falſiloquium in ſe non eſſe illicitum, ſed illicitum effici repugnantia cum officio erga alios, vel obligatione, qua alteri teneris in ſingulari, aut, ſi mavis, cum jure ſive perfecto, ſive imperfecto alterius: quando enim repugnat officio erga alios imperfecto, cum jure alterius imperfecto pugnat, quando autem repugnat officio perfecto, aut obligationi, qua alteri in ſingulari teneris, cum jure perfecto alterius pugnat. Falſiloquio itaque in ſe non ineſt moralis quædam turpitudo, ſed eam trahit ab actu moraliter turpi, qui eidem accedit.

§. 167.

Quando veritas reticenda & veriloquium illicitum.

Si veriloquium pugnat cum officio aliquo erga alios, vel obligatione contracta, qua alteri in ſingulari tenemur, hoc eſt, ſi vera dicendo contra officium vel obligationem contractam, qua alteri in ſingulari tenemur, agamus; a veriloquio abſtinere debemus, ſeu veritas reticenda. Idem etiam valet, ſi veriloquium eſt contra jus alterius ſive perfectum, ſive imperfectum. Cum enim obligatio ſit neceſſitas agendi moralis (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), nemo non concedere tenetur, quod officio non minus tanquam actioni, ad quam omittendam obligamur (§. 224. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quam obligationi contractæ, qua alteri in ſingulari tenemur, ſit ſatisfaciendum (§. 120. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter quod omittendum ſit, quicquid contra officium iſtud, vel obligationem iſtam eſt (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quodſi ergo veriloquium pugnat cum officio aliquo erga alios vel obligatione contracta, qua alteri in ſingulari tenemur, ſeu,

quod

quod perinde eſt, ſi vera dicendo contra officium iſtud, vel obligationem iſtam agimus, id omnino omittendum, conſequenter ab eodem abſtinendum, adeoque veritas reticenda (§. 154.). *Quod erat primum.*

Porro nemo quicquam facere debet, quod eſt contra jus alterius, ſive id perfectum ſit, ſive imperfectum (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*). Ergo nec verum loqui debet, quando hoc fit contra jus alterius, conſequenter a veriloquio in hoc caſu abſtinendum (§. 154.), ſeu veritas reticenda. *Quod erat alterum.*

In caſu igitur propoſitionis præſentis veritatem reticere non modo permiſſum, ſed prorſus præceptum eſt, ita ut peccet, qui eam eloquitur. Ex. gr. etiamſi noveris, ubinam ii ſit, quem aggreſſor quærit; non tamen id eidem indicare teneris, qui potius tibi taceodum, quaſi neſcires, ubinam ſit. Atque adeo patet veriloquium quoque illicitum dari.

§. 168.

Caſus alter, quo veriloquium illicitum.

Si veriloquium pugnat cum officio erga te ipſum, ſeu ſi verum dicendo contra officium erga te ipſum agis; veriloquium illicitum eſt & ab eo abſtinendum. Oſtenditur eodem modo, quo propoſitionis præcedentis partem primam demonſtravimus.

Veriloquium in ſe ſpectatum nullam habet moralitatem quemadmodum iis videtur, qui abſolute affirmant, hominem ad dicendum verum obligari; ſed ab aliis actibus, ad quos accedit, habet, ut vel ſit debitum, vel illicitum. Actus vero iſti vel reſpiciunt alios, vel noſmetipſos. Quamobrem ex officiis erga alios & noſmetipſos atque obligationibus contractis; quibus aliis facto quodam noſtro tenemur, dijudicandum num ad veritatem dicendam obligemur, an vero eam reticere debeamus, vel non dicere detur: Ad hæc qui animum non advertunt, difficultatibus inextricabilibus implicantur, quæ vero nullæ ſunt, ubi ea, quæ modo diximus, expenduntur.

§. 169.

Et veritas reticenda.

Quoniam veritas reticenda, quando a veriloquio abſtinendum (§. 154. 150.), ab eo autem abſtinendum eſt, ſi verum dicendo contra officium erga te ipſum agis (§. 168.); *ſi verum dicendo contra officium erga te ipſum agis, veritas reticenda.*

§. 170.

Quando veritatem diſſimulare licet.

Quoniam veritas reticetur, ſi animi tui ſenſa quomodocunque occultas, ne alteri innoteſcant (§. 150.), conſequenter ſi ea diſſimulas (§. 717. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*); veritas autem reticenda, ſi verum dicendo contra officium erga te ipſum agis (§. 169.); *animi tui ſenſa diſſimulare licet, ſi verum dicendo contra officium erga te ipſum agis* (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Nimirum ad veritatem reticendam obligati ſumus, quando verum dicendo contra officium erga noſmetipſos agimus, conſequenter tunc animi noſtri ſenſa alteri indicare illicitum eſt. Quodſi ergo verendum, ne ex facto quodam noſtro ea colligat, neve ex alio reſciſcat, quænam ſint; cavendum omnino eſt, ne hoc fiat, conſequenter cogitandum eſt de modo ea occultandi. Lex adeo naturæ, quæ nobis dat jus ad eos actus, ſine quibus obligationi noſtræ ſatisfacere non poſſumus (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), omnino etiam dat jus ad eos actus, quibus animi noſtri ſenſa occultantur, quando a veriloquio abſtinendum. Atque ideo animi ſui ſenſa hoc in caſu licitum eſt (§. 170. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Nimirum diſſimulatio medium eſt, quo obtinetur, ne veritas, quæ reticenda, te tacente, alteri aliunde innoteſcat. In caſu particulari ex circumſtantiis facile dijudicatur, ao ad veritatem reticendam ſufficiat tacere, ſeu non loqui, an vero diſſimulatione opus ſit.

§. 171.

§. 171.

Caſus alter, quo veritatem diſſimulare licet.

Si veriloquium repugnat officio cuidam erga alios, vel obligationi contractæ, qua alteri in ſingulari teneris, veritatem diſſimulare licet. Idem valet, ſi veriloquium ſit contra jus imperfectum, vel perfectum alterius. Quodſi enim veriloquium repugnat officio cuidam erga alios vel obligationi contractæ, qua alteri in ſingulari teneris, vel etiam ſi fuerit contra jus imperfectum, aut perfectum alterius, veritas reticenda (§. 167.). Quoniam itaque veritas reticetur, ſi animi tui ſenſa quomodocunque occultas, ne alteri innoteſcant (§. 150.), conſequenter ſi ea diſſimulas (§. 717. *part. 2. Phil. pract. univ.*), lex autem naturæ nobis dat jus ad eos actus, ſine quibus obligationi noſtræ ſatisfacere non poſſumus (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*); eadem quoque nobis dat jus ad diſſimulanda animi noſtri ſenſa, quando veriloquium officio cuidam erga alios, vel obligationi contractæ, qua alteri in ſingulari tenemur, ſeu juri alterius imperfecto, aut perfecto repugnat, conſequenter hoc in caſu animi ſui ſenſa, adeoque veritatem (§. 150.), diſſimulare licet.

Quemadmodum in dicenda & reticenda veritate (*not.* §. 167.), ita etiam in ea diſſimulanda non modo reſpiciendum eſt ad nos, verum etiam ad alios, ut appareat, quid fieri liceat.

§. 172.

Quando falſiloquium licitum ſit.

Si ſine falſiloquio officio cuidam erga te ipſum, vel erga alios, aut obligationi contractæ, qua alteri in ſingulari teneris, ſatisfieri nequit; falſiloquium licitum eſt. Idem valet, ſi falſum non dicendo violatur jus alterius ſive perfectum, ſive imperfectum. Cum enim obligatio ſit neceſſitas moralis agendi (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*), officium vero tam erga te ipſum, quam erga alios ſit actio, ad quam omittendam obligamur (§. 224. 226. *part. 1. Phil. pract. univ.*); officio erga noſmetipſos & erga alios non minus ſatisfaciendum, quam obligationi, qua alteri in ſingulari tenemur. Enimvero lex naturæ dat nobis jus ad omnes actus, ſine quibus obligationi noſtræ ſatisfieri nequit (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ergo dat etiam jus ad falſiloquium, quando ſine eo officio cuidam erga noſmetipſos, vel alios, aut etiam obligationi contractæ, qua alteri in ſingulari tenemur, ſatisfieri nequit, conſequenter in hoc caſu falſiloquium licitum. *Quod erat primum.*

Nemo quicquam facere debet, quod eſt contra jus alterius (§. 910. *part. 1. Jur. nat.*), adeoque jus alterius nullo modo violare licet (§. 239. *part 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo falſum non dicendo violatur jus alterius ſive perfectum, ſive imperfectum, cum lex naturæ det nobis jus ad eos actus, quibus obligationi noſtræ ſatisfacere non poſſumus (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter hi actus liciti ſint (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); falſum dicere tum licet, conſequenter falſiloquium licitum. *Quod erat ſecundum.*

Exemplum habemus in obſtetricibus Ægyptiacis, quæ a Rege juſſæ necare in partu maſculos infantes mulierum Hebræarum hoc minime fecerunt, ſed Regi perſuaſerunt mulieres Hebræas tanta facilitate parere, ut, antequam vocatæ adeſſe poſſint, partus jam ſit in lucem editus. Sine ipſorum enim falſiloquio vita maſculorum Hebræorum ſervari minime potuiſſet: immo nec propriæ ſaluti conſulere licuiſſet obſtetricibus. Exemplum aliud extat apud *Plinium* lib. 3. epiſt. 16. ubi *Arria* falſiloquio ſolatur *Pætum* maritum. Ægrotabat nimirum *Pætus*, ægrotabat & filius, uterque mortifere. Cum filius deceſſiſſet parentibus cariſſimus, funus ei ita paravit & exequias duxit, ut ignoraret maritus, & quotieſcunque cubiculum intraret, marito interroganti, quid ageret puer, reſpondebat eum bene quieviſſe & libenter cibum ſumſiſſe. Erat hic falſiloquium medium avertendi periculum mortis a marito, quod partim a terrore, partim a nimio angore animi imminere videbatur.

§. 173.

An falſiloquium ſit, ſi quis dicit ſe rem falſam dicere.

Si quis rem falſam dicturus dicit ſe rem falſam dicere, falſiloquium non eſt, ſeu, qui ſe falſum loqui dicit, cum velit, falſum non loquitur. Si quis enim dicit ſe rem falſam dicere, is fatetur ſe quod dicit pro vero non habere. Quamobrem cum ipſi ſit animus rem falſam dicendi *per hypoth.* verba ejus a mente ipſius non diſcrepant, quippe ad animi ejus ſenſa intelligenda ſufficientia, ſcilicet quod pro falſo habeat, quod dicit. Quoniam itaque falſiloquium non eſt ſermo, qui conſtat verbis a mente loquentis non diſcrepantibus (§. 156. 157.); ſi quis rem falſam dicturus dicit ſe rem falſam dicere velle, falſiloquium non eſt, ſeu, quod perinde eſt, qui falſum loqui volens ſe falſum dicere dicit, falſum non loquitur.

Nimirum quod dicit logice quidem falſum eſt, ſed moraliter verum loquitur, quatenus quod falſum eſt pro falſo habet, atque ſufficienter ſignificat, ſe hoc pro falſo habere, ne is, cui loquitur, ſibi perſuadeat, velle eum, ut pro vero habeatur quod dicit, aut ne exiſtimet ipſum videri velle, quod pro vero habeat, quæ dicit. Ita *Ovidius* in libris Metamorphoſeos moraliter falſum non loquitur, cum res falſas, hoc eſt, quod logice verum non eſt, ſe dicturum ſatis ſignificaverit. Nec falſiloquii redarguitur *Æſopus*, nec ejuſdem redarguuntur alii fabularum conditores, cum ſatis innuant, ſe quod logice falſum eſt dicere velle. In eundem cenſum veniunt, qui hiſtorias fictas conſcribunt. Vulgo dicitur: Qui ſe mentiri dicit, non mentitur: ubi mendacium ſumitur pro omni falſiloquio & tacite ſupponitur, quod dicat quæ a mente ipſius aliena ſunt, veluti quod narret tanquam facta, quæ facta non fuiſſe novit. Nimirum ſi propoſitio determinata eſſe debet, probe diſtinguenda ſunt, quæ ſumuntur. Sumitur autem in propoſitione præſente quoad objectum, quod logice falſum ſit quod dicitur, quoad ſubjectum reſpectu facultatis cognoſcendi, quod loquens norit, quod dicit eſſe falſum, reſpectu facultatis appetendi, ſeu voluntatis, quod velit dicere quod logice falſum eſt, reſpectu verborum vero, quibus utitur, ut iiſdem ſignificet, ſe velle dicere, quod logice falſum eſt. Hiſce ſumtis vel ſine probatione intelligitur, verba a mente loquentis non diſcrepare, conſequenter ipſum moraliter verum loqui, nec ſermonem ejus eſſe falſiloquium.

§. 174.

Quando falſiloquium ſit, ſi quis falſa dicens ſe falſa dicere velle ait.

Si quis rem falſam pro vera habet & ſe rem falſam dicere velle dicit, falſiloquium eſt. Etenim ſi rem falſam pro vera habet & ſe rem falſam dicere velle ait, verba ejus a voluntate ipſius diſcrepant, ſeu cum cogitationibus ipſius minime conveniunt. Enimvero ſi verba alicujus cum cogitationibus ipſius minime conveniunt, moraliter falſum loquitur (§. 152.), conſequenter ſermo ejus falſiloquium eſt (§. 156.). Ergo etiam falſiloquium eſt, ſi quis dicit ſe rem falſam dicere velle, rem vero falſam, quam dicit, pro vera habet.

Oſtenditur etiam hoc modo. Quoniam moraliter falſum loquitur, qui non eſſe dicit, quod eſſe putat, etiamſi non ſit (§. 153.), falſum quoque loquitur, qui rem falſam pro vera habens ſe rem falſam dicere velle ait, conſequenter ſermo ipſius falſiloquium eſt (§. 156.).

Nimirum hic ſumitur quoad objectum, logice falſum eſſe quod dicitur, quoad ſubjectum vero reſpectu facultatis cognoſcitivæ, quod loquens pro vero id habeat, reſpectu facultatis appetitivæ, quod velit falſum dicere, reſpectu denique ſermonis, quod verba diſcrepent a mente ipſius. Unde denuo vel ſine probatione intelligitur, qui rem falſam pro vera habens dicit ſe rem falſam dicere velle, falſum loqui, etiamſi logice falſum ſit, quod loquitur. Simpliciter adeo dici nequit, quemadmodum vulgo dicitur: Qui dicit ſe mentiri, non mentitur, etiamſi mendacium & falſiloquium habeantur pro ſynonymis. Vult dicere verum & verba profert moraliter verum loquentis: ſed dum videri vult dicere falſum moraliter falſum eſt, quod velit falſum dicere.

§. 175.

Intentio moraliter falſum loquentis.

Qui moraliter falſum loquitur, verum dicere vult videri. Qui enim moraliter falſum loquitur, is profert verba cum cogitationibus ſuis minime convenientia (§. 152.), adeoque a mente ſua diſcrepantia. Quoniam hoc ſciens ac volens facit, vult utique ut is, cui loquitur, ſibi perſuadeat, eam ipſi eſſe mentem, quam verba ſignificant. Quamobrem cum is verum dicat, cum cujus cogitationibus verba conveniunt, conſequenter cujus mentem ſignificant verba, quæ profert (§. 150.); verum dicere vult videri, qui moraliter falſum loquitur.

Intentio falſum moraliter dicentis omnino eſt, ut alter ex verbis ſuis ſibi concipiat mentem ab ea, quam habet, prorſus diverſam, cum ipſe animi ſui ſenſa innoteſcere minime velit, ſed pro vero haberi, quod dicit. Quæ intentio abeſt ab eo, qui, cum falſum ſciens ac volens dicit, ſe falſum dicere velle ſignificat. Intentio iſta ſemper requiritur, ut ſine ea falſiloquio non ſit locus (§. 153.).

§. 176.

Quod falſum loquens animi ſui ſenſa occultare ſtudeat.

Qui moraliter falſum loquitur, animi ſui ſenſa occultare ſtudet. Qui enim moraliter falſum loquitur, verum dicere vult videri (§. 175.). Vult igitur alterum, cui loquitur, ſibi perſuadere, aliam prorſus eſſe mentem loquentis, quam revera habet. Quamobrem cum nolit animi ſui ſenſa eidem innoteſcere, ea utique occultare ſtudet.

Falſiloquio igitur utitur ad occultanda animi ſui ſenſa. Quamobrem quando dicit ſe rem falſam dicere velle, quam tamen pro vera habet; alterum quod ſentit cognoſcere vult, non tamen vult videri, quod ita ſentiat. Hic caſus eſt eorum, qui errores propagare volunt, videri tamen nolunt, quod errorem iſtum foveant, veluti cum ad errores confutandos ſtudio proferant argumenta parum valida.

§. 177.

Quatenus diſſimulatio inſit falſiloquio.

Quoniam ſenſa animi ſui occultare ſtudet, qui moraliter falſum loquitur (§. 176.), qui vero animi ſui ſenſa occultare ſtudet, ea diſſimulat (§. 717. *part. 2. Phil. pract. univ.*); *Qui moraliter falſum loquitur, animi ſui ſenſa diſſimulat*, conſequenter cum ſermo moraliter falſus falſiloquium ſit (§. 156.), *falſiloquium diſſimulationem veri continet* (§. 150.).

Veriloquii & falſiloquii naturam intimius perſpicere tenemur in uſum moralem. Quamobrem cum in jure naturæ non modo ea pertractemus, quæ ad jus iſtud externum ſpectant, cujus potiſſimum in juſtitia habetur ratio, verum etiam ea tradamus, quæ virtutis ſunt; ideo de veriloquio & falſiloquio demonſtramus, quæ uſui iſti ſerviunt.

§. 178.

Quatenus ſimulatio inſit falſiloquio.

Qui moraliter falſum loquitur, mentem ab ea, quam habet, diverſam ſimulat. Qui enim moraliter falſum loquitur, ejus verba cum cogitationibus ipſius diſconveniunt (§. 152.), ſeu iisdem contrariantur, conſequenter mentem ab ea, quam habet loquens, prorſus diverſam ſignificant, & externa actio ab interna diſſentit (§. 716. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum in hoc diſſenſu conſiſtat ſimulatio (§. 716. *part. 2. Phil. pract. univ.*), & mentem eam ſimulemus, quam verba falſum loquentis innuunt; qui moraliter falſum loquitur, mentem ab ea, quam habet, diverſam ſimulat.

Atque adeo videmus, quod falſiloquio inſit & diſſimulatio & ſimulatio, ſed diverſo reſpectu. Diſſimulat enim qui falſa loquitur verum, ſimulat falſum, ſeu diſſimulat quod eſt, ſimu-

Digitized by Google

Iſt quod non eſt. Vult enim ab eo, cui loquitur, credi eam ſibi eſſe mentem, quæ non eſt; hanc vero non eſſe, quæ eſt. Hanc igitur diſſimulat, illam ſimulat. Simulatio adeo in falſiloquio & diſſimulatio non inſunt eodem reſpectu.

§. 179.

Falſiloquii finis. *Qui moraliter falſum loquitur, vult ut is, cui loquitur, pro vero habeat, quod dicit.* Qui enim moraliter falſum loquitur, ejus verba cum cogitationibus ipſius diſconveniunt (§. 152.), conſequenter per ea ſignificatur mens loquentis ab ea, quam habet, prorſus diverſa. Quamobrem cum ſciens ac volens falſum loquatur, adeoque verbis utatur, quorum vi is, cui loquitur, mentem loquentis prorſus diverſam ſibi concipit ab ea, quam habet; loquens omnino vult, ut hoc faciat is, cui loquitur. Vult igitur ut is, cui loquitur, pro vero habeat, quod dicit.

' Experientia hoc ſatis confirmat, ut adeo non dubitem fore haud paucos, qui exiſtimaturi ſunt, hoc ſine probatione ſumi debere: ſed hi non perpendunt, quod etiam demonſtranda ſint, quæ a poſteriori cognoſcuntur, ut certior ſit propoſitionis univerſalitas, & evidentior veritas.

§. 180.

Idem ulterius expenditur. Quoniam logice verum eſt, quod affirmatur, ſi revera eſt, prout affirmatur (§. 506. *Log.*), quod vero negatur, ſi revera non eſt, prouti negatur (§. 507. *Log.*), qui vero falſum moraliter loquitur vult, ut pro vero habeatur, quod dicit (§. 179.); *Qui moraliter falſum loquitur, vult ut is, cui loquitur, judicet, quod loquens affirmat, revera eſſe prouti affirmat, quod vero negat, revera non eſſe, prouti negat.*

Ex. gr. Dicis Titio; te non profecturum ad nundinas, eum tibi ſit animus proficiſcendi. Moraliter adeo falſum loqueris (§. 152.). Eo fine hoc facis, ut alter credat, tibi eſſe animum non proficiſcendi conſequenter te moraliter verum loqui (§. 150.). Quodſi vero credat, moraliter verum eſſe quod dicis; logice quoque veram eſſe hanc propoſitionem arbitratur, tu non profecturus es ad nundinas. Hinc quando ſermo incidit, num ad nundinas ſis profecturus, te profecturum eſſe negas. Ut hoc pro vero haberet voluiſti, atque adeo moraliter falſum locutus es, ut Titius judicaret revera non eſſe, quod negaſti, prouti ſcilicet negaſti. Similiter ſi Sempronio dicis te fuiſſe in horto, cum ibi non fueris; moraliter falſum loqueris. Eo fine utique hoc facis, ut is credat, te in horto fuiſſe, conſequenter te moraliter verum loqui (§ 152.). Quodſi vero credat, moraliter verum eſſe quod dicis; logice quoque verum eſſe putat, te in horto fuiſſe. Ut hoc pro vero habeat, tu voluiſti; adeoque moraliter falſum locutus es, ut Sempronius judicaret revera eſſe, quod affirmas, prouti affirmas. Quodſi quis ex te quæſiverit, num ſyſtema Tychonicum ſit verum, & tu reſpondes eſſe verum, cum tamen pro falſo habeas; moraliter falſum loqueris. Hoc autem facis eo fine, ut alter credat, te ſyſtema mundi Tychonicum pro vero habere. Quoniam enim dogma aliquod non adeo verum agnoſcitur, quia tu iſtud verum eſſe dicis, cum hic aſſenſus niti debeat rationibus, non autoritate; nec aliud velle te ſumendum, quam te pro vero habere, quod verum dicis, niſi aliud ipſe dixeris vel aliunde appareat. Veritas & falſitas moralis non ſupponunt niſi veritatem & falſitatem logicam facti, minime autem doctrinæ. Quamobrem quotieſcunque de doctrina ſermo eſt, ſeu de veritatibus univerſalibus; veritas & falſitas moralis non intelligitur niſi de judicio, quod fers de veritate & falſitate propoſitionis tanquam actu interno mentis.

§. 181.

Verax & veracitas quid ſit. *Verax* dicitur, qui verum moraliter loquitur, quando alteri animi ſui ſenſa indicare tenetur. Quamobrem *Veracitas*, quæ & *Veritas* dicitur, virtus eſt, qua quis moraliter verum loquitur, quotieſcunque alteri animi noſtri ſenſa indicare tenemur.

Eſt nimirum veracitas virtus, quæ dirigit ſermonem, ut is ſit legi naturæ conveniens. Sermone non alio fine utuntur homines, quam ut animi ſui ſenſa ſibi invicem ſignificent. Quemadmo-

Digitized by Google

admodum ergo vi libertatis, quæ homini natura competit (§. 144. *part. 1. Jur. nat.*), is independens eſt a voluntate alterius (§. 154. *p. 1. Jur. nat.*): & a ſua quoque voluntate pendet, utrum animi ſui ſenſa tibi ſignificare voluerit, nec ne, conſequenter hoc non ſemper facere tenetur, quotieſcunque alius voluerit. Quoniam tamen libertas non tollit obligationem naturalem (§ 159. *part. 1. Jur nat.*), nec vi ejuſdem quicquam facere licet, quod eſt contra jus alterius (§. 156. *part. 1. Jur nat.*); ideo a tua voluntate minime dependet, utrum animi tui ſenſa alteri indicare velis, nec ne, ubi ad ea cognoſcenda alteri jus quoddam eſt, & tu ad ea indicanda ipſi obligaris. Quamobrem virtutis eſt, ut animi tui ſenſa alteri ſignifices quando oportet, & in ſignificando ea cautione utaris, ne ex verbis tuis præter voluntatem tuam concipiat mentem tuam prorſus diverſam ab ea, quam habes, adeoque ſenſa animi tui ſignifices alteri, quomodo oportet. Videmus itaque quænam virtus ſit veracitas, aut, ſi mavis, veritas, (a quo tamen vocabulo nos libentius abſtinemus ad evitandam ambiguitatem in loquendo), nimirum quæ ſermonem dirigit legi naturæ convenienter, cui ia non minus ſubjicitur, quam ceteræ actiones humanæ, cum in harum numero etiam ſit loquela.

§. 182.

Mendacium quid ſit.

Mendax dicitur, qui moraliter falſum loquitur, quando alteri animi ſui ſenſa indicare tenetur. Quamobrem *Mendacium* vitium eſt, quo moraliter falſum loquitur ad animi ſui ſenſa alteri indicanda, ſeu ad moraliter verum dicendum obligatus, conſequenter cum ſermo moraliter falſus falſiloquium ſit (§. 156.), mendacium, quatenus ſumitur pro actu, non pro habitu, eſt falſiloquium pugnans cum obligatione, qua tenemur alteri ad animi noſtri ſenſa ſignificanda.

Sunt qui falſiloquium omne mendacium appellant vocabula pro ſynonymis habentes; ſed cum mendacium tanquam vitium opponant veracitati ſeu veritati tanquam virtuti, haud raro in caſu particulari in difficultates incidunt inextricabiles. Mendacium nullo non tempore infame vitium fuit habitum apud omnes gentes. Quamobrem neceſſe eſt, ut quod vitioſum eſt in falſiloquio ab eo, quod vitio caret, diſtinguatur ac mendacii notio legi naturæ convenienter determinetur, ne quod ea permittitur tanquam eidem adverſum ad vitium referatur. *Grotius* cum iis ſentit, qui omne falſiloquium pro mendacio habent, quamvis deinde caſus quoſdam excipiat, in quibus falſiloquium careat turpitudine. Sumit nimirum naturaliter hominem eſſe obligatum ad non aliter utendum verbis, quam ut ſignificent, quod ſignificare debent ex communi hominum inſtituto, propterea quod in hoc tacite conſenſerit, ſe vocabulis aliter uti non velle. Omne adeo falſiloquium repugnat obligationi moraliter verum loquendi in omni caſu, quæ ex pacto tacito eſt. Quodſi hanc obligationem agnoſcas genuinam, definitio noſtra mendacii cum ſententia *Grotii* etiam ſubſiſtit. Enimvero pactum illud tacitum de vocabulis in recepto ſignificatu ſemper ſumendis, quatenus animi noſtri ſenſa ſemper ſufficienter indicant, nobis minime probatur, tum quod ipſum probatione ſufficiente deſtituitur, tum quod per ea, quæ a nobis demonſtrata ſunt, hujuſmodi pactum inire minime potueris.

§. 183.

An mendacium ſit illicitum.

Omne mendacium illicitum eſt, & quidem ſua natura, ſeu in ſe ſpectatum. Etenim falſiloquium illicitum eſt, quod repugnat officio cuidam erga alios, vel obligationi contractæ, qua alteri in ſingulari tenemur, ſeu quod eſt contra jus perfectum vel imperfectum alterius (§. 166.). Sed iſtiuſmodi falſiloquium, quod pugnat cum obligatione, qua alteri ad animi noſtri ſenſa ſignificanda tenemur, conſequenter cum officio aliquo erga alios, vel obligatione quadam contracta, qua ipſi in ſingulari tenemur, quodque adeo eſt contra jus vel perfectum, vel imperfectum alterius, mendacium eſt (§. 182.). Mendacium itaque illicitum eſt. *Quod erat primum.*

Enimvero falſiloquium per repugnantiam cum obligatione, qua alteri tenemur, vel jure ipſius vertitur in mendacium, nec abſque ea mendacium concipitur (§. 182.). Eſt igitur mendacium in ſe ſpectatum, ſeu natura ſua illicitum. *Quod erat alterum.*

Mentiri nunquam licet: cavendum vero eſt ne mentiri dicatur, qui non mentitur. Sane ipſe Deus dixit Abrahamo a mente ſua aliena; cum eum filium ſuum unicum, eumque valde dile-

Digitized by Google

dilectum ſibi immolare juberet. Impoſſibile autem eſt, ut Deus mentiatur. Similiter Salomo lites meretricum diremturus dixit, ſe velle infantem vivum diſſecare gladio & unicuique dare partem dimidiam, cum nihil minus in animo haberet, quam interficere infantem innocentem. Non tamen ideo mentitus eſt. Nimirum in utroque caſu falſiloquium non pugnat cum obligatione animi ſui ſenſa indicandi ei, ad quem verba fiebant. Quicunque mendacium abominantur, id ipſum tanquam rem in ſe turpem conſiderant. Si vero ad mendacium non requiſiveris niſi verborum a cogitationibus ſeu animi tui ſenſis diſcrepantiam, nulla inde turpitudo intrinſeca agnoſcitur, quæ in propatulo eſt, ubi pugna cum obligatione, qua ei, cui loqueris, teneris ſuperaccedit. Atque adeo facile patet, ut mendacium in ſe ſpectatum improbari poſſit, ipſum abſque hac pugna concipi non debere. Ubi vero hoc pacto concipitur, tanquam vitium virtuti, nimirum veracitati, opponitur, quemadmodum ex collatione definitionum veracitatis & mendacii ſtatim liquet.

§. 184.

Cur ei, qui tacere poteſt, falſiloquium non permiſſum.

Qui tacere poteſt, ei moraliter falſum loqui non licet. Etenim qui tacere poteſt, is non obligatur ad animi ſui ſenſa alteri ſignificanda, alias enim moraliter verum loqui teneretur (§. 150.). Quamobrem libertati ipſius relictum eſt, utrum animi ſui ſenſa tacendo occultare, an loquendo alteri eadem manifeſtare velit (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*), nullum vero ipſi jus eſt verbis ſuis inducendi alterum, ut ſibi concipiat mentem ab ea, quam habet, prorſus diverſam, conſequenter moraliter falſum loquendi (§. 152.). Quoniam itaque id facere non licet, ad quod nobis jus nullum eſt (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); nec ei, qui tacere poteſt, moraliter falſum loqui licet.

Ex. gr. Si Titius ex te non quærit, num profecturus ſis ad nundinas, nec tu obligaris ad ſignificandum ipſi, quid apud animum tuum ſtatueris: tacere potes, ubi volueris, ne propoſitum tuum eidem innoteſcat. Nulla igitur cum urgeat ratio, cur te non profecturum eſſe ad nundinas dicas, ubi proficiſcendi animum habes; nec tibi licet dicere ultro, quod profecturus non ſis, ut Titius ſibi concipiat mentem ab ea, quam habes, diverſam.

§. 185.

Cur moraliter verum loqui teneatur, niſi tacere velit.

Qui tacere non vult, cum poſſit, is ad moraliter verum loquendum obligatur. Etenim qui tacere poteſt, ei moraliter falſum loqui non licet (§. 184.). Quodſi ergo tacere non vult, cum poſſit, neceſſe eſt ut moraliter verum loquatur, adeoque ad moraliter verum loquendum obligatur (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Nimirum quemadmodum in demonſtratione propoſitionis præcedentis jam oſtendimus, quando alteri ad animi tui ſenſa ſignificanda non obligaris, adeoque tacere potes, libertati tuæ relictum eſt, utrum tacere, an animi tui ſenſa alteri ſignificare volueris. Quamobrem ſi tua ſponte te offers ad poſterius faciendum, ultro ad moraliter verum loquendum te alteri obligas: id quod ex doctrina de pactis inferius clarius eluceſcet.

§. 186.

An falſiloquium tum ſit mendacium.

Si quis moraliter falſum loquitur, cum tacere poſſet; falſiloquium mendacium eſt. Qui enim tacere non vult cum poſſet, is ad moraliter verum loquendum (§. 185.), conſequenter ad animi ſui ſenſa ei, cui loquitur, ſignificanda obligatur (§. 150.). Eſt autem falſiloquium mendacium, quando ad animi tui ſenſa ei, cui loqueris, ſignificanda, obligaris (§. 182.). Quamobrem ſi quis moraliter falſum loquitur, cum tacere poſſet, falſiloquium mendacium eſt.

Cur moraliter falſum loqui, quam tacere malis, in caſu quovis particulari ratio quædam adſit neceſſe eſt (§. 70. *Ontol.*), quam non ſemper eandem eſſe experientia probat. Pro diverſitate autem rationis turpitudo mendacii nunc major eſſe poteſt, nunc minor, facile æſtimanda

da vi principiorum moralium ratione in caſu dato data. Fieri etiam poteſt, ut quis non tacendo agat contra officium quoddam erga ſe ipſum, vel etiam erga alium quendam, ab eo, cui loquitur, diverſum. Enimvero hoc falſiloquium minime excuſat: quin potius qui falſum moraliter loquitur duplici modo peccat, tum quia non tacet, cum tacere deberet, tum quia falſum loquitur, quando falſiloquium erat illicitum.

§. 187.

Mentiri dicitur, qui moraliter falſum loquitur, quando ad verum loquendum, ſeu alteri animi ſui ſenſa ſignificandum obligatur. *Mentiri quid ſit.*

Gellius Noct. Attic. lib. 11. cap. 11. diſtinguit inter mentiri & mendacium dicere. Qui mentitur, inquit, ipſe non fallitur, ſed alterum fallere conatur: qui mendacium dicit, ipſe fallitur. Unde facile patet, quod mentiri ipſi idem ſit ac moraliter falſum dicere, ſeu verba proferre ab animi ſui ſententia diſcrepantia, eo fine ut alter inde concipiat mentem loquentis ab ea, quam habet, diverſam; mendacium autem dicere non aliud ſignificet quam dicere rem falſam, quam loquens putat eſſe veram, veluti ſi mendaci fidem habens tanquam verum narret, quod ab ipſo audivit. Sed nollem ego mendacium appellare ſermonem logice falſum, qui ſubjective ſpectatus ne quidem falſiloqui nomen mereretur (§. 156.), quamvis ſi verba ſatis explicentur, nullum hinc metuendum ſit veritati præjudicium. Ceterum quod mendacium dicens non mentiatur, etiamſi omne falſiloquium pro mendacio habeas, in ſignificatu *Gellii*, ex ſuperioribus patet (§. 151.).

§. 188.

Mentiri nunquam licet. Etenim qui mentitur, falſum moraliter loquitur, *An nunquam mentiri ſit licitum.*
quando ad animi ſui ſenſa ſignificanda obligatur (§. 187.). Enimvero cum mendacium omne ſit illicitum (§. 183.), nunquam moraliter falſum loqui licet, quando ad animi noſtri ſenſa alteri ſignificanda ſumus obligati (§. 182.). Mentiri igitur nunquam licet.

Vulgo mentiri, mendacium dicere & mendacium loqui pro ſynonymis habentur. Quamobrem nulla adeſt urgens ratio ut logice falſum dicere ad mendacium referatur cum *Gellio*, & hinc mendacium dicere & mentiri a ſe invicem diſtinguantur.

§. 189.

Si verba loquentis duplicem admittunt ſignificatum, quorum alter a mente ipſius diſcrepat, alter cum eadem convenit, & in ſignificatu poſteriori ea adhibet loquens; moraliter falſum non dicit, ſed verum dicit. Etenim qui verba ore fundit, quæ cum cogitationibus ipſius conveniunt, ſeu eam, quam loquens habet, mentem ſignificant, moraliter verum loquitur (§. 150.). Quamobrem cum talia ſint verba loquentis in hypotheſi propoſitionis præſentis & ipſe iiſdem utatur in eo ſignificatu, qui cogitationibus ipſius convenit; quin moraliter verum loquatur dubitandum non eſt. *Quod erat unum.* *Quando verba æquivoca non ſint falſiloquium.*

Similiter qui verba ore fundit, quæ a cogitationibus ſuis minime diſcrepant, moraliter falſum minime loquitur (§. 152.). Quoniam itaque loquens verbis utitur in eo ſignificatu, quo a cogitationibus ſuis non diſcrepant *per hypoth.* in hypotheſi quoque propoſitionis præſentis moraliter falſum non loquitur. *Quod erat alterum.*

Fieri poteſt, ut quis incautus ambigue loquatur non advertens, quod verba etiam alium habere poſſint ſignificatum: poſſunt vero etiam ſubeſſe rationes, cur ita loqui malit. Quamobrem ſi de moralitate ſermonis iſtiuſmodi judicium ferendum, caſus hi probe a ſe invicem ſunt diſtinguendi. Cavendum itaque, ne falſiloquii, multo minus mendacii redarguamus loquentem, ſi verba ambigua eum admittunt ſenſum, qui a mente loquentis diſcrepare aliunde intelligitur, ſit ita quod nos ea ita interpretati fuerimus.

§. 190.

Ambiguitas in loquendo quid ſit.

Ambigue loqui dicitur, qui utitur verbis, quæ ex communi uſu loquendi plures admittunt ſignificatus.

Ambiguitas in loquendo oritur vel ex vocabulis ſingulis, vel ex verborum quorundam complexione; non una de cauſa. Sed de hoc alibi rectius dicetur.

§. 191.

Ambiguitas in loquendo quando non ſit falſiloquium.

Quoniam ambigue loquitur, qui utitur verbis ex communi loquendi uſu plures ſignificatus admittentibus (§. 190.), ſi quis vero verbis duplicem ſignificatum admittentibus eum tribuit, qui cum mente ſua convenit, moraliter falſum non dicit, ſed verum (§. 189.); *ambigue loquens non ideo falſum moraliter loquitur, quod ex ejus verbis colligi poſſit mens ab ea, quam habet aliena, ubi ipſe iiſdem tribuit ſignificatum a mente ſua non diſcrepantem, ſed verum potius moraliter loquitur.*

Nemo non admittere tenetur, ſi verba loquentis plures admittunt ſignificatus, in eo ſignificatu eadem accipienda eſſe, quem non invito communi uſu iiſdem tribuit loquens. Cum enim plures habere poſſint ſignificatus, libertati ipſius relictum eſt, in quonam ea accipere velit (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*), neque in ſe quicquam vitii habet quod in hoc potius iiſdem utatur, quam in alio, quem etiam habere poterant, communi loquendi uſu utrumque æqualiter probante. Si hoc permiſſum eſſe non debet, ſingularis adſit neceſſe eſt ratio, cur libertas ejus reſtringatur ad hunc potius, quam alterum eligendum. Hæc vero ratio non alia eſſe poteſt, quam jus quoddam tuum (*§. cit. p. 1. Jur. nat.*), quod quale eſſe poſſit inquirendum.

§. 191.

Quando ambiguitas in loquendo ſit impru[dens].

Si qui alteri animi ſui ſenſa ſignificare voluerit, ambigue loquitur; imprudens eſt. Etenim qui ambigue loquitur, verbis utitur, quæ ex communi uſu loquendi plures admittunt ſignificatus (§. 190.), conſequenter cum nonniſi unus exprimat mentem loquentis, fieri omnino poteſt, ut ex iis alter, ad quem verba fiunt, [ac]cipiat mentem ab ea, quam loquens habet, prorſus diverſam, adeoque loq[uent]is animus eidem non innoteſcat (§. 119. *Log.*). Loquens adeo, dum utitur v[er]bis ambiguis alteri animi ſui ſenſa ſignificaturus, facit quod vi circumſtantiarum præſentium non facere debebat. Quamobrem cum imprudens ſit, qui facit, quod vi circumſtantiarum præſentium facere non debebat (§. 776. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ſi ambigue loquitur, qui alteri animi ſui ſenſa ſignificare voluerit, imprudens eſt.

Etſi adeo non falſiloquii, multo minus mendacii redargui poſſit qui ambigue loquitur; non tamen ideo probanda eſt ambiguitas in loquendo.

§. 192.

Quando ſit culpoſa & vitanda.

Quoniam imprudens eſt, qui alteri animi ſui ſenſa ſignificaturus ambigue loquitur (§. 191.), actio autem imprudentis culpoſa eſt (§. 777. *part. 1. Phil. pract. univ.*): *ambiguitas in loquendo culpoſa eſt, quando alteri animi tui ſenſa ſignificare vis.* Cumque culpam quamlibet vitare debeamus (§. 299. *part. 1. Jur. nat.*); *ambiguitas* etiam *in loquendo vitanda eſt, quando animi tui ſenſa alteri ſignificare vis.*

Atque adeo videmus peccari adverſus naturæ legem, ſi ambigue loquamur, ubi alteri animi noſtri ſenſa ſignificare voluerimus. Hoc probe notari velimus; ne, dum mendacium ab ambigue loquente removemus, videamur omnem ambigue loquendi licentiam admittere.

§. 193.

§. 193.

Quando ambiguitas in loquendo illicita & mendacio æquipolleat.

Si quis alteri ad animi ſui ſenſa ſignificanda obligatur & prævidet, quod ambigue loquentis verba alter accepturus ſit in ſignificatu a mente ſua diſcrepante, aut minimum veretur, ne hoc fiat; ab ambiguitate in loquendo abſtinere debet & ambiguitas in loquendo mendacio æquipollet, ſi ea intentione ambigue loquatur, ut alter mentem ſuam concipiat aliam, quam habet. Quodſi enim alteri ſenſa ſignificare teneris & prævides, quod ambigue loquentis verba alter accepturus ſit in ſignificatu a mente tua diſcrepante, hoc tamen non obſtante ambigue loquaris; neceſſe omnino eſt, ut velis, alterum ex verbis tuis concipere mentem ab ea, quam habes, prorſus diverſam, ac ea de cauſa ambigue loquaris, ut hoc fiat. Perinde igitur eſt, ac ſi ſciens ac volens utaris verbis a mente tua diſcrepantibus. Enimvero qui ſciens ac volens utitur verbis a mente ſua diſcrepantibus, moraliter falſum loquitur (§. 152.), & quando moraliter falſum loquitur, ſi ad animi ſui ſenſa indicanda alteri obligatur, falſiloquium mendacium eſt (§. 182.). Quamobrem ambiguitas in loquendo mendacio æquipollet, ſi alteri ad animi tui ſenſa ſignificanda obligatus utaris verbis ambiguis, etiam ſi prævideas eum verba tua in ſignificatu a mente tua diſcrepante accepturum eſſe, ac ea intentione ambigue loquaris, ut hoc faciat. *Quod erat primum.*

Eſt vero mendacium omne illicitum (§. 183.), adeoque ab eo abſtinendum (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque ambiguitas in loquendo mendacio æquipollet, quando alteri ad animi tui ſenſa obligatus ambigue loqueris, etiamſi prævideas, eum verba tua in ſignificatu a mente tua diſcrepante accepturum eſſe *per demonſtrata*, ipſa etiam in loquendo ambiguitas illicita eſt in hoc caſu & ab ea abſtinendum. *Quod erat ſecundum.*

Quodſi vereris, ne alter verba tua in ſignificatu a mente tua diſcrepante accipiat, hoc tamen non obſtante hoc facis, neceſſe eſt ut habeas animum moraliter falſum loquendi (§. 152.). Quoniam itaque ad veriloquium obligamur, quando alteri ad animi noſtri ſenſa ſignificanda obligamur (§. 161.), conſequenter a falſiloquio abſtinere debemus (§. 164.); a volitione quoque moraliter falſum loquendi, conſequenter ab eo actu, quem includit in hypotheſi propoſitionis præſentis, abſtinendum. Quamobrem patet ab ambiguitate in loquendo abſtinendum eſſe, ubi ambigue loquens obligatus eſt ad animi ſui ſenſa alteri ſignificandum, verendum autem, ne verba ambigua accipiantur in ſenſu a mente loquentis diſcrepante ab eo, cui is loquitur. *Quod erat tertium.*

Quodſi in eo caſu, ubi verendum, ne is, cui loqueris, verba ambigua accipiat in ſignificatu a mente tua diſcrepante, ea intentione ambigue loquaris, ut hoc fiat, cum in hypotheſi propoſitionis præſentis falſiloquium mendacium ſit (§. 182.); quin habeas animum mentiendi dubitandum non eſt. Patet igitur, cum actus mentiendi voluntatem involvens mendacio æquipolleat, ambiguitatem in loquendo æquipollere mendacio, quando quis ambigue loquitur ea intentione, ut alter inde concipiat mentem ab ea, quam habet, diverſam, ubi ad animi ſui ſenſa eidem ſignificanda obligatur. *Quod erat quartum.*

Vitium inhæret animo, non actui externo; qui quod vitioſus ſit ab animo facientis habet. Quamobrem diſcrepantia verborum ab animi ſenſis in ſpectata nihil vitii habet, ſed tum demum vitioſa intelligitur, quando ſpectatur tanquam dependens a libera voluntate loquentis, qui ſcilicet vult uti verbis, ex quibus alter mentem ſuam colligere nequit, cui tamen eandem patefacere debebat. Quodſi adeo ſpectes animum loquentis, qui ad mendacium requiritur, & eum, qui adeſſe ſupponitur ambiguitati loquendi in caſu propoſitionis præſentis, unus idemque eſt. Qui in mendacio adeſt animus mentiendi, idem etiam adeſt in caſu propoſitionis præſentis. Unica hæc differentia intercedit, quod in caſu poſteriori præferas verba ambigua minime ambiguis, ut mendacium excuſare & te, ubi neceſſe fuerit, contra ejus imputationem defendere poſſis. Præterea hoc conſiderari meretur, quod, quando prævides alterum, cui loqueris, verba ambigua in ſignificatu a mente tua diſcrepante accepturum, animum ad mentien-

dum eſſe proniorem; quam ubi tantummodo verendum, ne id fiat, niſi forſan tibi valde metuas ab eo, cui loqueris, ſi quidem mentitus fueris, vel aliunde incommoda ex mendacio redundatura evitare ſtudeas.

§. 194.

Alius caſus ambiguitatis in loquendo illicita.

Si quis alteri ad animi ſui ſenſa ſignificandum non obligatur, cumque tacere poſſet, ambigue loquitur, quia prævidet, eum verba ambigua in ſignificatu a mente ſua diſcrepante accepturum eſſe, aut ſaltem probabile ipſi videtur, quod hoc ſit futurum; ambiguitas in loquendo mendacio æquipollet, adeoque ab ea abſtinendum. Si quis enim prævidet, eum, cui loquitur, verba ſua in ſignificatu a mente ſua diſcrepante accepturum eſſe, aut ſaltem probabile ipſi videtur, quod hoc futurum ſit, & ideo ambigue loquitur; perinde eſt ac ſi ſciens & volens moraliter falſum loqueretur (§. 152.). Quare cum hoc faciat, cum tacere poſſet, alteri ad animi ſui ſenſa ſignificandum non obligatus; perinde omnino eſt, ac ſi ſciens & volens moraliter falſum loquatur, cum tacere poſſit. Quoniam itaque falſiloquium mendacium eſt, ſi quis moraliter falſum loquitur, cum tacere poſſet (§. 186.); ambiguitas in loquendo mendacio æquipollet, ſi quis alteri ad animi ſui ſenſa ſignificandum non obligatur, cumque tacere poſſet; ambigue loquitur; quia prævidet eum verba ambigua in ſignificatu a mente ſua diſcrepante accepturum eſſe, aut probabile ſaltem ipſi videtur, quod hoc ſit futurum. *Quod erat unum.*

Eſt vero mendacium omne illicitum (§. 183.), adeoque ab eo abſtinendum (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum ambiguitas in loquendo in hypotheſi propoſitionis præſentis mendacium ſit *per demonſtrata*, in hac quoque hypotheſi ab ambiguitate in loquendo abſtinendum. *Quod erat alterum.*

Poſterius etiam inferri poterat ex eo; quod ei falſum moraliter loqui non liceat, qui tacere poteſt (§. 184.). Et tota propoſitio præſens reduci poterat ad præcedentem, quatenus qui tacere non vult, cum poſſet, ad moraliter verum loquendum alteri obligatur (§. 185.), ut adeo, cum antea non obligatus eſſet, non tacendo contrahat obligationem alteri animi ſui ſenſa ſignificandi. Cetarum quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus, ad præſentem quoque trahenda ſunt.

§. 195.

Quando ambiguitas in loquendo pro falſiloquio habenda.

Si quis verbis ambiguis utitur eo fine, ut alter inde concipiat mentem ab ea, quam habet, diverſam; ambiguitas in loquendo pro falſiloquio habenda. Etenim qui verbis ambiguis utitur eo fine, ut alter inde concipiat mentem ab ea, quam habet, diverſam; verbis iſtis uti dicendus eſt in eo ſignificatu, qui a mente ſua diſcrepat, cum quoad intentionem loquentis perinde ſit, ac ſi ea ſignificatum alium non haberent. Quoniam itaque moraliter falſum loquitur, qui verbis utitur a mente ſua diſcrepantibus (§. 152.), adeoque ſermo ipſius falſiloquium eſt (§. 156.); ambiguitas etiam in loquendo pro falſiloquio habenda, ſi quis verbis ambiguis utitur eo fine, ut alter inde concipiat mentem ab ea, quam habet, diverſam.

Verbis utimur tanquam ſignis, quibus ei, cui loquimur, indicare volumus, quod cogitamus. Quodſi adeo alteri loquamur, verbis eum tribuimus ſignificatum, in quo ea ab ipſo ſumi volumus, conſequenter id ſignificare ipſi volumus, quod ut ex verbis noſtris colligat intendimus. Nemo igitur in dubium vocare poteſt, verba ambigua ſumi a loquente in eo ſignificatu, qui ab eadem diſcrepat, quando eo fine ambigue loquitur, ut alter inde concipiat mentem ab ea, quam habet, diverſam. Non ſufficit noſſe, quod verba tua etiam habere poſſine ſignificatum cum mente tua convenientem, cum nolis ut alter, cui loqueris, eum ſignificatum verbis tuis eribuat, alias iiſdem non uſurus, ſiquidem tibi de eo certo conſtares. Intentio tua, dum ambigue loqueris, hæc eſt, ut alter, cui loqueris, ex verbis tuis concipiat mentem ab ea, quam habes, diverſam: qui moraliter falſum loquitur, vult itidem ut hoc faciat alter (§. 180.)

Digitized by Google

(§. 180.); atque ideo intentio tua in hypotheſi propoſitionis præſentis eadem eſt cum intentione moraliter falſum loquentis. In veritate autem & falſitate morali verba referuntur non ad facultatem cognoſcitivam; ſed ad voluntatem, quemadmodum ex ipſis definitionibus facile intelligitur (§. 150. 152.).

§. 196.

Quando ambiguitas in loquendo faciat ad diſſimulandum animi ſenſa.

Si quis prævidet, alterum verba ambigua in ſignificatu a mente ipſius diſcrepante accepturum; ambigue loquens animi ſui ſenſa diſſimulat. Quodſi enim prævides alterum verba ambigua in ſignificatu a mente tua diſcrepante accepturum eſſe; ubi ambigue loqueris, verba ambigua in cauſa ſunt, ne alteri animi tui ſenſa innoteſcant, conſequenter iiſdem hæc occultas. Quamobrem cum animi ſui ſenſa diſſimulet, qui ea quomodocunque occultat (§. 717. *part. 2. Phil. pract. univ.*); ſi prævidens alterum verba ambigua in ſignificatu a mente tua diſcrepante accepturum ambigue loqueris, animi tui ſen.a diſſimulas.

Nimirum qui ambigue loquitur, quando prævidet, alterum verba ambigua in ſignificatu a mente ipſius diſcrepante accepturum; is utique ambiguitate in loquendo intendit, ut hoc faciat, conſequenter animi ſui ſenſa occultare; adeoque diſſimulare vult. Quodſi vellet ea alteri inoteſcere, ambigue non loqueretur.

§. 197.

Quando licita, etiamſi is fallatur, cui loquimur.

Quoniam ambigue loquens, qui prævidet, alterum verba ambigua in ſignificatu a mente ſua diſcrepante accepturum, animi ſui ſenſa diſſimulat (§. 196.); *Quotieſcunque animi ſui ſenſa diſſimulare licet, ambiguitas quoque in loquendo licita eſt, etiamſi prævideamus, alterum verba noſtra in ſignificatu a mente noſtra diſcrepante accepturum eſſe.*

Fallitur omnino, qui ex verbis noſtris colligit mentem ab ea, quam habemus, prorſus diverſam. Sed fallitur, dum ipſi nullum jus eſt animi noſtri ſenſa cognoſcendi. Nihil igitur inde adverſus hoc concluditur, quod tu in cauſa ſis, ut ipſe fallatur circa rem, quam noſſe ipſius non eſt. Pœnam dat curioſitati, a qua abſtinere debet.

§. 198.

Idem ſpecialius determinatur.

Si veriloquium repugnat officio cuidam erga alios vel obligationi contractæ, qua alteri in ſingulari teneris, & tu prævides alterum verba ambigua in eo ſignificatu accepturum, qui a mente tua diſcrepat; ambigue loqui licet. Etenim ſi veriloquium repugnat officio cuidam erga alios aut obligationi contractæ qua alteri in ſingulari teneris, veritatem diſſimulare licet (§. 171.). Quotieſcunque animi ſui ſenſa diſſimulare licet, ambiguitas in loquendo etiam licita eſt, quamvis prævideamus, alterum verba in ſignificatu a mente noſtra diſcrepante accepturum (§. 197.). Quamobrem ſi veriloquium repugnat officio cuidam erga alios vel obligationi contractæ, qua alteri in ſingulari teneris; ambiguitas in loquendo licita eſt, etiamſi prævideas alterum verba ambigua in ſignificatu a mente noſtra diſcrepante accepturum.

§. 199.

Porro expenditur.

Si veriloquium ſit contra jus imperfectum vel perfectum alterius, & tu prævideas alterum verba ambigua in ſignificatu a mente tua diſcrepante accepturum; ambigue loqui licet. Etenim cum veritatem diſſimulare liceat, quando veriloquium eſt contra jus imperfectum, vel perfectum alterius (§. 171.); propoſitio præſens eodem modo demonſtratur, quo præcedens (§. 198.).

Digitized by Google

De veritate propoſitionis præcedentis & præſentis dubitare nequit, qui vel obiter animum ad eam advertit. Ambiguitas in loquendo medium eſt animi ſui ſenſa diſſimulandi (§. 196.). Quamobrem cum animi ſui ſenſa diſſimulare in caſu propoſitionis utriuſque licitum (§. 171.); nec ambiguitas in loquendo in ſe ſpectata illicita; ambigue loqui licere in caſu iſto nemo dubitabit.

§. 200.

Caſus alius. *Si verum dicendo contra officium erga te ipſum agis, & prævides alterum verba ambigua in ſignificatu a mente tua diſcrepante accepturum, ambigue loqui licet.* Quoniam animi tui ſenſa diſſimulare licet, ſi verum dicendo contra officium erga te ipſum agis (§. 170.); propoſitio præſens eodem modo demonſtratur, quo anterior (§. 198.).

Relegenda hic ſunt, quæ ſupra annotavimus de diſſimulatione veri in caſu propoſitionis præſentis.

§. 201.

Caſus alius. *Si ſine falſiloquio officio cuidam erga te ipſum, vel erga alios aut obligationi cuidam contractæ, qua alteri in ſingulari teneris, ſatisfieri nequit, vel falſum non dicendo violatur jus quoddam ſive perfectum, ſive imperfectum alterius; ambiguitas in loquendo licita, ubi prævides, alterum verba ambigua in ſignificatu a mente tua diſcrepante accepturum.* Etenim in hypotheſi propoſitionis præſentis falſiloquium licitum eſt (§. 172.). Enimvero ſi quis prævidet alterum verba ambigua in ſignificatu a mente ſua diſcrepante accepturum, ac ideo ambigue loquitur; ambiguitas in loquendo pro falſiloquio habetur (§. 195.). Ambiguitas igitur in loquendo licita eſt, ubi prævides alterum verba in ſignificatu a mente tua diſcrepante accepturum, ſi ſine falſiloquio officio cuidam erga teipſum, vel erga alios aut obligationi cuidam contractæ, qua alteri in ſingulari teneris, ſatisfieri nequit, vel falſum non dicendo violatur jus quoddam ſive perfectum, ſive imperfectum alterius.

Erunt forſan; qui ſibi perſuadebunt propoſitionem præſentem cum duabus præcedentibus coincidere, adeoque præter neceſſitatem propoſitionum numerum augeri, propterea quod veriloquium officio vel obligationi cuidam contractæ repugnat, aut contra jus alterius eſt, quando ſine falſiloquio iſti ſatisfieri nequit, vel falſum non dicendo hoc violatur. Enimvero ſi vel maxime uterque caſus ſemper una exiſteret, ita ut unus abſque altero nunquam dari poſſet; non tamen ideo ſuperfluum foret demonſtrare, quod in utroque ambiguitas in loquendo licita ſit, propterea quod pro diverſitate circumſtantiarum, in quibus conſtituitur agens, nunc attentio trahitur in repugnantiam veriloquii cum officio, vel obligatione contracta, qua alteri in ſingulari teneris, aut cum jure quodam alterius nunc in nexum neceſſarium falſiloquii cum officio aut obligatione iſta, quatenus eidem ſatis faciendum, aut omiſſi falſiloquii cum violatione juris alterius. Ad utrumque igitur caſum cum parati eſſe debeamus, neceſſe eſt ut in utroque etiam demonſtretur, quidnam obtineat; etiamſi ſit idem. Neque vero verum eſt unum idemque eſſe, num veriloquium dicatur repugnare officio, obligationi contractæ aut juri cuidam alterius, an vero ſumatur, ſine falſiloquio officio vel obligationi ſatisfieri non poſſe, aut falſum non dicendo violari jus alterius. Etſi enim verum ſit, ſi ſine falſiloquio officio vel obligationi ſatisfieri nequit, aut falſum non dicendo violatur jus alterius, veriloquium repugnare officio, vel obligationi, aut juri cuidam alterius; non tamen propoſitionem convertere licet afferendo: Si veriloquium repugnat officio vel obligationi tuæ, aut juri cuidam alterius, ſine falſiloquio illi ſatisfieri nequit, & falſum non dicendo jus hujus violatur. Neque enim ſemper neceſſe eſt, ut falſum loquaris: ſæpe ſufficit, ut taceas, vel ut veritatem alio quocunque modo diſſimulas. Quæ etiam ratio eſt, cur non ex iiſdem principiis oſtenderimus, ambiguitatem in loquendo eſſe licitam in utroque caſu.

§. 202.

§. 202.

Caſus alius.

Quodſi alteri ad animi tui ſenſa ſignificanda non obligaris, & cum tacere non detur praevideas fore, ut alter anceps hæreat, quemnam ſignificatum verbis ambiguis tribuere debeat; ambiguitas in loquendo licita eſt. Quodſi enim alteri ad animi tui ſenſa ſignificanda non obligaris, libertati tuæ relictum eſt, num eadem ipſi ſignificare velis, an nolis (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.* & §. 156. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quodſi ergo nolis alteri animi tui ſenſa ſignificare, ubi prævides eum fore ancipitem, quemnam verbis ambiguis ſignificatum tribuere debeat; verbis ambiguis impedis, quo minus ea ipſi innoteſcant. Quamobrem cum tibi tacendum non ſit, *per hypoth.* ambigue loqui licet, ubi prævides, fore, ut alter anceps hæreat, quemnam ſignificatum verbis ambiguis tribuere debeat.

Dantur omnino caſus, ubi interroganti reſpondendum, nec tamen ulla obligatio nos tenet alteri animi noſtri ſenſa ſignificandi, nec verum loqui expedit, neque etiam licet falſum loqui. Tum igitur recurrendum ad ambiguitatem in loquendo, non repugnante Jure naturæ.

§. 203.

Temeraria in interrogando curioſitas quomodo redarguenda.

Quoniam ambigue loqui licet, cum tacere non detur, quando alteri ad animi tui ſenſa ſignificanda non obligatus prævides fore, ut is anceps hæreat, quemnam ſignificatum verbis ambiguis tribuere debeat (§. 202.), temerarie autem interroganti ad animi tui ſenſa ſignificanda minime obligaris; *temeritatem in interrogando* ſeu *temerariam in interrogando curioſitatem ambigua reſponſione redarguere licet.*

Caſus hic ſpecialis eſt theorematis præcedentis: neque enim ſemper temerarie, hoc eſt, ſine ulla ratione inquirit in mentem alterius, eum ſubinde percontanti utile eſſe poſſit, ut ipſi de mente tua certo conſtet, aut ut norit, quid conjecturis tuis ſubſit, etſi ex ſola utilitate nullum ipſi naſcatur jus. (§. 265. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter nec tu obligeris ad animi tui ſenſa eidem indicanda. Caſum adeo ſpecialem ſub generali inſtar corollarii ſubſumi non inconſultum nobis viſum, ob ejus in praxi utilitatem.

§. 204.

Ambiguitas in loquendo medium licitum.

Si ambiguitas in loquendo medium eſt conſequendi finem, ad quem conſequendum obligati ſumus; eadem uti licet. Etenim ſi obligati ſumus ad finem conſequendum, jus naturæ etiam nobis dat jus ad media, quæ ad finem conſequendum faciunt (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), niſi ea in ſe illicita ſint (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque ambiguitas in loquendo in ſe illicita non eſt, ut pote licita in caſu non uno (§. 197. & *ſeqq.*); ſi ambiguitas in loquendo medium eſt conſequendi finem, ad quem conſequendum obligati ſumus, eadem uti licet.

Si ambiguitas in loquendo in ſe illicita eſſet, nec ea uti liceret tanquam medio conſequendi finem honeſtum: neque enim facienda mala ſunt, ut bona inde eveniant. Enimvero quoniam eadem actio in ſe indifferens eſt, quæ honeſtatur, vel turpitudine inficitur per determinationes accidentales, quæ accedunt; ideo nil obſtat, quo minus eadem utamur, quando medium eſt finem honeſtum conſequendi.

§. 205.

Caſus ſpecialis.

Quoniam ambigue loqui licet, quando ambiguitas in loquendo eſt medium conſequendi finem, ad quem conſequendum obligati ſumus (§. 204.), ad erudiendum vero alios obligati ſumus (§. 609. *part.* 1. *Jur. nat.*); *ſi ambiguitas in loquendo facit ad erudiendum alios, ambigue loqui licet.*

Poteſt

Poteſt etiam dari obligatio ſpecialis eum erudiendi, qui curæ noſtræ commiſſus eſt, quæ generales includit, qualis eſt præceptoris, qui ad erudiendum diſcipulum obligatur. Quodſi ergo is utatur verbis ambiguis erudiendi diſcipuli cauſa, vi corollarii præſentis id licitum intelligitur, utut in demonſtrando provocemus ad obligationrm generalem; Nam ſi in genere licitum eſt ambigue loqui, quando ambiguitas in loquendo facit ad erudiendum alios; multo magis licita intelligitur, ſi ſingularis adeſt obligatio alterum erudiendi. Ipſum Chriſtum eo fine ambigue locutum conſtat Joann. XI. 11. Luc. XXII. 30.

§. 206.

Quando is obtineat. Quoniam ad alios erudiendos facit *ambiguitas in loquendo, ſi rudiendorum excitet attentionem ad ea, quæ dicturus eſt, vel ſolertiam inquirendi in veritatem*, cum ambigue loqui liceat, ſi ambiguitas in loquendo facit ad erudiendum alios (§. 205.) etiam tum *ambigue loqui licet*.

Ne quis exiſtimet, quaſi ambiguitas in loquendo facere non poſſit ad alios erudiendos, corollarium præſens addere libuit: quo ipſo ſimul docemur, ambiguitate in loquendo obtineri, quæ abſque ea conſequi non dsbatur. Neque enim ſine ſufficiente attentione veritas ſatis perſpicitur, etſi verbis perſpicuis explicetur, & attentioni adſueſieri ad perfectionem intellectus facit, conſequenter & ad erudiendum alterum ſpectat eundem attentioni adſuefacere. Eadem tenenda ſunt de ſolertia in veritatem inquirendi, quæ pendet a cupiditate verba ambigua intelligendi. Accedit quod veritas per verba ambigua inſinuata animis hominum eandem haud raro ipſis commendet, quatenus non ſine ingenio proferuntur, cum alias eandem dua aſpernarentur, aut non magni facerant.

§. 207.

Allegoria quid ſit. *Allegoria* eſt ſermo conſtans vocabulis, quæ a ſignificatu proprio ad aliud quiddam ſignificandum transferuntur propter rerum ſimilitudinem.

Hinc *Cicero* lib. 3. de Orat. c. 42. de allegoriis: ſumta re, inquit, ſimili, verba ejus rei propria deinceps in rem aliam transferuntur. Similitudo iſta facit ad ſignificatum allegoricum percipiendum, ut intelligatur, quid loquens ſibi velit. Agitur de allegoriis in Rhetorica tanquam ornamento orationis. Hic eam definire lubet, ut ſequentia penitus intelligantur.

§. 208.

Cur ad eas excogitandas ingenium requiratur. Quoniam in allegoriis verba a ſignificatu proprio, quem habent, ad res alias ſignificandas transferuntur propter ſimilitudinem, quam hæ cum iſtis habent, quas ex communi loquendi uſu denotant (§. *præc.* & §. 139. *Log.*), rerum autem ſimilitudines obſervare ingenii eſt (§. 476. *Pſych. empir.*); *ad allegorias excogitandas ingenium requiritur.*

Inde eſt, quod allegoriæ placeant, tantoque placeant magis, quo fuerint magis ingenioſæ, & pro ingeniorum diverſitate huic placeant magis, quam iſti.

§. 209.

Quid ſit ænigma. Allegoria obſcurior, cujus ſignificatum nonniſi divinando aſſequi datur, *Ænigma* appellari ſolet. Poteſt etiam definiri, quod ſit allegoria, in quibus improprius verborum ſignificatus ambiguus videtur.

De ænigmate quidem conſtat; quod verba ejus accipi debeant in ſignificatu improprio, a rebus, quas ſignificant, ea transferendo ad denotandas alias, quandam cum illis ſimilitudinem habentes. Sed cum non ſatis appareat, quænam ſint res iſtæ, ad quas denotandas transferri debeant, verba qua impropria obſcura ſunt (§. 80. 81. *Log.*). Hinc etiam ænigmata ad divinandum proponi ſolent. Habent quoque fabulæ haud raro aliquid ænigmatici, quales ſunt

ſa.

fabulæ *Æſopi*: neque enim ſignificatus obvius eſt, ut adeo interpretatio iiſdem vel præmitti, vel poſtponi ſoleat (§. 304. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*).

§. 210.

Ænigmatum uſus.

Ænigmata faciunt ad exercendum ingenium. Sunt enim allegoriæ (§. 209.). Quamobrem cum allegoria conſtet vocabulis, quæ a ſignificatu proprio ad aliud quid ſignificandum transferuntur propter rerum ſimilitudinem (§. 207.); qui ænigma interpretari voluerit, ſignificatum improprium obſervaturus, in obſervandis ſimilitudinibus rerum exercitatus eſſe debet, aut ſi mavis, pronus ad obſervandas rerum ſimilitudines. Et quoniam allegoria obſcurior eſt, ita ut ſignificatus verborum improprius ambiguus ſit, nec eum niſi divinando aſſequi detur (§. 209.); ideo neceſſe eſt, ut ænigma interpretaturus in diſcernendis ſimilibus, conſequenter iis, quæ in duabus rebus eadem ſunt (§. 195. *Ontol.*), ſit ſatis acutus (§. 332. *Pſych. empir.*). Enimvero facilitas obſervandi rerum ſimilitudinem ingenium eſt (§. 476. *Pſych. empir.*), idque tanto majus, quo majore acumine juvatur (§. 332. *Pſych. empir.*). Quamobrem patet, ænigmatum interpretatione exerceri ingenium, conſequenter ænigmata ad exercendum ingenium faciunt.

Siquidem ex inſtituto de ænigmatibus ageremus, plures illorum uſus commemorari poterant: immo multo etiam adhuc evidentius doceri poterat, quomodo ænigmata faciant ad ingenium exercendum. Sed pro præſenti inſtituto uſus hic ſufficit, nec uberius eundem exponi neceſſe eſt, ubi tantummodo de moralitate ænigmatum in genere ſtatuendum.

§. 211.

An in ſe licita.

Ænigmata in ſe ſpectata licita ſunt. Faciunt enim ad exercendum ingenium (§. 210.). Quamobrem cum ad ingenium perficiendum obligemur (§. 252. *part.* 1. *Jur. nat.*), etiam ad alienum (§. 608. *part.* 1. *Jur. nat.*), conſequenter lex naturæ nobis dat jus ad ea, quæ ad ingenium perficiendum faciunt (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); eadem etiam ad ænigmata nobis jus dat, conſequenter ænigmata in ſe ſpectata licita ſunt.

Ænigmata ſemper eum habent uſum, quem iiſdem ſimpliciter vindicavimus in propoſitione præcedente, eumque neceſſario. Atque adeo uſus iſte ſufficit ad oſtendendum, quod in ſe ſpectata licita ſint. Quamvis vero in ſe ſpectata licita ſint; non tamen ideo negatur, quod ex cauſis aliis illicita fieri poſſint. Exemplo eſto, ſi quis ænigmata proponit, quod vocabulis offertur, quæ res obſcœnas ſignificare videntur, ut placeant illis, qui rebus obſcœnis delectantur: ſuo enim loco oſtendemus, delectationem iſtiuſmodi illicitam eſſe.

§. 212.

An ænigmata referenda ad ambiguitatem in loquendo.

Ænigmata æquivalent ſermoni ambiguo. Etenim de ænigmatibus conſtat, quod verba non accipienda ſint in ſignificatu proprio, ſed quod transferenda ſint ad ſignificandas res alias (§. 207. 209.), conſequenter quod in ſenſu improprio accipi debeant verba (§. 146. *Log.*). Quamobrem cum ſignificatus verborum improprius ſit ambiguus (§. 209.), qui ænigmatice loquitur, ambigue loquitur, conſequenter ænigmata ſermoni ambiguo æquivalent.

Inde eſt; quod *Grotius* de J. B. & P. lib. 3. c. 1. §. 10. n. 2. Fabulas Chriſti, quæ parabolarum nomine vulgo veniunt, ad ambiguas locutiones refert, quatenus ſcilicet fabulæ ænigmata continent (*not.* § 209.).

§. 213.

§. 213.

Quomodo moralitas ænigmatum dijudicanda.

Quoniam ænigmata ſermoni ambiguo æquivalent (§. 212.); *Quando ambiguitas in loquendo licita, ænigmata quoque licita ſunt, quando vero illa illicita, hæc quoque illicita ſunt.*

Oſtendimus ænigmata in ſe licita eſſe (§. 211.), atque adeo non demum videntur pro licitis habenda in eo caſu, in quo ambiguitas in loquendo licita. Superflua adeo videtur pars prior corollarii præſentis, aut, ſi minime ſuperflua videri debet, non opus erat demonſtrari, quod in ſe licita ſint. Enimvero monuimus jam ante (*not.* §. 211.), ænigmata in ſe licita ex accidente, ſeu cauſis ſupervenientibus illicita fieri poſſe. Non ſuperfluum itaque cenſeri debet, quod oſtendatur, quandonam licita perſiſtant, aliis licet cauſis ſupervenientibus. Oſtendendum vero etiam erat, quod in ſe ſpectata licita ſint, ne cum locutionibus ambiguis aliis in numerum actionum in ſe indifferentium referantur, quaſi in ſe ſimpliciter ſpectatis nulla inſit moralitas. Ceterum non opus eſt, ut ad ænigmata applicentur, quæ paulo ante de ambiguitate in loquendo a nobis demonſtrata ſunt, cum nemo non abſque ulla difficultate hoc ipſe facere poſſit. Ex gr. ænigmata ſubinde mirifice faciunt ad erudiendos alios in moralibus. Quamobrem cum in anterioribus oſtenderimus, ambiguitatem in loquendo eſſe licitam, quando facit ad erudiendum alios (§. 205.); hinc etiam concluditur, quod vi corollarii præſentis ænigmata in iſto caſu ſint licita, aut, ſi mavis, maneant licita, vel potius magis licita efficiantur. Ceterum nunc ſubtiliter non inquirimus, num ænigma quoad ſignificatum verborum improprium ſit in ſe ambiguum, an vero ambiguitas illa ſaltem oriatur ea parte ejus, qui idem interpretari aut ſignificatum improprium divinando aſſequi tenetur: hæc enim diſquiſitio merito rejicitur ad theoriam ænigmatis completam, quæ non eſt hujus loci. Hic illud diſcrimen inſuper habemus, ſive ratio ambiguitatis deſumenda ſit ab ipſo ænigmate, ſive ab eo, qui ænigmatis ſenſum divinare debet.

§. 214.

An metu mali addictis falſum loqui liceat.

Si ad veriloquium obligamur, metu periculi inde nobis vel aliis imminentis falſum loqui non licet. Etenim ſi ad veriloquium obligamur, a falſiloquio abſtinere debemus ſeu falſiloquium illicitum eſt (§. 164.). Quamobrem cum nemo metu mali cujuſdam imminentis deterreri debeat, quo minus faciat, quod legi naturæ convenit, nec ſeſe adduci patiatur neceſſe eſt ad faciendum, quod legi naturæ contrarium (§. 599. *part. 1. Jur. nat.*), nec metu mali cujuſdam a veriloquio imminentis deterreri debemus, quo minus verum loquamur, nec eo nos adduci pati debemus, ut falſum loquamur. Quamobrem ſi ad veriloquium obligamur, metu periculi inde nobis, vel aliis imminentis loqui falſum minime licet (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Ex. grat. Teſtis obligatur in judicio quæſitus moraliter verum loqui. Quodſi norit, ſi verum dicat, periculum inde imminere ei, contra quem teſtis adhibetur, vel etiam ſibi ideo ab eodem metuit; metu hoc minime a vero dicendo deterreri debet, neque eodem adduci ſe patiatur lege naturali permittitur, ut falſum dicat.

§. 215.

Quando ambigua & ænigmatica dictione ad evitandum periculum non uti liceat.

Si ad veriloquium obligamur, metu periculi nobis vel aliis imminentis ambigue loqui vel ænigmatice reſpondere minime licet. Quando enim ad veriloquium obligamur, cum veriloquium ſit ſermo moraliter verus (§. 154.), aliis ad animi noſtri ſenſa ſignificanda tenemur (§. 150.). Quamobrem cum ex verbis ambiguis concipi poſſit mens loquentis ab ea, quam habet, diverſa (§. 190.); ſi quis ambigue loquitur, quando ad veriloquium obligatur, non alia de cauſa ambigue loquetur, quam ut is, cui loquitur, ſibi concipiat mentem ab ea, quam habet, diverſam. Enimvero ambiguitas in loquendo pro falſiloquio habenda, ſi quis verbis ambiguis utitur eo fine, ut alter inde concipiat mentem ab ea, quam habet, diverſam (§. 195.). Quamobrem cum falſiloquium loqui

non

Digitized by Google

non liceat, quando ad veriloquium obligamur, metu periculi inde nobis imminentis (§. 214.); nec ambigue loqui licet, ſi ad veriloquium obligamur, metu periculi nobis vel aliis inde imminentis. *Quod erat unum.*

Æquivalent ænigmata ſermoni ambiguo (§. 212.). Igitur nec ænigmatice reſpondere licet, quando ad veriloquium obligamur, metu periculi nobis vel aliis inde imminentis. *Quod erat alterum.*

Caſus hic eſt Martyrum, qui metu tormentorum graviſſimorum adduci minime potuerunt, ne veritatem imperterriti confiterentur, propterea quod Chriſtiani lege Chriſti ad eam confitendum obligantur.

§. 216.

Quando metu mali adducti falſum loqui liceat.

Si ad veriloquium non obligamur, nec tacere datur, metu periculi nobis vel aliis imminentis falſum loqui licet. Etenim ſi tacere non datur, aut verum, aut falſum loquamur neceſſe eſt: quod per ſe patet. Quodſi ad veriloquium non obligamur, nec moraliter neceſſe eſt, ut verum loquamur, (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), cumque tacere non detur, nec ſimpliciter illicitum eſt falſum loqui (§. 184.). Quamobrem cum quilibet operam dare debeat, ut ſibi caveat a malis corporis atque fortunæ, quantum in poteſtate ſua eſt (§. 183. *part.* 1. *Jur. nat.*), eademque ab aliis quantum datur avertere debemus (§. 608. *part.* 1. *Jur. nat.*), adeoque ubi nobis vel aliis periculum aliquod imminet ex veriloquio, id officio erga noſmetipſos vel alios repugnat; veriloquium efficitur illicitum (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter metu periculi nobis vel aliis imminentis falſum loqui licet.

Ita nemo obligatur ad ſe vel alium ſicario prodendum. Quamobrem quæſitur quinam ſit, vel ubinam ſit Titius, quem quærit, quin falſum reſpondere liceat, cum tacere non permittatur, dubitandum non eſt. Qui hoc in caſu falſiloquium pro mendacio habent idemque illicitum pronunciant, quomodo turpitudinem intrinſecam demonſtrare velint, non video. Non aliud hinc ſequitur, quam ut ſicarius fallatur ſui & alterius bono, cum ab ipſo peccatum, a te vel tertio periculum vitæ amoveatur. Sit itaque nos ſimpliciter obligatos eſſe ad dicendum verum, quotieſcunque phyſica nobis impoſita eſt loquendi neceſſitas, nec tacere datur, ita ut falſum dicere non liceat. An non etiam obligamur ad periculum vitæ a nobis atque aliis avertendum, conſequenter idem incurrere, vel admittere, ut alii incurrant, prohibemur? Pugnat igitur obligatio, ne nos vel alios exponamus vitæ periculo cum obligatione, ne dicamus falſum, ſeu potius, ne falſum dicendo fallamus eum, qui peccare vult. Quamobrem cum opus ſit exceptione, nonne fortior obligatio vincere debet debiliorem, & nonne fortior eſt obligatio, quæ tendit ad vitæ propriæ vel alienæ conſervationem & peccatum impediendum, quam altera, quæ tendit ad dicendum verum, ne ſuo bono fallatur? Sane dicendo verum concurris ad peccatum alterius, quod dicendo falſum impedis; dicendo falſum obligationi tuæ erga te ipſum vel erga alios ſatisfacis, immo etiam peccatum alterius impediendo obligationi erga alios ſimul ſatisfacis. Nulla itaque adeſt ratio, cur tanti æſtimari debeat veritas moralis, ut eidem poſtponenda ſint omnia hominis officia cetera tum erga ſe ipſum, tum erga alios. In moralitate actionum examinanda reſpiciendum eſt ad ea, quæ inde conſequuntur, & hæc in oppoſitis actionibus inter ſe comparanda veniunt, & ubi obligationes diverſæ concurrunt, non ad unam ita advertendus animus, ut ceterarum obliviſcamur.

§. 217.

Nec non ambigue & ænigmatice.

Quoniam ambiguitas in loquendo pro falſiloquio habenda, ſi eo fine verbis ambiguis utaris, ut alter inde concipiat mentem ab ea, quam habes, diverſam (§. 193.), & ænigmata licita ſunt, quando ambiguitas licita in loquendo (§. 213.); *ambigue* quoque *loqui licet & licita ſunt ænigmata, ob metum periculi nobis vel aliis imminentis, ſi ad veriloquium non obligamur, nec tacere datur.*

Qui ambiguitatem in loquendo & ænigmaticas dictiones admittunt, falſiloquium vero, quod odioſo ac infami mendacii nomine traducunt, improbant, ii verborum magis, quam re-

rum rationem habent, & ad illorum confuſas potius, quam diſtinctas ſatiſque determinatas notiones animum advertunt. Præterea non perpendunt, ſermonem omnem moralitatem trahere ab officiis, quæ eorum uſum exigunt, ut adeo ex convenientia cum iiſdem æſtimetur uſus, ex repugnantia vero abuſus. Et, ſi vel maxime a pacto tacito de verbis non in alio ſignificatu utendis, quam quem communis loquendi fere uſus, moralitatem ſermonis derivare velis, huic ipſi tamen pacto ineſſe intelligitur tacita conditio, quando ſcilicet alteri ad animi noſtri ſenſa ſignificanda obligamur, nec officium aliquod urget contrarium. Videbimus enim ſuo loco, pactis hominum immutari non poſſe naturalem illam obligationem, quæ officiis adhæret.

§. 218.

Quando motivis falſis uti liceat.

Si alterum ad aliquid faciendum, vel non faciendum permovere tenemur, nec verum dicendo hoc fieri poteſt, falſiloquium licitum eſt. Quoniam alterum ad aliquid faciendum, vel non faciendum permovere tenemur *per hyp.* cum voluntas & noluntas non determinetur niſi per motiva (§. 889. *Pſych. empir.*), motiva volitionis & nolitionis eidem ſuppeditare debemus. Quodſi ergo verum dicendo alter permoveri nequit ad faciendum, vel non faciendum, quod facere, vel non facere debet *per hyp.* per motiva vera voluntas & noluntas ejus determinari nequit. Quamobrem cum ſine falſiloquio obligationi, qua alteri tenemur, ſatisfieri non poſſit, quando vero hoc fieri nequit, falſiloquium licitum eſt (§. 172.); licitum quoque erit falſiloquium, ſi alterum ad aliquid faciendum, vel non faciendum permovere tenemur, nec verum dicendo hoc fieri poteſt.

Atque adeo patet, quandonam motivis falſis uti licitum ſit, ubi alios ad aliquid faciendum vel non faciendum permovere tenemur. Exemplum habemus in duce, qui, cum videat exercitum perterritum ob hoſtilem exercitum, falſo ipſis perſuadet mox affuturos ſocios, ne animum deſpondeant, ſed animo imperterrito hoſtem aggrediantur. Etenim ducis eſt permovere exercitum ad prælium paratum, ut animo imperterrito hoſtem aggrediatur. Quamobrem cum ſine falſiloquio hoc fieri nequeat, ecquis reprehendere auſit ducem uti motivis falſis. Id licitum agnoviſſe conſtat *Xenophontem* lib. 4. de dict. & fact. Socratis. In eundem ſenſum *Maximus Tyrius* diſſert. 3. Non eſt res, inquit, per ſe præclara verum dicere, niſi id cum utilitate fiat ejus, qui audit. Ita ſæpe medicus ægros, dux exercitum, gubernator fallit nautas: nec hoc in iis reprehenditur. Quodſi dicas, fieri poſſe, ut falſiloquium, quo uteris ad permovendum alterum, ut hoc faciat, ſit ipſi vel aliis damnoſum, ſeu cum damno ejus aut alius conjunctum; facilis eſt reſponſio. Falſiloquium enim hoc in caſu illicitum eſt alia de cauſa (§. 166.), adeoque ipſo in caſu præſenti non uti licet tanquam motivo. Etſi autem hoc falſiloquio uti non liceat; non tamen hinc infertur, quod alio uti non ſit licitum, quod aliis de cauſa illicitum eſſe oſtendi nequit. Quoniam ex ſuperiori tractatione manifeſtum eſt, falſiloquia alia licita eſſe, alia illicita; non de illicitis hic ſermonem eſſe facile patet.

§. 219.

Quando infantibus, pueris, & amentibus falſum dicere liceat.

Quoniam infantes ac pueri, itemque amentes non eo pollent uſu rationis, qui ad pervidendum verum ſufficit, quod nemo non admittit; *infantibus ac pueris, itemque amentibus falſum dicere licet, ſi eo ad faciendum, vel non faciendum permoveri poſſunt, ad quod faciendum vel non faciendum eos permovere debemus.*

Non adeo reprehendi poteſt, quod dicit *Quintilianus*: utilitatis puerorum gratia multa fingimus. Quodſi objicias fictionibus iſtis præjudicia inſinuari animis tenellis puerorum, quæ obſunt in ætate adultiori partim ad veritatem cognoſcendam, partim ad recte agendum, parum nos movet ea objectio: cum per ea, quæ modo annotavimus ad propoſitionem præcedentem, non quaslibet fictiones probemus, ſed eas demum, quæ alia de cauſa non ſunt illicitæ, conſequenter in ſe non habent, quod reprehenſionem mereatur. Propoſitionis præſentis, quam nec facta determinate enunciat, *Grotius* de J. B. & P. lib. 3. c. 1. §. 12. aliam prorſus rationem affert, ſed facit hoc, dum indulget hypotheſi ſuæ, qua moralitatem ſermonis ex pacto tacito de verborum ſignificatu perperam deducit (*not.* §. 182.).

Digitized by Google

§. 220.

Quando furioſis falſum dicere liceat.

Quoniam ſimiliter *furioſi* rationis uſu minime pollent, eodem modo patet, *falſiloquium licitum eſſe, ſi eo permoveri poſſunt ad faciendum, vel non faciendum, quod facere, vel non facere debent.*

Furor, qui & mania dicitur Medicis, imaginationem & ratiocinationem depravat: id quod ex ipſorum verbis & factis nemo non colligit. *Sennertus* Pract. lib. I. part. 2. cap. 15. Oper. Tom. 3. §. 109. maniæ ſigna diagnoſtica recenſens: Ægri, ait, & falſa imaginantur, & abſurda & inepta multa agunt, & quidem ſine timore, ſed potius cum audacia, temeritate, loquacitate, jurgiis, iracundia, ſæviente in ſe & alios, & omnino animi perturbatione tanta, ut beſtiarum inſtar obvios quoſque invadant, & morſu, unguibus, aliiſque, quibus poſſunt, modis noceant; nec ſibi ipſis parcant, ſed veſtes dilanient ſuas, ac manus violentas ſibi inferant. Dantur adhuc morbi alii, in quibus uſus facultatum ſuperiorum aufertur vel univerſaliter, vel quoad certa tantummodo objecta: de quibus *Sennertus* legi poteſt, qui, quæ ad hiſtoricam morborum cognitionem ſpectant, ſatis fideliter & accurate deſcribit. Enimvero non opus eſt, ut propoſitionem generalem ad ſingulos caſus particulares applicemus: ſufficit exemplo aliquo oſtendiſſe, quod applicari poſſit ac debeat.

§. 221.

Quando iratis & ebriis.

Quando ira excandeſcit animus, facultatum ſuperiorum & rationis adeo uſus ſuſpenditur, & idem contingit in ebrietate, ut irati haud raro furioſis, amentibus ebrii aſſimilentur. Eodem igitur, quo ante modo, patet, *falſiloquium licitum eſſe, ſi eo permoveri poſſunt irati & ebrii ad faciendum, vel non faciendum, quod facere, vel non facere debent.*

Sermo homini conceſſus eſt ad communem utilitatem, quia conjunctis viribus perfectionem ſuam ſtatuſque ſui promovere debent (§. 221. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Utendum igitur eſt ſermone eo modo, qui fini huic convenit. Quamobrem alteri ad verum dicendum non obligamur, ſed falſum potius dicere licet, ſi verum dicendo ipſi nocetur, falſum vero dicendo conſulitur. Patebit uſus hujus principii in moralibus.

§. 222.

Falſiloquium quando licitum ad veritatem eliciendam.

Si falſiloquium facit ad eliciendam veritatem ex aliis, quam noſſe intereſt, licitum eſt. Etenim ſi falſiloquium facit ad eliciendam veritatem ex aliis, quam noſſe intereſt, medium eſt obtinendi finem, quem conſequi vel debemus, vel conſequi ſaltem licet (§. 937. *Ontol.*). Quamobrem cum ex anterioribus abunde intelligatur, quod falſiloquium in ſe illicitum non ſit; cur eodem uti non liceat ad eliciendam veritatem ex aliis, quam noſſe intereſt, ratio nulla eſt. Recte igitur pro licito habetur in caſu propoſitionis præſentis.

Medio non illicito ad finem licitum conſequendum uti licere nemo dubitat. Qui adeo falſiloquium ſimpliciter damnant, idem pro medio illicito habent, conſequenter nec eo uti liceret ad veritatem ex aliis eliciendam quam noſſe intereſt. Veritates in genere ſeu univerſaliter enunciatæ ſubinde videntur dubiæ, quæ ad caſus particulares applicatæ fiunt illuſtriores & extra omnem dubitationis aleam collocantur. Quamobrem non inconſultum erit ad exempla provocare. Primum igitur locum hic occupet ſententia Salomonis, quam tulit in decidenda lite meretricum de infante vivo 1. Reg. III. 25. Ut enim veritatem eliceret, quænam ſcilicet eſſet mater infantis vivi, gladium afferri juſſit ad infantem diſſecandum, ut utrique litigantium redderetur pars dimidia. Cum ipſi animus non eſſet infantem innocentem interficiendi, & partem dimidiam unam uni, alteram alteri meretricum reddendi; ſermo ejus falſiloquium erat (§. 152. 156.). Utebatur autem eodem ad veritatem eliciendam. Nemo factum Salomonis reprehendit. Quamobrem qui hoc probat, falſiloquium eſſe medium licitum eliciendi veritatem ex aliis, quam noſſe intereſt, concedit. Similiter *Claudius* apud *Suetonium* in Claudio c. 15. falſiloquio elicuit veritatem, cum fœmina filium ſuum agnoſcere nollet. Juſſit enim juvem nubere: quo matrimonio indicto eam ad confeſſionem compulit. Huc etiam pertinet

Digitized by Google

exemplum *Caroli M.* qui patrem & filium ob cædem ſacerdotis ad mortem condemnavit, cum non conſtaret, uter eum interfeciſſet, neuter vero alterum prodere vellet, ut patrem ad confeſſionem delicti adduceret. Exempla plura addit *Puffendorfius* de J. N. & G. lib. 4. c. 1. §. 17. & huc refert proverbium Hiſpanorum: Dic mendacium & erues veritatem.

§. 223.

Quando falſum dicendo, vel ambigue loquendo moraliter falſum non loquamur.

Si falſum dicendo vel ambigue loquendo is, cui loquimur, non concipiat mentem ab ea, quam habemus, diverſam, etiamſi hoc faciat tertius, ad quem ſermo non dirigitur; ſermo noſter falſiloquium non eſt. Etenim ſi falſum dicendo vel ambigue loquendo is, cui loquimur, non concipiat mentem ab ea, quam habemus, diverſam; reſpectu ejus, cui loquimur, non aliter cogitamus, quam cogitare nos dicimus, cum nimirum verborum ſignificatus ſit arbitrarius, eum ipſis tribuere licet, qui ſufficit ad animi noſtri ſenſa alteri, cui loquimur, ſignificanda. Quamobrem cum is demum moraliter falſum loquatur, qui aliter cogitat, quam ſe cogitare dicit (§. 152.); reſpectu ejus, cui loquimur, moraliter falſum non loquimur. Etſi autem tertius ex verbis noſtris concipiat mentem ab ea, quam habemus, diverſam, cum tamen ad ipſum ſermo noſter non dirigatur, ei quoque non loquimur, conſequenter in eligendis verbis, quibus animi noſtri ſenſa exprimere volumus, nec ejus habenda ratio eſt. Quamobrem nec ejus reſpectu falſum loquimur, cum perinde ſit ac ſi vocem ſubmitteremus, ne quid alteri dicamus diſtincte percipiat. Quoniam itaque ſermo noſter falſiloquium neque reſpectu ejus, cui loquimur, neque reſpectu tertii, ad quem ſermo non dirigitur, dici poteſt; ſi falſum dicendo vel ambigue loquendo is, cui loquimur non concipiat mentem ab ea, quam habemus, diverſam, etiamſi hoc faciat tertius, ad quem ſermo non dirigitur, ſermo noſter falſiloquium prorſus non eſt.

Sermonis non alius uſus eſt, quam ut intelligamur ab iis, quibus loquimur. Ita qui Gallica loquitur, parum curat, num alii intelligant quid loquatur, aut num linguæ Gallicæ parum gnari mentem ſibi concipiant ab ea, quam loquens habet, prorſus diverſam, modo animi ſui ſenſa is aſſequatur, cui loquitur. Anne igitur perinde eſt, ſive lingua tertio parum nota loquaris, ſive verbis tribuas ſignificatum, qui a recepto abhorret, aut verbis utaris ambiguis, modo certus ſis, eum, cui loqueris, mentem tuam aſſequi? Si is, ad quem ſermo tuus dirigitur, verba tua intelligit, etſi ea non intelligat tertius, cui non loqueris, perinde omnino eſt, ac ſi lingua peregrina loquaris, quam alter non callet. Sibi adeo imputare debet, ubi ex ſonorum ſimilitudine diverſum vocabulis tribuit ſignificatum ab eo, qui iiſdem jungitur a colloquentibus, & judicium ſibi ſumit de iis, quæ ipſum parum tangunt. Neminem accuſare poteſt, niſi ſe ipſum, quod verba aliorum, qui ad ipſum non loquuntur, male interpretetur. Recte omnino *Grotius* lib 3. de J. B. & P. c. 1. §. 13. n. 1. Sermo, inquit, reſpectu illius non ſermo eſt, ſed res, quæ ſignificare quidlibet poteſt.

§. 224.

Neque adeo mentiatur.

Quoniam mendacium eſſe nequit, quod falſiloquium non eſt (§. 182.); *nec mendacium eſſe poteſt ſermo, ſi falſum dicendo, vel ambigue loquendo is, cui loquimur, non concipiat mentem ab ea, quam habemus, diverſam, etiamſi hoc faciat tertius, ad quem ſermo non dirigitur.*

Falſum dum dicimus, aut is, cui loquimur, novit, nos falſum dicere velle, aut ipſi conſtat, quod contrarium ejus, quod verba ſonant, intelligi velimus. In utroque caſu eum, ad quem loquimur, nec fallimus, nec fallere volumus. Nil quicquam igitur vitioſi ſermoni noſtro inhæret. Quando ambigue loquimur, alter novit, quid per verba ambigua ſignificare volumus, aut ſaltem ipſi conſtat, quod aliud quid intelligi velimus, quam verba ſonare videntur. Uſum hic ſæpe habent allegoriæ, quibus teguntur quæ alteri ſignificanda: id quod in literis quoque ſcribendis utile eſt, ubi verendum, ne forſan incidant in aliorum manus, quos ea, quæ a nobis ſcripta ſunt, intelligere nolumus. In genere enim notandum, quæ de verbis viva voce prolatis dicuntur, ea etiam de ſcripturis eſſe intelligenda. Loquimur præſentibus; ſcribimus abſentibus. Idem vero vocabulorum uſus eſt, ſive loquamur, ſive ſcribamus. Et ſermoni

nioni in utroque caſu eadem ineſt moralitas. Quemobrem quando in hypotheſi propoſitionis præſentis falſum dicimus, vel ambigue loquimur, ne intelligat tertius, ad quem ſermo non dirigitur; ſermo cryptographiæ compararetur, quæ ideo non vitium contrahit, ſi tertius, ad quem ea non pertinet, ſenſum inde eruit a mente noſtra prorſus diverſum. Æquipollentie ſermonis in caſu propoſitionis præſentis cum cryptographia eandem optime illuſtret: nemo enim eſt, qui cryptographiam reprehendet, quod non recte intelligatur niſi ab eo, ad quem ſcribitur. Notandum vero ad cryptographiam quoque referri, ſi verbis tribuatur ſignificatus ab eo, quem vulgo habent, diverſus, adeoque etiam eidem contrarius.

§. 225.

Si ex compoſito alteri falſum dicas, vel ambigue loquaris eo fine, ut tertius aliquis, ad quem ſermo non dirigitur, inde concipiat mentem ab ea, quam habes, diverſam; ſermo tuus reſpectu tertii falſiloquium eſt. Quod enim ex compoſito alteri falſum dicas vel ambigue loquaris eo fine, ut tertius aliquis ex verbis tuis concipere debeat aliquam opinionem; ad ipſum revera verba facis, & ad eum, cui loqueris, te verba facere velle tantummodo ſimulas (§. 716. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum eo fine falſum dicas, vel ambigue loquaris, ut tertius inde concipiat mentem ab ea, quam habes, diverſam; aliter omnino cogitas, quam te cogitare dicis, conſequenter moraliter falſum loqueris (§. 152.). Quoniam itaque ſermo moraliter falſus falſiloquium eſt (§. 156.); ſi ex compoſito alteri falſum dicas, vel ambigue loquaris eo fine, ut tertius aliquis inde concipiat mentem ab ea, quam habes, diverſam, ſermo tuus reſpectu tertii falſiloquium eſt.

Quando ſermo reſpectu tertii, ad quem non loquimur, falſiloquium.

Differt caſus præſens a præcedente in eo, quod in præſente tertii gratia loquaris eo fine, ut fallatur, in præcedente autem tertii non habes rationem, ſed ea tantummodo cautione uteris, ne qui obiter te loquentem audiat, quid dicere velis, intelligat. Revera igitur in caſu præſente ſermo tuus dirigitur ad tertium, cum ſimulas colloquium cum altero: id quod in caſu præcedente dici nequit, ubi malles tertium non audire, quæ loqueris, ſiquidem præcavere poſſes. Quamobrem in caſu præſente ſermo tuus compo.i nequit cum cryptographia, cum qua convenire eandem monuimus in caſu præcedente (*not.* §. 224.).

§. 226.

Quoniam ſermo tuus reſpectu tertii falſiloquium eſt, ſi ex compoſito alteri falſum dicas, vel ambigue loquaris eo fine, ut tertius inde concipiat mentem ab ea, quam habes diverſam (§. 225.); *in eo caſu, quo falſiloquium licitum eſt, ex compoſito etiam alteri falſum dicere, vel ambigue loqui licet eo fine, ut tertius inde concipiat mentem ab ea, quam habes diverſam, in alio autem, quo falſiloquium illicitum, hoc facere non licet.*

Quomodo de moralitate iſtius falſiloquii judicandum.

Sunt equidem qui ſimpliciter damnant ex compoſito alteri falſum dicere eo fine, ut tertius inde concipiet mentem ab ea, quem loquens habet, diverſam: ſed hi ſunt, qui animum non adverrunt niſi ad aliquem caſum, in quo falſiloquium illicitum, non vero omnem propoſitionis amplitudinem animo complectuntur, quam habere poteſt. Quodſi ex ſuperioribus animo recolas caſus, in quibus falſiloquium licitum vel illicitum eſſe demonſtravimus, facile videbis, in caſu propoſitionis præſentis falſiloquium non ſemper eſſe illicitum, ſed ut licitum, vel illicitum ſit, alias præterea requiri determinationes, quam quæ in hypotheſi propoſitionis præſentis continentur. Brevitatis autem gratia caſus iſtos diſtinguere nolumus, quos unusquisque vi ſuperiorum ſine ullo negotio diſtinguet.

§. 127.

Quando falſiloquium illicitum eſt, nec alteri falſi quidpiam perſuadere licet eo fine, ut is idem tertio dicat: quando autem falſiloquium licitum, hoc quoque facere licet. Etenim unum idemque eſt, ſive ipſe mihi falſum dicas, ſive falſum dicendo fallecas

An alterum falſum dicendo falle-

cas

re liceat, ut fallas tertium. eas alteri, ut idem mihi dicat, ſeu quem noſti, quod mihi rurſus dicturus ſit. Quamobrem quando tibi licet mihi falſum dicere, licebit etiam idem dicere alteri eo fine, ut ab ipſo mihi dicatur: quando vero tibi falſum mihi dicere non licet, nec hoc facere licet.

Sunt denuo qui ſimpliciter damnant falſiloquium, quo alius inducitur ad falſum tertio dicendum: ſed de his eadem tenenda ſunt, quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus; quemadmodum etiam cetera huc trahenda, quæ ibidem annotavimus.

§. 228.

Verba aperta & tacita. *Verba aperta* dicuntur, quæ ore proferuntur, ut auditu percipi poſſint, vel ſcribuntur, ut legi poſſint. *Tacita* vero vocamus, quæ mente reſervantur, ut adeo ea non percipiat, niſi loquens. Unde & intelligitur, quinam *ſermo* ſit *apertus* quinam *tacitus*.

Tacita nimirum verba tantummodo cogitamus; dum eorum ideæ vi imaginationis producuntur, quales auditui conveniunt.

§. 229.

Eorum uſus. Quoniam verba aperta auditu percipi poſſunt aut viſu ab aliis, tacita vero nonniſi a loquente percipiuntur (§. 228.), *aperto ſermone aliis, tacito nonniſi nobis loquimur*.

Ita tacito ſermone utimur in meditando & dum per otium cogitationibus noſtris indulgemus.

§. 230.

Tacitorum uſus accidentalis. Quia *verba tacita* ſenſu percipi nequeunt ab alio, quam loquente (§. 228.), *niſi ex verbis apertis & circumſtantiis præſentibus colligi poſſint, reſpectu ejus, cui loquimur, nullum habent uſum*.

Ex accidente adeo eſt, ſi verba tacita aſſequitur is, cui loquimur. Ex. gr. Si quis die dominica ex te quærat: Fuiſtine in templo? Verba hæc aperta ſunt. Adverbium vero *hodie*, quod mente reſervas, verbum tacitum eſt. Ex circumſtantia temporis idem colligis, adeoque mentem interrogantis intelligis, nimirum num hodie fueris in templo, ut perinde ſit, ac ſi aperto penitus ſermone quæſiviſſet ex te: fuiſtine hodie in templo? Ipſi etiam Autores haud rarò propoſitiones ita enunciant, ut verbis apertis adjici debeant tacita, niſi a veritate aberrare velis. Nec hoc ſemper vitio tribuendum: cum enim brachyologiam amemus, ſufficit ea verbis apertis, ſubſtrata materia, & aliis circumſtantiis tacita colligi poſſe, quæ apertis adjicienda, ut ſenſus evadat completus & ei, quod dicitur, ſua conſtet veritas. Hinc refutationem non merentur, qui ex verbis apertis errorem exſculpunt, ubi tacita cuivis obvia ſunt, qui attentione uti voluerit, nec in interpretando iniquum ſe præbere decreverit, ut habeat, quæ in alio reprehendat.

§. 231.

Reſervatio mentalis quid ſit. *Reſervatio mentalis* eſt ſermo moraliter verus conſtans verbis partim apertis, partim tacitis, ita ut illa ingerent animo audientis falſam opinionem, hæc vero illorum ſenſum detorqueant in verum huic contrarium.

Ex. gr. Si die dominica interrogatus, *fuiſtine in æde ſacra?* reſpondes: fui. Verba tua: *fui in æde ſacra* (quippe quæ ex interrogatione ſupplentur, verbis ore a te prolatis æquipollent) aperta ſunt (§. 228). Ergo ex his colligo, te hodie interfuiſſe ſacris. Enimvero quoniam

niam hoc verum non eſt, tu mente reſervas verba, quæ adhuc adjicienda erant, *ante octiduum*. Hæc igitur tacita ſunt (§. *cit.*); detorquent vero ſenſum verborum tuorum in ſenſum verum quidem, ſed opinioni, quam ego ex apertis hauſi, prorſus contrarium. Sermo adeo tuus reſervatio mentalis eſt. Similiter ſi ego ex te quæram: *Fuiſtine hodie in templo?* & tu reſpondes: *fui*, mente autem reſervas hæc verba, *non hodie, ſed ante octiduum*; ſermo tuus denuo reſervatio mentalis eſt. Exempli loco afferri vulgo ſolet illud *Athanaſii* apud *Socratem* in Hiſt. Eccleſ. lib. 1. cap 38. *Sentio, ſicut ſcripſi* ſcilicet in charta ſub alis: quæ verba mente reſervata. Similiter ſi quis ex te quæſiverit: *Feciſtine hoc?* & tu reſpondes: *non feci*, ſcilicet *aliud quidpiam*, vel *non feci hoc*, ſcilicet *alio die*: reſervatio denuo mentalis eſt. Eſt etiam reſervatio mentalis, ſi interroganti, *habeſne decem aureos?* reſpondes: *non habeo*, ſcilicet *ut eos tibi mutuo dem*, vel *in marſupio*, cum domi in ciſta recondantur.

§. 232.

Quo reſpectu ſint veriloquium.

Si in reſervatione mentali verba tacita cum apertis conjungantur; moraliter verum loquitur, qui ea utitur. Etenim verba tacita ſi accedunt ad aperta, horum ſenſum detorquent in verum (§. 231.) adeoque a mente loquentis non diſcrepantem. Quamobrem ſi in reſervatione mentali verba tacita cum apertis conjungantur, qui ea utitur, moraliter verum loquitur (§. 150.).

Patet hoc ex iis, quæ modo attulimus (*not.* §. 231.) exemplis. Ita verum eſt in exemplo primo, te ante octiduum fuiſſe in æde ſacra; in ſecundo, te non hodie, ſed ante octiduum ibidem fuiſſe. Verba igitur aperta & tacita junctim ſumta non diſcrepant a mente tua, ſed cum eadem conveniunt, adeoque moraliter verum loqueris. Hinc ſibi perſuaſerunt nonnulli reſervationes mentales qualvis licitas eſſe, etiam quando ad verum dicendum obligaris & quod aſſeris juramento confirmandum. Neque alio ſine excogitatæ ſunt reſervationes mentales, quam ut falſa perſuadere poſſis alteri, quando ad verum dicendum obligaris.

§. 233.

Cujusnam reſpectu veriloquium ſint.

Reſervationes mentales non ſunt veriloquium niſi reſpectu ejus, qui loquitur. Etenim ſi in reſervatione mentali, verba tacita conjungantur cum apertis, moraliter verum loquitur, qui ea utitur (§. 232.). Enimvero verba tacita nemo percipit, niſi qui loquitur (§. 228.), conſequenter nec ea cum apertis conjungere valet niſi ipſe loquens. Quamobrem qui reſervatione mentali utitur nonniſi ſibi ſoli, non vero aliis moraliter verum loquitur, adeoque cum ſermo moraliter verus veriloquium ſit (§. 154.); reſervationes mentales non ſunt veriloquium niſi reſpectu ejus, qui loquitur.

Sibi verum loquitur, qui reſervationes mentales adhibet, non aliis: ſermo enim integer, qui animi ipſius ſenſa ſufficienter indigitat, nemini notus niſi loquenti. Patet hoc ex antea (*not.* §. 231.) allatis exemplis.

§. 234.

Cujusnam reſpectu falſiloquium ſint.

Reſervationes mentales ſunt falſiloquium reſpectu ejus, ad quem ſermo dirigitur. Etenim in reſervatione mentali ei, ad quem ſermo dirigitur, non ſunt nota niſi verba aperta (§. 228. 231.). Quoniam itaque verba aperta ingenerant animo ejus, qui loquentem audit, opinionem falſam (§. 231.), adeoque a mente loquentis diſcrepent verba aperta; qui reſervatione mentali utitur, reſpectu ejus, ad quem ſermo dirigitur, moraliter falſum loquitur (§. 152.). Quamobrem cum ſermo moraliter falſus falſiloquium ſit (§. 156.); reſervationes mentales reſpectu ejus, ad quem ſermo dirigitur, falſiloquium ſunt.

Patet hoc per exempla eunti abſque ulla demonſtratione. Ita in exemplo primo, quod ſupra dedimus (*not.* §. 231.), quæris, num Titius fuerit in templo, nempe hoc die, quo eum interrogas. Reſpondentis verba aperta ſunt: *Fui in templo*. Hinc tu colligis, eum hodie in templo fuiſſe. Ex tacitis tamen verbis conſtat, eum in templo hodie non fuiſſe. Reſpectu igitur tui

ſermo

Digitized by Google

ſermo Titii falſiloquium eſt. Idem patet in altero, quando quæris, num Titius hodie fuerit in templo, & idem reſpondet: *fui in templo*; mente autem reſervat hæc verba: *non hodie, ſed ante octiduum*. Sane ſive moraliter falſum loquatur, ſive reſervatione mentali utatur, cui reſpectu hoc unum idemque eſt.

§. 235.

Contradictio qualis inſit reſervationi mentali.

Qui reſervatione mentali utitur, apertis verbis affirmare videtur, quod negare decrevit & contra. Etenim in reſervatione mentali ſenſus verborum apertorum detorquetur vi tacitorum in contrarium (§. 231.). Detorquetur autem ſenſus verborum in contrarium, ſi, quod affirmatur, negatur & contra: per ſe patet. Quamobrem quod qui reſervatione mentali utitur verbis apertis affirmare videtur, id negare decrevit, & quod affirmare inſtituit, id verbis apertis negare videtur.

Exemplo veritas propoſitionis præſentis illuſtrior evadit. Quodſi enim quis ex te quærat, num fueris in templo, ſcilicet hodie, & tu reſpondes: *fui*. Verbis apertis affirmare videris, te hodie fuiſſe in templo, nec alium ſenſum ex iiſdem exſculpere valet, qui te interrogavit. Enimvero dum mente reſervas hæc verba, *ante octiduum*; negare omnino decreviſti te hodie fuiſſe in templo: alias enim reſervatione verborum non erat opus. Idem adhuc clarius elucaſcit, quando interrogatus, num hodie fueris in templo, reſpondes *fui*, mente autem reſervas hæc verba, *non hodie, ſed ante octiduum*. Immo non alium in uſum inventæ ſunt reſervationes mentales, quam ut, quod affirmare debes & affirmare vis, negare videaris, & ex adverſo quod negare debes & negare vis, videaris affirmare. Qui reſervatione mentali utitur, vult verum loqui, ſed non vult veritatem intelligi ab eo, cui loquitur, veluti in exemplo dato vult negare, ſe hodie fuiſſe in templo, non vero vult, ut alter norit, ſe hodie in templo non fuiſſe, vel contrarium potius ipſi perſuadere intendit. Reſervationes adeo mentales medium eſſe debent loquendo verum alteri perſuadere falſum, ſeu dicendo quod eſt alteri perſuadere quod non ſit & contra.

§. 236.

Quando reſervationes mentales cum mendacio in eundem cenſum veniant.

Quando ad animi noſtri ſenſa indicanda alteri obligamur, reſervationes mentales mendacio æquipollent, aut, reſpectu ejus, ad quem ſermo dirigitur mendacium ſunt. Etenim falſiloquium mendacium eſt, quando alteri ad animi noſtri ſenſa ſignificanda obligamur (§. 182.). Reſervationes mentales reſpectu ejus, ad quem ſermo dirigitur, falſiloquium ſunt (§. 234.). Quamobrem etiam reſpectu ejus, ad quem ſermo dirigitur, mendacium ſunt, quando ad animi noſtri ſenſa indicanda alteri obligamur, conſequenter quando hoc fieri debet, mendacio æquipollent.

Equidem reſervationes mentales ad mendacium evitandum, ſeu potius excuſandum excogitatæ ſunt; non tamen a mendacio te liberant, quando ad verum dicendum obligaris. Neque enim ſufficit, quod tibi verum loquaris (§. 233.), ubi verum dicendum eſt alteri. Mentiris alteri non tibi & quando mentiri prohibemur (§. 188.); lex prohibitiva non te, ſed alios reſpicit. Mendacium opponitur veracitati tanquam vitium virtuti, hæc autem virtus ad officia erga alios pertinet.

§. 237.

Quando reſervationes mentales prohibitæ.

Quoniam mendacium omne illicitum eſt (§. 183.), reſervationes autem mentales reſpectu ejus, ad quem ſermo dirigitur, mendacium ſunt, quando ad animi noſtri ſenſa alteri indicanda obligamur (§. 236.), *reſervationes* etiam *mentales illicitæ ſunt, quando ad animi noſtri ſenſa alteri indicanda obligamur*, conſequenter *lege naturali prohibitæ* (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Nihil adeo in reſervationibus mentalibus præſidii eſt adverſus mendacium. Qui itaque a mendacio abhorret, a reſervationibus quoque mentalibus abhorrere debet, & quicunque quacunque de cauſa illud averſatur, is etiam has averſari debet.

§. 238.

§. 238.

Moralitas reſervationum mentalium in genere expenſa.

Quando falſiloquium illicitum, reſervationes mentales illicitæ ſunt; quando autem falſiloquium licitum eſt, reſervationes quoque mentales licitæ quidem ſunt, ſed inutiles. Etenim reſervationes mentales reſpectu ejus, ad quem ſermo dirigitur, falſiloquium ſunt (§. 234.). Quamobrem cum falſiloquium non ſit licitum, vel illicitum, niſi reſpectu eorum, ad quem ſermo noſter dirigitur, quemadmodum ex demonſtrationibus ſuperioribus abunde liquet, ut idem demum ſigillatim demonſtrari non ſit opus; quando falſiloquium illicitum eſt, etiam reſervationes mentales illicitæ ſunt, & quando licitum falſiloquium, etiam reſervationes mentales licitæ ſunt. *Quod erat unum.*

Enimvero quando licitum eſt falſiloquium, tum nobis jus eſt falſum moraliter loquendi (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter falſum dicere alteri permiſſum (§. 165. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque verbis apertis moraliter falſum loquitur, qui reſervatione mentali utitur, quod verbis tacitis demum vertitur in verum (§. 231.), reſervatione mentali non eſt opus, ne facias, quod non licet. Quamobrem quando falſiloquium licitum eſt, reſervatio mentalis inutilis eſt. *Quod erat ſecundum.*

Equidem vulgo reſervationes mentales promiſcue damnant etiam qui falſiloquium ſubinde licitum agnoſcunt, non tamen ſatis accurate in moralitatem earundem inquiruot, ſed attentionem ſuam deſiderari patiuntur. Avertitur autem attentio, propterea quod ſumunt, reſervationes mentales adhiberi ad mendacii notam evitandum. Enimvero quamvis concedamus, reſervationes mentales eo fine eſſe excogitatas, aut potius diſtincte expenſas, cum antea in caſu falſiloquii non advertentibus ſua veluti ſponte ſeſe obtulerint; non tamen ideo negari poteſt, quod etiam directa intentione in caſu falſiloquii liciti reſervatione mentali uti quis poſſit: quod ubi ſit, reſervatio mentalis ad mendacium referri nequit. Ex. gr. Si ſicarius te interrogat: *eſne Titius?* & tu reſervatione mentali uſus reſpondes: *non ſum* ſcilicet *obligatus, ut hoc tibi dicam*; ſimpliciter reſpondere poteras: *non ſum*, nec opus erat verbis mente reſervatis, *obligatus, ut hoc dicam tibi*. Sufficiebat falſiloquium hoc in caſu licitum (§. 172.): reſervatio itaque mentalis inutilis eſt.

§. 239.

Quando verba tacita cum apertis non efficiant reſervationem mentalem.

Si quis verba quædam mente reſervat, quæ ex apertis verbis, vel ſubſtrata materia ac aliis circumſtantiis is, ad quem ſermo dirigitur, facile colligit; ſermo ejus reſervatio mentalis non eſt. Quodſi enim is, ad quem ſermo dirigitur, ex verbis apertis, vel ſubſtrata materia ac aliis circumſtantiis facile colligit ea, quæ mente reſervat loquens, conſequenter tacita (§. 228.); metuendum non eſt, ne ex apertis concipiat opinionem falſam, ſeu ſenſum a mente loquentis diverſum. Enimvero reſervatio mentalis non eſt, niſi ex apertis ſi ad quem ſermo dirigitur, concipiat opinionem falſam (§. 231.), ſcilicet quia ex materia ſubſtrata, vel aliis circumſtantiis colligere nequit verba, quæ mente reſervantur. Quamobrem nec ſermo reſervatio mentalis eſt, ſi quis verba quædam mente reſervat, quæ ex apertis verbis, vel ſubſtrata materia ac aliis circumſtantiis is, ad quem ſermo dirigitur, facile colligit.

Ex. gr. Si quis die dominica dicit: *Fui bis in templo*; ex circumſtantia temporis nemo non colligit, ſubintelligi adverbium *hodie*, quod loquens hac de cauſa mente reſervat, non vero eo fine, ut alteri falſam inſinuet opinionem, quemadmodum in reſervatione mentali fieri ſolet. Reſervant verba quædam homines in hoc caſu haud raro de eo parum cogitantes, propterea quod non omnium ſibi conſcii ſuot, quæ menti inſunt, aut in ea contingunt. Ita in Geometria plana verſaotibus ſemper ob oculos verſatur planum, ut adeo non loquantur de lineis & punctis niſi in eodem plano datis vel ducendis aut ſumendis. Quamobrem abſonum foret, ſi quis continuo adjicere velit hanc determinationem, quod lineæ ſint in eodem plano, v. gr. quando dicitur, ex uno puncto ad eandem rectam nonoiſi unica perpendicularis erigi poteſt, immo ſuperfluum foret addere, quod perpendicularis illa eſſe debeat linea recta. Similiter *Euclides* non loquitur niſi de triangulis rectilineis. Quamobrem abſonum fo-

ret

ret triangulum rectilineum dicere; quoties de triangulo loquitur. Superius jam monuimus (*not.* §. 230.), puerile eſſe, ne quid gravius dicam, errores exſculpere velle ex iſtiuſmodi dictione.

§. 240.

Quando verba quædam mente reſervare liceat.

Si quæ verba ex aliis apertis, vel ſubſtrata materia aliiſque circumſtantiis facile colligi poſſunt, ab eo, ad quem ſermo dirigitur; ea mente reſervare licet. Alteri enim loquimur, ut intelligat, quid ſentiamus ac velimus. Quamobrem non pluribus opus eſt verbis, quam quæ ad animi noſtri ſenſa ſignificanda ſufficiunt. Quodſi ergo quædam verba ex aliis apertis, vel ſubſtrata materia aliiſque circumſtantiis per ſe facile colligit is, ad quem ſermo dirigitur, non opus eſt ea demum ore proferri, immo haud raro conſultius eſt, ea mente reſervare, ne alterius attentio inutili verborum ambage defatigetur, aut prorſus impediatur. Patet itaque quod mente reſervare liceat vocabula ſeu verba, quæ ex aliis apertis, vel ſubſtrata materia aliiſque circumſtantiis facile per ſe colligit is, ad quem ſermo dirigitur.

Si alteri ad ſignificandum animi noſtri ſenſa obligamur, non aliud a nobis exigere licet, quam ut ea ſufficienter ſignificetur, conſequenter ut tot adhibeantur verba, quot ſufficiunt, ut ex iis mentem noſtram aſſequatur. Quæ igitur ſua ſponte cogitationibus ipſius ſeſe offerunt, ea mente reſervare omnino licet. Nihil enim hoc modo fit, quod ſit contra jus alterius. Die dominica eunt homines in templum. Hac igitur die ſi te interrogo, num in templo fueris? per te aſſequeris quæſtionem eſſe de hodierno die, non de alio tempore. Similiter ſi in Geometria plana loquimur de linea perpendiculari ex uno puncto ejuſdem rectæ excitanda, ſupponimus planum aliquod datum, in quo eſt linea data & in quo ducenda eſt perpendicularis: neque adeo demum opus eſt, ut apertis verbis dicatur, in dato plano excitandam eſſe perpendicularem ad lineam datam in puncto dato. Nec logice, nec moraliter falſum loquitur, qui in caſu propoſitionis præſentis verba reſervat: unde nec erroris, nec falſiloquii redargui, multo minus mendacii reus poſtulari poteſt, qui hoc facit.

§. 241.

Quænam ſigna verbis æquipolleant.

Signa quæcunque alia, quibus eadem, quæ verbis, alteri indigitari poſſunt, verbis æquipollent. Etenim verba ſive vocabula ſunt ſigna, quibus perceptiones noſtræ, vel res per eas repræſentatæ indigitantur (§. 271. *Pſych. empir.*), atque adeo non alium habent uſum, nec alio fine iiſdem utimur, quam ut alteri eas, quas habemus, perceptiones, ſeu res iiſdem repræſentatas indigitemus. Quodſi ergo per ſigna quæcunque alia eadem alteri indigitare poſſumus, quæ vocabulis ipſi indigitantur, ſigna iſta eundem cum vocabulis habent uſum, ac perinde eſt, ſive vocabulis, ſive ſignis iſtis ad ea alteri indigitanda utamur. Signa igitur quæcunque alia, quibus eadem, quæ verbis, alteri indigitari poſſunt, verbis ſeu vocabulis æquipollent.

Ex. gr. nutus habetur pro ſigno affirmantis; quod alter interrogat. Interrogatus itaque, num hoc ſit verum, num conſentias, ſive reſpondeas: eſt verum, conſentio; ſive interroganti tantummodo inclinato capite annuas, unum idemque eſt. Nutus adeo æquipollet vocabulo Latinorum *omnino*, vel Germanico Ja, vel allerdinges.

§. 242.

Quando iiſdem uti liceat.

Quoniam ſigna quæcunque alia, quibus eadem, quæ verbis, alteri indigitari poſſunt, verbis æquipollent (§. 241.); *quando alteri ad ſignificandum animi tui ſenſa obligaris, ſignis quibuſcunque aliis, quam vocabulis, uti licet, quibus alteri eadem ſignificari poſſunt.*

Etſi vocabula eum in finem excogitata ipſiſque tributus fuerit ſignificatus communi loquenda,

Digitized by Google

di uſu approbatus, ut homines ſibi invicem animi ſui ſenſa ſignificare valeant; non tamen ideo obligamur iſtis ſignis uti, aliis vero uti prohibemur, quoties ad ſignificandum animi noſtri ſenſa alteri obligamur. Quando alteri ad animi noſtri ſenſa aperienda obligamur, nobis tantummodo imponitur neceſſitas utendi ſignis, ex quibus alter colligere valet, quænam ſit mens noſtra. Quamobrem ſive utaris vocabulis tanquam ſignis in hunc uſum vulgo adhibitis, ſive aliis quibuſcunque; unum idemque eſt, cum utroque modo æque ſatisfacias obligationi tuæ, qua teneris alteri.

§. 243.

An liceat vocabulis tribuere ſignificatum diverſum ab eo, quem habent.

Quoniam vocabula ſunt ſigna, quatenus ad denotandas perceptiones noſtras vel res iiſdem repræſentatas adhibentur (§. 271. *Pſych. empir.* & §. 958. *Ontol.*), adeoque non amplius eadem manent ſigna, ſi iiſdem tribuatur ſignificatus a communi loquendi uſu abhorrens, veluti eidem, quem habent, contrarius, perinde omnino eſt, ſive vocabulis alios, quam quos habent, tribuas ſignificatus, ſive ipſorum loco alia quæcunque adhibeas ſigna, conſequenter cum ſignis quibuſcunque aliis uti liceat, quam verbis ſive vocabulis, quando alteri ad ſignificandum animi noſtri ſenſa obligamur (§. 242.); *vocabulis* quoque *alium*, ſeu *contrarium ei, quem habent, ſignificatum ex compacto tribuere licet, quando alteri animi noſtri ſenſa indigitare tenemur.*

Si lingua alia quam vernacula loquaris, aliis ſignis uteris, quia eædem res aliis vocabulis denotantur: ſed idem accidit, ubi vocabulis in lingua vernacula contrarium tribuis, aut diverſum quemcunque alium ſignificatum. Quamobrem nemo negare poteſt, mutato vocabulorum ſignificatu, ea evadere alia ſigna, quam ante erant. Cui igitur licet aliis uti ſignis, quam vocabulis uſu receptis, ad animi ſui ſenſa alteri indicanda; illi etiam licet ex compacto immutare vocabulorum ſignificatum receptum.

§. 244.

Caſus particularis.

Quoniam vocabulis ex compacto ſignificatum contrarium ei, quem habent, tribuere licet, quando alteri animi noſtri ſenſa aperire tenemur (§. 243.); *ſi alteri animi noſtri ſenſa indigitare tenemur, conveniri etiam poteſt, ut ejus contrarium ab altero intelligatur, quod dicitur, vel ſcribitur.* Hoc enim pacto ſignificatus affirmativus vertitur in negativum & negativus in affirmativum.

Ex. grat. Si dux exercitus ſcribat ad alterum auxilium petiturus. Hoſtis fallitur, quod putet nos in extremis anguſtiis eſſe conſtitutos. Nullo prorſus auxilio indigemus. De eo mittendo parum ſis ſollicitus. Sumus hoſte multo ſuperiores. Si ita, inquam, ſcribat ex compacto, contrarium intellecturus eandem epiſtolam ita interpretatur: Hoſtis non fallitur, quod putet nos in extremis anguſtiis eſſe conſtitutos, ſeu, novit nos in extremis anguſtiis eſſe conſtitutos. Maximopere auxilio indigemus. De eo quantocius mittendo ſis ſollicitus. Hoſtis nobis multo ſuperior. Hoc exemplo non modo patet, quomodo contrarium dicendo animi noſtri ſenſa alteri ſignificare valeamus; verum etiam nemo dubitabit, quin literas iſtiuſmodi ſcribere liceat, illæſo jure naturali. Ecquis enim contra jus gentium eſſe affirmaverit, literas ſcribi, quæ ſi in alterius, veluti hoſtis, incidant manus, falſam eidem perſuadere poſſunt opinionem: neque enim ipſi ſcribuntur literæ, nec per eas eidem quid ſignificare vis, ad quod ſignificandum ipſi obligaris. Quoniam vero perinde eſt, ſive ſcribas, ſive dicas alteri, quid ſentias, cui animi tui ſenſa aperire teneris; ſi ſcribendo contrarium ex compacto intelligere licet ejus, quod ſcribitur, cur non etiam dicendo?

§. 245.

An ſermo contrario ſenſu intelligendus ſit falſiloquium.

Si ex compacto contrarium ejus intelligitur, quod dicitur, vel ſcribitur; ſermo vel ſcriptura pro falſiloquio haberi nequit, ubi ei, cui loqueris, vel ſcribis, animi tui ſenſa ſignificare teneris: multo minus pro mendacio. Oſtenditur eodem modo, quo ſupra oſtendimus (§. 223. 224.), ſermonem noſtrum non eſſe falſiloquium, multo minus mendacium, ſi falſum vel ambigue loquendo is, cui loquimur,

Digitized by Google

non concipiat mentem ab ea, quam habemus, diverſam, etiamſi hoc faciat tertius, ad quem ſermo non dirigitur.

Oſtenditur etiam hoc modo. Qui ex compacto contrarium ejus intelligit, quod dicit, vel ſcribit, ejus verba a cogitationibus ipſius non diſcrepant; ſit ita quod diſcrepare videantur ei, qui ignorat, quomodo colloquentes de iiſdem intelligendis inter ſe convenerint. Quamobrem cum falſum moraliter non loquatur, conſequenter nec ſermo ejus falſiloquium ſit (§. 256.), ſi verba cum cogitationibus loquentis non diſconveniant (§. 152.), nec pro falſiloquio, conſequenter multo minus pro mendacio (§. 182.), haberi poteſt, ſi ex compacto contrarium ejus intelligitur, quod dicitur, vel ſcribitur, ubi animi ſui ſenſa alteri indicanda.

In literis nemo hoc facile reprehendet præſertim in caſu particulari: quodſi vero quis ita loquatur, non deſunt qui hærent, utrum hoc licite fiat, nec ne. Enimvero dubium, quod revera nullum eſt, jam removimus (*not.* §. 244.).

§. 246.

An in ſcribendo literarum ſignificatum permutare liceat.

Si ad animi tui ſenſa alteri per literas ſignificanda teneris, literis Alphabeti tribuere licet ex compacto ſignificatum contrarium ſive conſtantem, ſive certa lege variabilem, ſeu literarum ſignificatum receptum pro arbitrio permutare licet, ita ut in eodem contextu ſcripturæ vel conſtans ſit ejuſdem literæ ſignificatus, vel certa lege varietur. Etenim ſi alteri ad ſignificandum animi tui ſenſa obligaris, ſignis quibuſcunque aliis, quam vocabulis, uti licet, quibus alteri eadem ſignificari poſſunt (§. 242.). Enimvero ſi literis alphabeti tribuas ſignificatum contrarium ei, quem habent, permutando ſignificatum unius literæ in ſignificatum alterius vel conſtantem, ita ut in eodem ſcripturæ contextu v. gr. *a* ponatur pro *p*, & *p* pro *c*, vel certa lege variabilem ita ut quævis litera poni poſſit pro quacunque alia, veluti *a* nunc pro *b*, nunc pro *c*, nunc pro *t* & ita porro, prouti caſus tulerit, & pro literis, quibus ſcribitur vocabulum aliquod, ſubſtituantur literæ aliæ ex alphabeto, in quod conſenſiſtis; alia prodeunt vocabula, idem cum recepto in aliqua lingua ſignificantia, conſequenter ſigna alia, quam quæ ordinarie ad idem ſcribendo ſignificandum adhibentur. Quamobrem patet, ubi alteri ad animi tui ſenſa per literas ſignificanda teneris, literis Alphabeti tribui licite poſſe ex compacto ſignificatum contrarium ſive conſtantem, ſive certa lege variabilem.

Ponamus ex.gr. ſignificatum literarum *d*, *e*, *u*, *s*, mutari in ſignificatum literarum *r*, *h*, *a*, *z*; vocabulum *rhaz* idem ſignificabit quod Latinorum *Deus*. Quoniam alter, cui ſcribimus, intelligit, quid vocabulo *rhaz* indigitare velimus, etſi id non intelligat alius, ad quem non ſcribimus; eccur non illo uti liceat? Si Germanus Germano ſcribit, is utitur vocabulo GOtt. Quoniam vero vocabulorum ſignificatus, arbitrarius, vocabulo *rhaz* non minus ſignificare licet Deum, quam vocabulo Germanorum GOtt, vel etiam Polonorum *Bog*, etſi linguæ Germanicæ vel Polonicæ ignarus veluti Gallus, id non intelligat. Quæ ex mutato literarum Alphabeti ſignificatu prodeunt vocabula, linguam conſtituunt iis propriam, qui ex compacto illum mutarunt. Et quamvis prodeant vocabula, quæ vocalium congruo loco poſitarum defectu pronunciari nequeunt: id nihil difficultatis faceſſit, nec analogiam cum lingua exotica tollit: ſufficit enim ea poſſe ſcribi, cum eorum uſus alius non intendatur, niſi ut ſcribendo alteri ſignificemus mentem noſtram.

§. 247.

An loco literarum ex compacto aliis ſignis uti liceat.

Quoniam perinde eſt, ſive literarum Alphabeti ſignificatum receptum pro arbitrio permutemus, ſive aliis quibuſdam ſignis, veluti notis numericis, ſignis Aſtronomorum, vel ſignis Chymicorum literarum ſignificatum attribuamus, quando vero alteri animi noſtri ſenſa per ſcripturam ſignificare tenemur,

Digitized by Google

mur, literis Alphabeti tribuere licet ex compacto ſignificatum contrarium ſive conſtantem, ſive certa lege variabilem (§. 246.); *Quando alteri per ſcripturam animi noſtri ſenſa ſignificare tenemur, aliis* quoque *ſignis, veluti notis numericis, ſignis aſtronomorum vel ſignis Chymicorum, literarum ſignificatum vel conſtantem, vel certa lege variabilem attribuere licet.*

Ponamus ex gr. pro literis *d*, *e*, *u*, *s* adhiberi ſigna ☉ ♂ ☿ ♄ vocabulum *Deus* ſcribetur ☉ ♂ ☿ ♄ ſit ita quod Aſtronomus hoc modo ſignificaret Solis cum Mercurio & Saturno conjunctionem. Quodſi pro literis *d*, *e*, *u*, *s*, adhibeantur notæ numericæ 8, 5, 7, 2; vocabulum *Deus* ſcribetur 8 5 7 2, ſit ita quod Arithmeticus hoc modo indiget octo millia quingenta ſeptuaginta duo. Cum literæ Alphabeti ſint ſigna arbitraria, licuiſſet, ſi ita viſum fuiſſet genti cuidam, eorum loco in uſum communem recipere ſigna nunc Aſtronomis uſitata; licuiſſet quoque uti notis numericis quemadmodum apud multas gentes literæ alphabeti ad denotandos numeros adhibentur, & hodienum etiam apud nos; ubi notæ numericæ in uſu ſunt, earum tamen loco adhibentur literæ nunc in ſermone Latino, nunc in vernaculo ſive Germanico, nunc in Hebræo, nunc in Græco uſitatæ, prouti unicuique viſum fuerit. Quomodo unius ejuſdemque literæ vel etiam ſigni cujuſcunque alterius ſignificatus certa lege variari poſſit, ut in eodem ſcripturæ contextu nunc hinc, nunc aliam literam Alphabeti ſignificet; ſeu cum eadem eundem ſignificatum habeat, noſtri jam non eſt docere: ſufficit id non uno modo obtineri poſſe. Hinc ubi de moralitate uſus iſtiuſmodi ſignorum agitur, ſumimus variationem illam tanquam poſſibilem, quod aliunde conſtet, eam poſſibilem eſſe.

§. 248.

Alius modus licitus ſermonis contrario ſenſu intelligendi.

Si ad animi tui ſenſa alteri ſignificanda obligaris, licet ex compacto vocabula, quæ eo fine adhibentur, certo intervallo a ſe invicem removere, & ſpatiis vacuis interponere alia, quæ illorum ſenſum in alienum, immo prorſus contrarium detorquent, nec ſermo in hoc caſu erit falſiloquium. Etenim ſi ex compacto verba, quæ ad alteri animi tui ſenſa ſignificanda adhibentur, certo intervallo a ſe invicem removentur; is, cui animi tui ſenſa ſignificare teneris, ea excerpere atque adeo iſta intelligere valet. Quamobrem cum obligatus ſis ad animi tui ſenſa eidem ſignificanda obligationi tuæ, qua ipſi teneris, ſatisfeciſti. Etſi autem vocabula ſpatiis vacuis interjecta, quatenus ceteris cohærent alium prorſus, immo contrarium prodant ſenſum; perinde tamen eſt ac ſi falſum dicendo vel ambigue loquendo is, cui loquimur, non concipiat mentem ab ea, quam habemus, diverſam, etiamſi hoc faciat tertius, ad quem ſermo non dirigitur. Quamobrem cum falſiloquium non ſit, adeoque nec illicitus ſermo, ſi falſum dicendo vel ambigue loquendo *is*, cui loquimur, non concipiat mentem ab ea, quam habemus, diverſam, etiamſi hoc faciat tertius, ad quem ſermo non dirigitur (§. 223.); ideo etiam licet, quando alteri ad animi tui ſenſa ſignificanda obligaris, ex compacto vocabula, quæ eo fine adhibentur, certo intervallo a ſe invicem removere, & ſpatiis vacuis interponere alia, quæ illorum ſenſum in alienum aut prorſus contrarium detorquent, nec id pro falſiloquio habendum.

Exemplum eſto tale: Scribere debes alteri: Ego collocutus ſum cum Titio. Favet tibi & res tuas curabit. Tu vero interpolata ſcriptura ita ſcribis: Ego ***non*** collocutus ſum, ***nec loquar*** cum Titio. Favet ***alii***, ***non*** tibi, & res tuas ***nunquam*** curabit. Verba interpolata ſenſum ceterorum in contrarium detorquent. Quodſi vero is, ad quem ſcribis, verba interpolata a ceteris aliquo artificio diſcernere norit, quod nonniſi vobis ex compacto notum eſt, animi tui ſenſa perſpiciet & tu hoc pacto ipſi ſignificabis, quæ ſignificare voluiſti, utut alius, qui verba interpolata, quæ alio charactere hic expreſſimus docendi gratia, a ceteris diſcernere nequit, concipiat ſententiam a mente tua prorſus diverſam. Verum adeo loqueris ei; cum quo tibi ſermonis commercium eſt, & cui ad animi tui ſenſa ſignificanda obligaris, nec hujus reſpectu ſermo tuus falſiloquium eſt. Convenit hic modus alteri animi tui ſenſa ſignificandi cum eo, quo ex compacto contrarium ejus intelligitur, quod dicitur vel ſcribitur: id quod non illicitum eſſe, quando alteri ad animi tui ſenſa ſignificanda obligaris, paulo ante oſtendimus (§. 244.), eſt tamen illo arctior, cum in ſcribendo tantummodo ejus ſit uſus. Quodſi verba interpolata mente reſervarentur, & contrarius ſenſus eſſet verus; ſermo foret reſervatio mentalis (§. 231.). Atque adeo patet, quantum hic modus alteri ſignificandi ani-

mi

mi ſui ſenſa conveniat cum reſervationibus mentalibus, quantum ab iis differat. Convenit cum iis, quatenus utrobique ſermo conſtat ex duplicibus verbis, quarum quædam fundunt ſenſum perfectum, ſed contrarium ei, quem habent omnia ſimul ſumta: differt autem in eo, quod in reſervatione mentali verba omnia ſimul ſumta ſenſum verum, quem loquens intendit, in præſenti autem caſu eidem contrarium efficiant. Convenit præterea cum reſervationibus mentalibus, quod utrobique ſenſus verus occultetur; differt autem quoad modum occultandi: ibi enim ſenſus verut occultatur, quem loquens intendit, verborum quorundam reſervatione in mente facta, hic verborum inter ea, quæ verum ſenſum continent, interpolatione facta. Tandem in eo quoque conſpicitur præcipua differentia, quod in reſervatione mentali animi noſtri ſententia occultetur ei, cui loquimur; in caſu propoſitionis præſentis vero nonniſi aliis, ad quos ſermo non dirigitur. Ad ſalvandas itaque reſervationes mentales non valet argumentatio a caſu propoſitionis præſentis.

§. 249.

Signa occulta & manifeſta quænam.

Signa occulta dicuntur, quorum ſignificatio non conſtat niſi iis, qui ex compacto ad nonnulla ſibi mutuo ſignificanda utuntur. Opponuntur *ſignis manifeſtis*, quorum ſignificatus vulgo notus eſt & quibus communiter utimur ad res certas alteri ſignificandas. Unde patet, *vocabula in ſignificatu recepto eſſe ſigna manifeſta; ſed ſi iiſdem tribuas ſignificatum a recepto diverſum, ſigna eſſe occulta.* Similiter hinc liquet, *ſigna occulta eſſe literas alphabeti, ſi earum ſignificatus receptus permutetur, & ſigna quæcunque alia, vel notæ numericæ, ſi pro literis uſurpentur.* Ubivis nimirum ſupponimus, ſignificatum determinari *ex compacto.*

§. 250.

Manifeſte & occulte quando loquamur & ſcribimus.

Manifeſte loquimur vel ſcribimus, ſi ſignis manifeſtis utamur ad animi noſtri ſenſa ſignificanda. *Occulte loquimur vel ſcribimus*, quando ſignis occultis utimur ad animi noſtri ſenſa ſignificanda, vel ex compacto verba manifeſta, animi noſtri ſenſa ſignificantia, certa lege inter verba manifeſta alia ita diſponimus, ut nonniſi ei, ad quem ſcribimus, mens noſtra pateſiat.

Interpolatio ſermonis, qua ſenſa animi alteri ſignificanda occultamus, poterat etiam ad ſigna occulta reduci, quatenus verba manifeſta certa lege diſpoſita acquirunt conjunctim vim ſignificandi nonniſi ei perſpectam, qui in hanc diſpoſitionem conſenſit. Quoniam tamen non cuivis tantum eſt acumen, ut æquipollentiam cum ſignis occultis perſpiciat, in explicanda occulta dictione vel ſcriptione ſigillatim modum illum occultandi animi tui ſenſa alteri aperienda commemorare libuit. Nemo autem miretur, quod de modo occulte loquendi vel ſcribendi loquamur in Jure naturæ: in eo enim de omnium omnino actionum humanarum moralitate agendum, quæcunque tandem fuerint.

§. 251.

Finis occulte loquentis & ſcribentis.

Occulte loquimur & ſcribimus, ne quis alius, qui loquentem audit, vel ſcripturam legit, loquentem vel ſcribentem intelligat, præter eum, cui loquimur, vel ad quem ſcribimus. Quando enim occulte loquimur & ſcribimus, ſignis occultis utimur ad animi noſtri ſenſa ſignificanda, vel ex compacto vocabula, quæ eo fine adhibentur, interpolatis aliis a ſe invicem removentur, ut ſermo a mente noſtra aliena ſignificet (§. 250.). Quamobrem cum verborum occultorum vel aliorum ſignorum ſignificatus non conſtet niſi iis, qui ex compacto ad animi ſui ſenſa ſignificanda illis utuntur (§. 249.), nec modus interpolandi pateat niſi iis, qui eodem ex compacto utuntur; non alio fine occulte loquimur & ſcribimus, quam ne quis alius, qui loquentem audit, vel ſcripturam legit, loquentem vel ſcribentem intelligat, præter eum, cui loquimur & ad quem ſcribimus.

Si parum refert, utrum alii quoque intelligant, quæ loquimur, vel ſcribimus, præter eum, ad quem ſermo noſter dirigitur, nec negandum ulla profecto ratio eſt, cur ea, quæ verbis al-

aliisque ſignis alteri ſignificare intendimus, occultare ſtudeamus. Uteremur vocabulis manifeſtis, quorum ſignificatus perſpectus eſt omnibus, qui eadem lingua utuntur, ut quilibet loquentem audiens; vel ſcripturam legens mentem loquentis vel ſcribentis intelligeret. Signis adeo utimur occultis, quia ab omnibus promiſcue intelligi minime volumus.

§. 252.

Cryptologia & cryptographia quid ſit.

Ars occulte loquendi *Cryptologia*; occulte vero ſcribendi ars *Cryptographia* dicitur.

Cryptologia, & cryptographia antiquiſſimis temporibus jam in uſu fuit: recentius tamen magis exculta & ad majorem perfectionem perducta. Ad cryptographiæ inprimis perfectionem pertinet, ne ulla humana induſtria ſecretum, quod occultare ſtudemus, manifeſtari a quoquam poſſit, cui innoteſcere minime debat. Caſus autem duo occurrunt: Nimirum aut intereſt, ne quis ſuſpicetur latere in literis, quas legit, aliquod ſecretum et ſignificandum, cui eædem inſcribuntur; aut parum refert, num noverint alii ſecretum in litteris contineri, modo idem in apricum producere non poſſint. Quodſi cryptographia omni in caſu ſatisfacere debet, neceſſe eſt ut nulla adſit ſecreti latentis ſuſpicio & ne in ejus cognitionem ulla arte humana penetrare poſſit, niſi artificii conſcius. Ceterum ad cryptographiæ perfectionem referri etiam debet; ſi ſecretum multis verbis conſtans, immo longa quævis oratio extra ambages occulte ſcribi poſſit. Noſtrum jam non eſt de cryptographia & cryptologia commentari, quamvis ex traditis modo principiis plerique modi occulte ſcribendi præſertim deduci poſſint. Memini me ante triginta & quod excurrit annos excogitaſſe modum occulte ſcribendi, qui duo illa habebat requiſita, de quibus ante diximus, & quo ſecretum quavis lingua conceptum occultari poterat in literis alia quacunque lingua conſcriptis. Sed MSC. cum aliis chartis fato quodam ante 19. annos intercidit, cujus memoriam refricare nolo. In præſenti ſufficit demonſtrare, quod cryptologia & cryptographia in ſe non ſit illicita, ſed illicitus tantum ſit ejus abuſus.

§. 253.

Quandonam cryptologia & cryptographia licita.

Quoties uni cuidam animi tui ſenſa ſignificare teneris, ad ea vero alios celanda obligaris; toties occulte loqui vel ſcribere licet, conſequenter ***Cryptologia & cryptographia licita***. Etenim quando uni cuidam animi tui ſenſa ſignificare teneris, ad ea vero alios celanda obligaris; iis utendum eſt vocabulis vel ſignis aliis, quorum ſignificatus non conſtat niſi iis, qui ex compacto iiſdem tecum utuntur ad animi ſenſa ſignificanda, conſequenter occultis (§. 249.), & tum vocabulis & ſignis occultis uti licet in loquendo & ſcribendo (§. 242. & *ſeqq.*). Sed occulte loquitur & ſcribit, qui in loquendo & ſcribendo utitur vocabulis vel aliis ſignis occultis (§. 250.). Quamobrem occulte loqui & ſcribere licet, quoties uni cuidam animi tui ſenſa ſignificare teneris, ad ea vero alios celanda obligaris. *Quod erat unum.*

Eſt vero ars occulte loquendi cryptologia; occulte vero ſcribendi cryptographia (§. 252.). Quoniam itaque occulte loqui & ſcribere licet, quoties uni cuidam animi tui ſenſa ſignificare teneris, ad ea vero alios celanda obligaris; in hoc etiam caſu cryptographia licita. *Quod erat alterum.*

In caſu propoſitionis præſentis lex naturæ dat nobis jus occulte loquendi & ſcribendi (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ut adeo jure noſtro utamur, dum occulte loquimur & ſcribimus, neque alter conqueri poſſit de injuris ſibi factis, ſi ex occulto ſermone, qui ad ipſum non dirigitur concipiat opinionem falſam: quod mox clarius eluceſcet.

§. 254.

An exercitii gratia occulte loqui & ſcribere liceat.

Quoniam cryptologia & cryptographia licita eſt, quando animi noſtri ſenſa uni cuidam ſignificare, alios vero celare tenemur (§. 253.), cryptologia & cryptographia vero in numero artium ſunt (§. 252.), quæ tanquam habitus (§. 260. *part. 1. Jur. nat.*) exercitio comparandæ (§. 430. *Pſych. empir.*); ***Quin exercitii gratia occulte loqui ac ſcribere liceat, dubitandum non eſt.***

Si

Si qua ars fuerit licita; nemo affirmare audebit, quod eam ſibi comparare illicitum ſit, cum potius ad eas artes acquirendas obligemur, ad quas addiſcendas ſumus apti & quæ nobis maxime neceſſariæ ſunt (§. 262. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 255.

Quandonam liberum manifeſte, vel occulte loqui ac ſcribere.

Si ad animi tui ſenſa alios celanda non obligaris, liberum tibi eſt, utrum ei, cui eadem ſignificare teneris vel tua ſponte vis, manifeſte, an occulte loqui, vel ſcribere velis. Etenim cum occulte loquamur & ſcribamus, ne quis alius nos intelligat, niſi is, cui loquimur vel ſcribimus (§. 251.), ſi ad animi tui ſenſa alios celanda non obligaris, nec neceſſe eſt, ut ei, cui loqueris vel ſcribis, occulte loquaris vel ſcribas (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque vi libertatis naturalis permittendum eſt, ut in determinandis actionibus tuis tuum ſequaris judicium, quamdiu nil facis contra jus tertii (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*), & vi ejuſdem facere potes, quod ſalva obligatione naturali fieri poteſt (§. 138. *part. 1. Jur. nat.*); vi libertatis naturalis tibi permiſſum, quomodo alteri, cui loqui vel ſcribere teneris aut tua ſponte vis, loqui vel ſcribere malis. Quoniam itaque tam manifeſte, quam occulte ſcribere ac loqui poſſumus (§. 250.); ſi ad animi tui ſenſa alios celanda non obligaris, liberum tibi eſt, utrum ei, cui eadem ſignificare teneris vel tua ſponte vis, manifeſte, an occulte loqui vel ſcribere velis.

Quando ad animi tui ſenſa alios celanda, uni cuidam autem ſignificanda obligaris, ex ipſa hac obligatione naſcitur jus occulte loquendi, vel ſcribendi, ubi cuidam eadem ſignificare teneris (§. 23. *part. 1. Jur. nat.* & §. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quando vero non obligaris ad animi tui ſenſa alios celanda, nec adeſt ratio aliqua ſufficiens juris occulte potius, quam manifeſte loquendi aut ſcribendi. Quamobrem ad libertatem naturalem recurrendum, quando quid permiſſum ſit definiendum (§. 138. *part. 1. Jur. nat.*). Quod vero ſolo jure libertatis defenditur, liberum potius, quam licitum dicendum, cum factum ad alios nonniſi referatur (§. 157. *part. 1. Jur. nat.*): neque enim libertas nobis competit niſi reſpectu aliorum (§. 152. *p. 1. Jur. nat.*), reſpectu autem agentis ad legem naturæ referuntur tanquam ad normam. In caſu particulari ſemper adeſſe debet aliqua ratio, cur occulte potius, quam manifeſte ſcribere velis, etiamſi ad animi tui ſenſa alios celanda non obligeris (§. 70. *Ontol.*). Et pro diverſitate rationis a circumſtantiis particularibus in dato caſu petendæ, unus loquendi modus altero intelligitur melius, ſi ſummo acumine in eo trutinando utaris. Quodſi igitur legis naturæ perfectivæ rationem habeas, quæ obligat ad id, quod eſt melius altero, eidem præferendum (§. 193. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quod vi libertatis naturalis permittendum, non tamen hac lege permiſſum dici poteſt. Vides itaque, cur in hypotheſi propoſitionis præſentis occultum ſermonem liberum potius, quam licitum dicere maluerimus. Vereor equidem ne qui ſint, qui nimias in diſcernendo ſubtilitates, aut in definienda moralitate rigorem nimium accuſent: quamdiu vero non demonſtraverint, ſubtilitates iſtas, rigorem huncce veritati adverſari, eorum querelæ parum me angunt.

§. 256.

An medio licito uti liceat ad finem illicitum conſequendum.

Medio licito uti non licet ad conſequendum finem illicitum. Quodſi enim finis illicitus ſit, cum finis ab agente intendatur, (§. 617. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec finem illicitum intendere (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter nec propter eum agere debemus (§. 616. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum propter finem agat, qui mediis ad eum conſequendum utitur (§. 937. *Ontol.*); ad conſequendum finem illicitum medio licito uti non licet.

Principium hoc ampliſſimum uſum habet in univerſa philoſophia practica. Finis omnes actiones bonas vitiat, ſi fuerit malus, ſeu illicitus: illius autem reſpectu hæ mediorum obtinent rationem.

§. 257.

Digitized by Google

§. 257.

Quoniam medio licito uti non licet ad conſequendum finem illicitum (§.256.), etſi *cryptologia & cryptographia* licita ſit, quando alteri ad animi noſtri ſenſa ſignificanda obligamur (§.253.), *non* tamen ea *uti licet ad conſequendum malum finem*.

Cryptographia & cryptologiæ abuſus.

In hoc conſiſtit cryptologiæ & cryptographiæ abuſus, quod quidam ea utantur mali finis conſequendi gratia, veluti ad occultandos amores illicitos, vel occultanda mala, quæ agitant, conſilia. Quoniam principium præſens ſufficit omni abuſui ab uſu diſcernendo; ideo nec opus eſt, ut in demonſtrando ſimus prolixiores, quandonam occulte loqui vel ſcribere non liceat. Immo nec dici poteſt, quod quis ad animi ſui ſenſa alteri ſignificanda obligetur, quando hoc fit mali finis conſequendi gratia. De malo fine conſequendo illicita eſt omnis cogitatio, illicita quoque eſt alteri quomodocunque facta ſignificatio. Abutuntur homines eo in caſu non modo ſermone occulto, verum etiam manifeſto, vi propoſitionis præcedentis (§.256.).

§. 258.

Taciturnus dicitur, qui tacet, quando ad veritatem reticendam obligatur. *Taciturnitas* adeo virtus eſt, qua veritatem reticemus, quando ad eam reticendam obligamur. Vernaculo ſermone dicitur die *Verſchwiegenheit*.

Taciturnitas quid ſit

Taciturni in ſenſu morali non ſunt, qui ſilere, quam loqui amant, ita ut parum, vel nihil loquantur, etiamſi cum aliis familiariter converſentur. Virtutis non eſt ſilere, ubi loqui vel debes, vel loqui ſaltem convenit: neque hoc in caſu ſilentium plerumque deprehenditur niſi vitium quoddam naturale, de cujus cauſis dicemus in Moralibus.

§. 259.

Quoniam ad veritatem reticendam obligamur, quando verum dicendo contra officium vel obligationem contractam, qua alteri in ſingulari tenemur, agimus, aut contra jus alterius ſive perfectum, ſive imperfectum (§. 167. 168.), *taciturnus* vero veritatem reticet, quando ad eam reticendam obligatur (§.258.); idem *veritatem reticet, ſi verum dicere non poſſit, niſi faciat, quod officio vel obligationi contractæ, qua alteri in ſingulari tenetur, repugnat, aut quod eſt contra jus ſive perfectum, ſive imperfectum alterius*.

Quando taciturnus veritatem reticeat.

Videtur adeo praxis tam veracitatis, quam taciturnitatis admodum difficilis, quia ſupponit omnia officia tam erga te ipſum, quam erga alios, ipſum etiam Deum cognita, prouti ex demonſtrationibus anterioribus abunde innoteſcit. Immo negari non poteſt, ſi quis utrique virtuti adamuſſim ſatisfacere velit; ne intra limites arctiores eam coarctet, quam neceſſe fuerat, praxin ſua difficultate minime carere. Sed de eo rectius diſpiciemus in Moralibus, ubi etiam inquirendum, quomodo praxis virtutum facilitetur, quoties difficultates objiciantur.

§. 260.

Conſcientia dubia nihil agendum. Qui enim conſcientia dubia agit, non modo periculo legem naturæ tranſgrediendi ſeſe committit (§.447. *part.* I. *Phil. pract. univ.*); verum etiam actu peccat (§.448. *part.* I. *Phil. pract. univ.*), adeoque contra legem naturæ agit (§. 440. *part* I. *Phil. pract. univ.*). Conſcientia igitur dubia nihil agendum (§. 131. *part.* I. *Phil. pract. univ.*).

An conſcientia dubia agere liceat.

Propoſitionem præſentem præmittimus inſtar lemmatis ad ea, quæ ſequuntur, demonſtranda. Et ea etiam in aliis demonſtrandis utemur. Per ſe enim patet, eam eſſe principium generale; quod admodum late patet.

§. 261.

Quoniam conſcientia dubia nihil agendum (§. 260.), dubia vero eſt conſcientia, quando dubitamus, utrum judicium noſtrum de actione ſit verum, an falſum (§. 420. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter hæremus, utrum affirmare, an negare debeamus, num actio ſit lege naturæ conformis an eidem contraria, utrum committenda, an omittenda (§. 505. *Log.*); *Quamdiu hæremus, num actio aliqua legi naturæ conveniat, an eidem repugnet, utrum committenda, an omittenda, nihil agendum.*

Quemadmodum in Phyſicis ſine ratione ſufficiente nihil fit (§. 70 *Ontol.*); ita & in Moralibus ſine ratione ſufficiente nihil agendum. Ratio autem ad agendum ſufficiens eſt, ſi certo conſtet actionem eſſe bonam; ad non agendum vero, ſi exploratum ſit, actionem eſſe malam. Quamdiu adeo hæres utrum bona ſit actio, an mala; nondum adeſt ratio ſufficiens ad agendum, vel non agendum, atque adeo nihil agendum. Rationi igitur admodum conſentaneum eſt, ut conſcientia dubia nihil agatur. Actio autem bona hic ſumitur in omni ſua latitudine, quatenus honeſta (§. 171. *part. 1. Philoſ. pract. univerſ.*), ſive fuerit debita, ſive licita (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Et idem tenendum de mala (vi §§. *cit.*).

§. 262.

Quid fieri debeat in caſu dubio, num veriloquium repugnet officio, vel ſit contra jus alterius.

Qui alteri ad animi ſui ſenſa ſignificanda non obligatur, & in eo hæret, num verum dicendo faciat, quod officio, vel obligationi cuidam, qua alii in ſingulari tenetur, repugnat, vel quod contra alterius jus ſive perfectum ſive imperfectum eſt, veritatem reticere debet. Etenim ſi quis alteri ad animi ſui ſenſa ſignificanda non obligatur, neceſſe non eſt ut hoc faciat (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*), adeoque libertati ipſius relictum videtur, utrum id facere velit, necne (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam tamen hoc facere nequit (§. 159. *part. 1. Jur. nat.*), ubi veriloquium pugnat cum officio aliquo, vel obligatione contracta, qua alteri in ſingulari tenetur, aut ſi fuerit contra jus ſive perfectum, ſive imperfectum alterius, ſed veritas potius reticenda (§. 167. 168.); ſponte ſua verum dicere non ante debet, quam ubi ea de re certus fuerit. Quodſi ergo in eo hæreat, num verum dicendo faciat, quod officio, vel obligationi cuidam, qua alteri in ſingulari tenetur, repugnet, vel quod contra alterius jus ſive perfectum, ſive imperfectum eſt, cum nihil ſit agendum, quamdiu hæremus, num actio aliqua ſit legi naturæ conveniens, an eidem repugnet (§. 261.); qui alteri ad animi ſui ſenſa ſignificanda non obligatur & in eo hæret, num verum dicendo faciat, quod officio, vel obligationi cuidam, qua alii in ſingulari tenetur, repugnat, vel quod contra jus ſive perfectum, ſive imperfectum alterius eſt; veritatem reticere debet.

Non adeo facile eſt, præſertim parum acutis prævidere quænam ex eo conſequi poſſint, quod hoc vel iſtud alteri dixeris: id quod tamen requiritur ubi judicare volueris, num veriloquium pugnet cum officio aut obligatione, qua alteri teneris, aut cum jure alterius. Quodſi enim hinc ſequatur, quod pugnat cum officio vel obligatione quadam, qua alteri teneris, vel cum alterius jure, veriloquium quoque cum eodem pugnat. Semper adeo tutius eſt tacere, ubi alteri ad animi tui ſenſa ſignificanda non obligaris, quam intempeſtive ac temere loqui, quæ a te dicta alteri fuiſſe poſthac pœniteat. Minimum imprudenter eloqui potes, quæ reticenda fuerant, & parum ſolatii ineſt excuſationi imprudentis, quando dicit: non putaram. Ceterum quando loquimur de obligatione ad animi noſtri ſenſa alteri ſignificandum, id non confundendum eſt cum obligatione reſpondendi ad quæſtionem alterius. Sæpe enim non interrogati tenemur alteri ſignificare animi noſtri ſenſa, ſubinde etiam hæc ſuadet prudentia: ſæpe ex adverſo interrogatis tacere licet, nec ut reſpondeas ulla urget neceſſitas; quo in caſu deficit & obligatio animi ſui ſenſa alteri ſignificandi, & obligatio ſimpliciter aliquid loquendi.

§. 263.

Si prævides ea, quæ dicis, alium offenſura, aut ſaltem verendum, ne hoc fiat; ad animi tui ſententiam vero dicendam nemini obligaris; tacendum eſt, ſeu veritas reticenda. Quoniam enim nemo alterum offendere debet (§. 939. *part.* 1. *Jur. nat.*), ubi verum dicendo alterum offendis, aut ſaltem verendum ne hoc fiat, veriloquium pugnat cum officio erga alios, aut dubium ſaltem eſt, utrum pugnet, nec ne. Quamobrem cum veritas reticenda in utroque caſu ſit (§. 167. 262.); ubi prævides ea, quæ dicis, alium offenſura, aut ſaltem verendum, ne hoc fiat, ad animi tui ſenſa vero ſignificanda nemini obligaris, tacendum eſt, ſeu veritas reticenda.

An loqui liceat, quæ alium offendere poſſunt.

Quando alter offendatur ſatis dictum eſt alibi (§. 636. *part.* 1. *Jur. nat.*). Vulgo dicitur: Quod alium offendere poteſt, dicendum non eſt; ſed non ſatis determinate.

§. 264.

Similiter ſi prævides, alterum offenſum iri, quod hoc dixeris, nec ad hoc dicendum ei obligaris, cui dicis, at ſaltem vereris, ne iſtud fiat, tacendum eſt, aut veritas diſſimulanda. Oſtenditur eodem prorſus modo, quo propoſitionem præcedentem oſtendimus.

Aut ſi quod a te dicta ſint, offendatur alius.

Caſus hic non confundendus eſt cum altero. Aliud enim eſt dicere, quæ offendunt alterum, aut alium quendam ſeu tertium: aliud vero offendere alterum, quia hoc dicimus. Ex. gr. Si dicis Mævium eſſe ſceleratum, id ipſum, quod dicis, eum offendit. Quodſi Mævius te conſuluerit, num munus aliquod ambire debeat, & tu hoc Titio ſignifices, qui idem ambire vult; Mævius offenditur, quod hoc Titio dixeris. Subinde vero fieri poteſt, ut quis offendatur, tum quod hoc dictum fuerit, tum etiam eo ipſo, quod dicitur, veluti ſi quæ famam alterius laceſſunt divulges, etiamſi famæ ejus detrahendi animus tibi non ſit.

§. 265.

Damnoſum dicitur, ex quo damnum aliquod quomodocunque conſequitur. Hinc *damnoſum* dicitur *ei*, qui ideo damnum aliquod patitur.

Damnoſum quid ſit.

Ex. gr. Incendium tibi damnoſum eſt, quo ædes tuæ vel res tuæ conflagrant: ſermo alterius tibi damnoſus eſt, ſi excidis ſpe muneris, quod ambis, obtinendi, quis alter hoc dixit alius, qualecunque tandem id fuerit.

§. 266.

Si veriloquium tibi vel aliis damnoſum, ad hoc vero dicendum nemini obligaris, veritas reticenda. Etenim non minus a ſe (§. 493. *part.* 2. *Jur. nat.*), quam ab aliis damnum omne avertere debemus (§. 495. *part.* 2. *Jur. nat.*), conſequenter cavere, ne quid a nobis fiat, quod alteri poſſit eſſe damnoſum (§. 265.). Quamobrem porro eodem, quo ante (§. 263.), modo oſtenditur, veritatem eſſe reticendam, ſi veriloquium tibi vel aliis damnoſum eſſe poſſit, ad hoc vero dicendum nemini obligaris.

Quando quod nobis vel aliis damnoſum dicere non liceat.

Vulgo dicitur: Quod tibi vel aliis damnoſum eſſe poteſt, alteri ne dixeris, ſed non ſatis determinate. Ceterum hæc ſpeciminis loco apponere libuit, ut appareat, quomodo principia generalia ad caſus particulares applicari poſſint ac debeant, ſi quidem taciturnitati ſtudere volueris, ne loquaris, ubi tacendum, nec taceas, ubi loquendum.

§. 267.

Arcanum quid ſit.

Arcanum dicitur, quod ab aliis ignorari volumus, vel etiam velle debemus.

Ita Medici vocant arcana ſua compoſitiones Medicamentorum a ſe inventas, quas ab aliis ignorari volunt, ne lucro inde capiando defraudentur. Similiter in numerum arcanorum refert unuſquiſque, quæ clam patravit, propterea quod metuit, ne ſi aliis palam fiant male facta, damnum inde quoddam aut incommodum ſentiat. Arcanum quoddam eſt conſilium, quod animo agitamus, nec aliis palam fieri volumus, ne eventu forſan fruſtretur.

§. 268.

Arcana committere & prodere quid ſit.

Arcana ſua alteri committere dicitur, qui ea ipſi ſub ſpe vel fide ſilentii, hoc eſt, ſub conditione vel tacita, vel expreſſa, ne dicat aliis, patefacit. *Prodere* autem *arcana* alterius dicitur, qui ſibi commiſſa nota facit aliis.

Contradictorium videtur, quæ ab aliis ignorari vis, dicere alii. Enimvero ſubinde res ipſa non patitur, ut nobis ſolis nota ſit, ſed arcani participes facere tenemur alios quoſdam. Ita Miniſtris ſtatus intimis, quorum conſilio Rex decernit, nota ſunt arcana Regis. His a Rege committuntur ſpe ſilentii, quia ex muneris ratione ea nemini prodere tenentur. Subinde amicus arcanorum amicum ſuorum facit participem, vel ſpe ſilentii ex fide amicitiæ concepta, vel ſub expreſſa conditione, ne rurſum dicat aliis, quæ ipſi dicuntur: cujus quidem rei variæ eſſe poſſunt rationes, quas ſuo loco videbimus. Velle igitur, ut quod ab aliis ignoretur, & idem tamen dicere nonnullis, inter ſe minime pugnat. Experientia obvia hoc ſatis confirmat. Indignantur enim homines arcana ſua prodentibus, ſatis manifeſto indicio, quod ipſis dicta aliis iterum dici noluerint. Et, ſi qui in arcanis commiſſis fidem datam fallunt, quos eorum participes facere debuimus, de iis conquerimur.

§. 269.

Cur quid ab aliis ignorari velimus.

Si quid ab aliis ignorari volumus, neceſſe eſt ut ex eo, ſi norint alii, nobis mali quidpiam eveniat, aut ſaltem vereamur, ne eveniat. Quoniam enim ſine motivo nolitionis ut quid nolimus fieri nequit (§. 889. *Pſych. empir.*); ſi quid ab aliis ignorari volumus, neceſſe eſt ut motivum quoddam nolitionis adſit. Conſiſtit autem motivum nolitionis in repræſentatione mali (§. 890. *Pſych. empir.*) Quamobrem ſibi tanquam malum repræſentare debet, ut alii id norint, quod ab iis ignorari vult. Cum itaque notitia aliorum nobis mala eſſe nequeat, niſi quatenus inde mali quidpiam nobis evenit, quod per ſe patet; ideo neceſſe eſt, ut, ſi quid ab aliis ignorari volumus, nobis mali quidpiam eventurum prævideamus, aut ſaltem vereamur, ne eveniat.

Ita Medicus compoſitionem medicamenti, cujus diſpenſatio ſibi lucroſa, ab aliis ignorari vult, ne lucro privetur. Quodſi excipias, ſubinde etiam ſola invidia erga alios adduci homines, ut nolint, aliis quædam ſibi nota innoteſcere; ne hoc quidem propoſitioni præſenti obſtat. Etenim tum malum judicamus, quod hoc alteri notum ſit, cujus notitia eum carere malumus, quatenus ex ea tædium ſeu moleſtiam percipimus, etſi per errorem (§. 573. *Pſych. empir.*).

§. 270.

Ratio arcani.

Quoniam neceſſe eſt, ut, ſi quid ab aliis ignorari volumus, ex eo, quod norint alii, nobis mali quidpiam eveniat, aut ſaltem vereamur, ne eveniat (§. 269.), arcanum vero ab aliis ignorari volumus (§. 267.); *arcanum ſi norint alii, aut nobis aliquid mali evenit, aut ne eveniat ſaltem metuendum.*

Ita

Ita Medicus jacturam facit lucri, quod percipere poterat, ſiquidem arcanum ſuum divulgetur. Famæ tuæ macula adſpergitur, ſi ſcelus clam perpetratum palam fiat.

§. 271.

Ad quod reticendum obligamur, id arcanum eſt. Ad quod reticendum obligamur, illud nemini dicere, conſequenter ab aliis ignorari velle debemus. Enimvero quod ab aliis ignorari velle debemus, arcanum eſt (§. 267.). Ergo ad quod reticendum obligamur, id arcanum eſt. *An quod reticendum ſit arcanum.*

Jure naturali pro arcanis habenda non ſunt, niſi ea, ad quæ reticenda obligamur: multo minus itaque iis accenſenda, ad quæ aliis palam facienda obligamur. Homines ſæpe pro arcanis habent, quæ non ſunt, rationibus extrinſecis pro diverſitate genii diverſis adducti. Ne igitur recepto loquendi mori vim inferre videremur, in definiendo arcano conſuetudinem loquendi ſequi, quam ad moralitatem animum attendere libuit. Et hac de cauſa propoſitionem præſentem convertere non licet.

§. 272.

Arcana tua nemini committere debes, niſi ei, qui ut eorum ſit particeps neceſſe eſt. Arcana enim tua ab aliis ignorari vis, aut velle ſaltem debes (§. 267.). Et quamvis ea alteri patefacias ſub ea conditione, ne dicat aliis, quod ipſi dixiſti, ſeu ſub ſpe vel fide ſilentii; cum tamen experientia conſtet, quam multæ ſint rationes, cui hoc non obſtante dicantur aliis, quæ dici non debebant, ſemper hærere debes, utrum tutum ſit alteri arcana tua patefieri, nec ne. Quamobrem cum nihil agendum, quamdiu hæres, num aliquid faciendum, an non faciendum (§. 261.); arcana tua nemini patefacere debes, ne ſub ea quidem conditione ſive tacita, ſive expreſſa, ne aliis dicat, quæ ipſi dixiſti, hoc eſt, ne ſub ſpe quidem vel fide ſilentii. Enimvero alteri arcana ſua committit, qui ſub ſpe vel fide ſilentii ea alteri patefacit (§. 268.). Arcana igitur tua nemini committere debes. *Quod erat unum.* *An arcana aliis committenda.*

Urget autem ſubinde neceſſitas, ut arcana tua committas alii, veluti ſi conſilio alterius indiges, vel opera alterius in exequendo, quod decreviſti. Quamobrem cum hoc in caſu non amplius tibi liberum ſit, utrum arcana tua alteri committere velis, an nolis, etſi nemini committere malles; ideo arcana tua committere non debes niſi ei, qui eorum ut ſit particeps neceſſe eſt. *Quod erat alterum.*

Neceſſitas nullam habet legem. Neque adeo quæri poteſt, utrum hoc facere, an non facere debeas, ubi fieri neceſſe eſt. Nec dici poteſt te male vel minus recte feciſſe, quod fieri neceſſe erat, ſi vel maxime hypothetica ſaltem fuerit neceſſitas, quæ in ſe quidem moralis non eſt, ſed phyſica, a morali tamen pendet. Sed de his plura dicemus ſuo loco.

§. 273.

Natura obligaris ad arcana tibi commiſſa non prodenda. Qui enim arcana ſibi commiſſa prodit, ea nota facit aliis (§. 268.). Quamobrem cum ei, qui illa tibi commiſit, mali quidpiam eveniat, aut ſaltem metuendum, ne eveniat, ſi arcana alii norint (§. 270.), & tædium ipſi creas ea alteri patefaciendo (§. 570. *Pſych. empir.*), & in periculum mali adventuri adducis. Enimvero nemo alteri tædia creare (§. 723. *part. 1. Jur. nat.*) & quantum in poteſtate tua eſt cavere debes, ne alius quicunque incidat in mala animi, corporis ac fortunæ (§. 613. *part. 1. Jur. nat.*). Arcana igitur tibi commiſſa nemini nota facere debes, conſequenter natura ad arcana tibi commiſſa non prodenda obligaris (§. 171. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *Obligatio commiſſa arcana non prodendi.*

Du-

Duplex datur obligatio arcana ſibi commiſſa non prodendi. Alia nimirum connata eſt, alia contracta. De connata hic agimus: de contracta hic agi nondum poteſt, cum veniat ex pacto, de pacto autem nondum egerimus. Natura vero obligamur ad omne id, ad quod alteri vi officiorum natura debitorum tenemur.

§. 274.

Eadem porro expenditur.

Si arcanorum alterius quomodocunque factus fueris particeps, ad ea non prodenda obligaris. Oſtenditur eodem modo, quo propoſitionem præcedentem oſtendimus.

Etenim ſive arcana ab altero tibi fuerint commiſſa, ſive alio quocunque modo eorundem factus fueris particeps, ubi ea prodis, & tædium illi creas, & ipſum in periculum mali evanturi adducis. Quamobrem hinc porro ut ante conſequitur, te ad ea non prodenda obligari. Non uno autem modo fieri poteſt, ut arcanorum alterius fias particeps: etenim alius tibi ea prodere poteſt, tu caſu auditu percipere potes, quæ committuntur alii, videre etiam caſu vales, quæ clam facere voluit alter, aut alio quodam caſu tibi innoteſcere poteſt, altero nolente. Si obligatio ad non prodenda arcana tantummodo ex pacto veniret, tibi non commiſſa pro arbitrio tuo prodere poteras: enimvero quoniam etiam ad ea non prodenda obligaris, quatenus hoc pugnat cum officiis erga alios, eadem obligatio te tenet, quocunque modo tibi innotuerint.

§. 275.

An arcana inimici prodere liceat.

Si is, cujus arcana noſti, tibi factus fuerit inimicus; ea tamen prodere non debes. Quoniam enim ei, cujus arcana noſti, mali quid evenit, aut, ne eveniat, ſaltem metuendum eſt, ſi norint alii (§. 270.); ubi ea prodis, quia tibi factus eſt inimicus, non alio fine id facere potes, quam ut ipſi ægre facias, adeoque ipſum odis (§. 661. *Pſych. empir.*). Enimvero nemo inimicum odiſſe debet (§. 632. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem nec arcana ejus prodere debes, qui tibi factus inimicus.

Videmus adeo inimicitiam non eſſe rationem ſufficientem juris ad prodenda arcana alterius; ſed inimici arcana prodere non minus lege naturali prohibitum, quam amici, vel alterius cujuſcunque, qui indifferenti in te animo eſt. Eſt quidem ea motivum hoc faciendi, quatenus ex tædio alterius voluptatem percipimus, adeoque nobis bonum judicamus, quod alteri male ſit; ſed a vera virtute alieni ſunt, qui hoc motivo utuntur. Virtuti enim deditus non utitur motivis illicitis. Multo minus autem motiva illicita actum in ſe illicitum licitum efficere poſſunt, quemadmodum arbitrantur, qui ſibi perſuadent, ob inimicitiam prodere licere, quod ob amicitiam reticendum fuerat. Apparet itaque quam neceſſarium fuerit obligationem naturalem ad non prodenda arcana alterius demonſtrari, ut pateat, prodere arcana alterius actum in ſe illicitum eſſe, cum vulgo hoc non agnoſcatur: qui enim hoc agnoſcunt, inimicitia vel offenſa proditionem arcanorum minime tuentur.

§. 276.

Quinam temere loquatur.

Verba temeraria dicuntur, quæ nullo fine proferuntur. Vocantur a Chriſto *verba otioſa* Matth. XII. 36. Hinc *temere loqui* dicitur, qui nullo fine intento loquitur, hoc eſt, non alia de cauſa, quam ut loquatur.

Vulgo dicitur temerarie loquentem loqui ſine ulla cauſa: non vero intelligitur cauſa alia, quam finalis. Nimirum ſermo inventus eſt eum in finem, ut alteri animi noſtri ſenſa ſignificare valeamus tam in intelligendo, quam in volendo, cum homo homini utilis eſſe debeat, & nemo ſibi ſolus ſufficiat (§. 220. *part. 1. Philoſ. pract. univ.*). Inventus adeo eſt communis utilitatis promovendæ gratia, conſequenter in communicandis animi tui ſenſis alteri ſemper ſpectanda eſt aliqua vel tua, vel alterius utilitas. Quodſi vero neutrius veſtrum interſit, ut animi tui cogitata innoteſcant alteri, nullo fine ipſi loqueris, ac ideo temere.

§. 277.

§. 277.

Temeraria facta quænam ſint.

Eodem ſenſu *facta temeraria* dicuntur, quæ nullo fine committuntur. Et *temere quid facere* dicitur, qui nullo fine facit.

Quemadmodum in verbis (*not.* §. 276.), ita etiam in factis ſpectatur vel propria vel aliena utilitas, & ea eſt inſtar finis, qui a faciente intenditur. Quodſi vero nec tua refert, nec alterius intereſt, cur quid facias, nullo hoc fit fine, adeoque temere id facis, & factum hoc temerarium eſt.

§. 278.

An temeraria verba & facta licita ſint.

Temere nil faciendum, nec loquendum. Qui enim temere quid facit, aut loquitur, is nullo fine intento hoc facit (§. 277.), conſequenter cum ſapiens agat propter finem (§. 678. *Pſych. rat.*), ſapiens in faciendo non eſt. Enimvero ſapientes eſſe debemus (§. 254. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem nec facere quidpiam, nec loqui temere debemus.

Oſtenditur etiam hoc modo. Homo in omnibus ſuis actionibus perfectionem ſui aliorumque & gloriæ divinæ per ſe & alios manifeſtationem directe intendere (§. 30. 31. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), conſequenter ſemper propter hunc finem agere (§. 617. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque nullo fine non intento nunquam agere debet (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quoniam igitur hunc finem minime intendit, qui temere quid facit, vel loquitur (§. 276. 277.); temere nil quicquam faciendum, nec loquendum.

Equidem ex demonſtratione priore ſatis intelligitur, verba & facta temeraria eſſe illicita, quia ſapientiæ, virtuti intellectuali adverſatur; ex poſteriori tamen turpitudo eorum intrinſeca clarius eluceſcit, quia pugnat cum vita perfecta (§. 33. *p.* 2. *Phil. pract. univ.*) & lege naturali conformi (§. 32. *p.* 2. *Phil. pract. univ.*), adeoque etiam cum ea, quæ rationi, naturæ humanæ, immo etiam voluntati divinæ convenit (§. 57. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Atque hinc patet ratio, cur Chriſtus Matth. XII. 36. verba otioſa promiſcue omnia tantopera damnet, de quibus olim Deo redditurí ſimus rationem. Urget enim vitam perfectam, qualis eſt Dei, Matth. V. 48. tanquam principium juris naturalis, quemadmodum oſtendimus in Horis ſubſeciuis A. 1730. Trim. ver. num. 5. Abſit autem, ut tibi perſuadeas, ſi nihil temere loquendum, hominem ab omni converſatione cum aliis abſtinere debere, niſi magis mutus, quam piſcis eſſe voluerit: eum enim ea, quæ quotidie fiunt, ad augendam & confirmandam experientiam faciant, quæ non modo uſui eſt, quatenus empirici ſumus in agendo (§. 502. *Pſych. empir.*), ſed & ad recte agendum plurimum confert (§. 261. & ſeqq. 270. & ſeqq. & 300. *p.* 2. *Phil. pract. univ.*), ut taceamus, quod prudentia, ad quam acquirendam obligamur (§. 258. *p.* 1. *Jur. nat.*), abſque ea nulla ſit; non inutiliter de iis, quæ quotidie fiunt, verba facimus, modo omnia in uſum noſtrum & aliorum convertere velimus, quæ eidem ſerviunt. Quamobrem niſi temere loqui volueris, neceſſe eſt ut non modo omnem officiorum naturalium rationem habeas perſpectam; verum etiam perpendas, quænam utilitas vel a te, vel ab altero, cum loqueris, ex ſermone tuo ſperari poſſit.

§. 279.

Finis ultimus omnis ſermonis.

Finis ultimus omnis ſermonis eſt ſui aliorumque perfectio. Etenim perfectio ſui aliorumque eſt finis ultimus omnium actionum humanarum (§. 28. *part* 2. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum etiam ſermo, perceptionum, appetitionum & averſionum, hoc eſt, animi ſui ſenſorum per vocabula ſignificatio (§. 713. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), in earum numero ſit (§. 567. *part.* 1. *Theol. nat.*); ſermonis quoque omnis finis ultimus ſui aliorumque perfectio eſſe debet.

Nimirum ſermo homini ideo conceſſus, quia conjunctis viribus perfectionem mutuam promovere tenentur (§. 221. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), nemine ſibi ſolo ſufficiente (§. 220. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ad hunc itaque finem ſi refertur ſermo noſter, facile verba temeraria a non temerariis diſcernere licebit. Quoniam vero ad finem ultimum non immediate omnia referuntur,

tur, cum alii intermedii eidem ſubordinentur (§. 943. *Ontol.*); nemo non intelligit, ad finem ultimum referri, quod ad aliquem intermedium refertur: quicquid nimirum ab agente mediate intenditur; ad perfectionem noſtram aliorumque per modum medii ſeſe habere debet.

§. 280.

Garrulitas quid ſit. Qui multa temere loqui ſolet, *Garrulus* dicitur. Quamobrem cum temere non ſit loquendum (§. 278.), *Garrulitas* vitium eſt multa temere loquendi (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Natura homines quidam multa loqui amant; alii vero ad ſilendum, quam loquendum ſunt proniores. Ratio differentiæ patebit ſuo loco in philoſophia morali. Hinc vero inferre minime licet, garrulitatem vitium eſſe naturale, ſaltem in nonnullis. Neque enim ideo temere quis loquitur, quia multa loquitur. Natura igitur ad loquendum proclivis facilius in hoc vitium incidit: ipſa tamen, quæ natura ineſt, proclivitas, vitioſi nil habet. Obtinet idem in quocunque vitio alio, ut ad idem alii natura ſint procliviores aliis pro diverſitate diſpoſitionum naturalium; ſed ut hæ diſpoſitiones in vitioſum habitum degenerent ex accidente eſt, nec naturæ imputandum, quæ diverſum facit hominum genium. Sed de his luculentius dicendum in philoſophia morali.

§. 281.

Futilitas quid ſit. *Futilis* dicitur, qui ſilere tacenda nequit. Hinc *Futilitas* eſt vitium, quo tacenda loquimur, conſequenter arcana vel propria, vel commiſſa effutimus (§. 272. 273.).

Futilem ita definit *Pompejus Feſtus* de verborum ſignificatione. Quamobrem cum in numero vitiorum ſit tacenda loqui (§. 322. *p. 1. Phil. pract. univ.*); vitium hoc futilitatis nomine inſignire placuit. Garrulitas & futilitas vitia in exceſſu ſunt: ſed dantur etiam vitia in defectu, nempe ſi quis ſilentio nimium deditus ſilet, quando loqui debebat, & qui in arcanorum numerum refert, quæ nemini non nota eſſe poterant, vel aliis innoteſcere debebant. Non tamen commoda ſuccurrunt vocabula, quibus hæc vitia indigitare datur. Hoc tamen minime obſtabit, ne de iis in philoſophia morali tradantur ad ea fugienda & agnoſcenda neceſſaria.

§. 282.

Jactantia quid ſit. *Jactare ſe* dicitur, qui exiſtimationis affectandæ cauſa multa de ſe ſive vera, ſive falſa dicit. Unde intelligitur, quale vitium ſit jactantia, nimirum iſtud, quo exiſtimationis affectandæ cauſa multa quis de ſe ſive vera, ſive falſa dicit.

Etſi autem exiſtimatio ſit aliorum de perfectione noſtra judicium (§. 538. *p. 1. Jur. nat.*); non tamen ideo requiritur, ut jactator ſibi tribuat veras perfectiones, ſed ſufficit pro talibus ab eo haberi, quæ ſibi tribuit. Hinc videas jactabundos multum loqui de divitiis ſuis, etſi bona fortunæ non pariant exiſtimationem, niſi quatenus virtutum intellectualium & moralium concurſu fuerunt acquiſita (§. 649. *part. 1. Jur. nat.*). Communiter enim homines ſupra alios eminere volunt, propterea quod quibus abundent, licet eas vel ſoli fortunæ debeant, vel male acquiſiverint, ita ut in caſu priore nihil ad exiſtimationem faciant, in poſteriore autem eidem prorſus obſtent.

§. 283.

Jactantia illicita. *Nemo ſe jactare debet.* Qui enim ſe jactat, exiſtimationis affectandæ cauſa multa de ſe ſive vera, ſive falſa dicit (§. 282.), adeoque ſermone ſuo exiſtimationem intendit tanquam finem (§. 616. 617. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Sed nemo exiſtimationem tanquam finem intendere debet (§. 562. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem nemo ſe jactare debet.

Atque

Digitized by Google

Atque hinc patet; quod jactantia ſit vitium (§. 322. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), idque tanto majus, ſi falſa de te dicendo exiſtimationem affectes, cum operam dare debeamus, ut exiſtimatione ſimus digni. Cum actio vitioſitatem contrahat a pugna cum lege naturali (§. *cit.*); magis utique vitioſa eſt, ſi duplici, quam ſi ſimplici obligationi repugnet. Probe hoc notandum eſt, cum uſui ſit in demonſtrands turpitudine actionis.

§. 284.

Quando ſine jactantia propria recenſeantur merita.

Qui famæ tuendæ cauſa, vel alios erudiendi gratia propria merita recenſet; jactator non eſt, & in utroque caſu hoc facere licet. Qui enim famæ ſuæ tuendæ cauſa, vel alios erudiendi gratia propria merita recenſet, is non exiſtimationis affectandæ cauſa hoc facit. Quamobrem cum is demum jactator ſit, qui exiſtimationis affectandæ cauſa multa de ſe ſive vera, ſive falſa dicit (§. 282.); jactator non eſt, qui famæ tuendæ cauſa, vel alios erudiendi gratia propria merita recenſet. *Quod erat primum.*

Enimvero famam & exiſtimationem adverſus calumniam etiam verbis defendere debemus (§. 1047. & ſeqq. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem ſi famæ tuendæ cauſa propria merita recenſemus, id non ſine jure noſtro facimus (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque hoc facere licet (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *Quod erat ſecundum.*

Denique omni ſtudio in id eniti debemus, ut homines etiam alii omnem facultatis cujuslibet animæ acquiſitu ſibi poſſibilem conſequantur (§. 637. *part.* 1. *Jur. nat.*). Unde porro eodem, quo ante modo, oſtenditur alios erudiendi gratia propria merita recenſere licere. *Quod erat tertium.*

Non eſt quod objicias, hoc prætextu jactantiæ latas fores pandi: oſtendemus enim ſuo tempore in Philoſophia morali, quomodo jactantia agnoſcatur, ut in prætextu iſto perperam præſidium collocetur.

§. 285.

Serium

Serium dicitur id, ad quod dicendum vel faciendum ratio quædam nos urget. Unde *verba ſeria, quod cum animi noſtri ſenſis, & facta ſeria quod cum actione quid ſit interna conveniant, ab aliis credi volumus.*

Serium non confundendum eſt cum ſincero; quod ſimulato opponitur (§. 714 716. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Etenim etiam ſimulator ſerio loquitur & agit, cum videri velit, qui non eſt. Ex. gr. ſi quis amicitiam ſimulat, amicus videri vult. Quicquid adeo dicit, quicquid facit, ſerio dicit ac facit, eo nempe fine, ut tu putes eum tibi eſſe amicum. Verba tamen ejus & facta minime ſincera ſunt. Hinc ſi dicere velimus, nos ſerio loqui, credere alterum jubemus, quod, quæ dicimus, vera ſit animi noſtri ſententia. Et viciſſim quando volumus ab altero credi, quæ dicimus veram animi noſtri ſententiam eſſe dicere ſolemus, nos ſerio loqui, ſi vel maxime ſimulemus quod non eſt. Quemadmodum ſermone vernaculo actionem ſinceram eine aufrichtige Hanlung vocamus; ita ſeriam eine ernſthafte Handlung appellare ſolemus. Unde ſerio loqui vernaculo ſermone dicimus im Ernſt etwas ſagen. Equidem non nego per inconſtantiam loquendi ſubinde ſerium opponi ſimulato, veluti quando vernaculo ſermone dicimus, es iſt mein rechter Ernſt, ich ſtelle mich nicht nur ſo; inconſtantia tamen loquendi veritati nullum affert præjudicium, nec obſtat quo minus in Philoſophia a ſe invicem diſcernantur, quæ diverſa ſunt, vocabulis a vago ſignificatu ad fixum reductis (§. 144. *Diſc. prælim.*).

§. 286.

Facta quando verbis æquipolleant.

Quando factis ſignificamus, quod verbis indigitari ſolet, *facta verbis æquipollere* dicuntur.

Ita vultu auſtero quando iratum prodimus animum ad nos advenienti, vultus verbis æquipollet. Similiter ſi fores occludimus, dum alterum ad nos adventantem videmus, ac hoc

ipſo animum iratum ſignificamus; factum verbis æquipollet. Verba enim ſigna communia ſunt, quibus internum animi noſtri ſtatum aliis ſignificare ſolemus.

§. 287.

Joci & Ludi quid ſint.

Verba & facta iiſdem æquipollentia non ſeria dicuntur *Joci*; facta vero cetera non ſeria *Ludi*.

Jocum & ludum opponi ſerio; nemo non agnoſcit; nec minus agnoſcitur, jocum præcipue verbis, ludum factis, interdum tamen etiam factis illum fieri. Vid. *Stephanus* in Theſauro Linguæ Latinæ. Quænam vero facta ad jocum, quænam ad ludos ſint referenda, non diſcernitur. Noſtrum itaque eſſe duximus, in diſcrimen hoc inquirere: quod uſui loquendi convenienter aſſignari exempla obvia docent.

§. 288.

Jocorum & Ludorum quænam ſit ratio.

Quoniam joci & ludi feriis accenſendi non ſunt (§. 287.), quæ vero ſeria non ſunt, ea nulla ratio fieri urget (§. 285.); ideo *jocorum & ludorum ratio nulla urgens datur*, conſequenter *tam joci, quam ludi tantummodo animi, aut temporis fallendi gratia fiunt*.

Cum nihil ſit abſque ratione ſufficiente, cur potius ſit quam non ſit (§. 70 *Ontol.*): jocorum quoque & ludorum ratio ſufficiens dari debet. Enimvero non omnis ratio ſufficiens urgens eſt. Tempus fallere ratio ſufficiens eſt otioſo, cur ludat; non tamen ratio urgens. Aſt ſi quis in Academia ſtudiorum gratia degit, ratio urgens eſt cur iiſdem aſſiduam operam navet, ipſa hoc faciendi obligatio. Quando itaque ſtudioſus facit, ad quod faciendum obligatur, ſeria tractat. Quodſi vero animi, tantummodo gratia eytharam pulſat, ſerium hoc non eſt, ſed ludus.

§. 289.

Joci quinam illiciti.

Joci, quibus alii offenduntur, vel læduntur, illiciti ſunt. Quoniam enim nemo alterum vere offendere (§. 939. *part. 1. Jur. nat.*), nemo alterum lædere debet (§. 695. *part. 1. Jur. nat.*); nec jocis aliquem lædere aut offendere debemus. Joci adeo, quibus alii offenduntur, vel læduntur, illiciti ſunt.

Læſio hic ſumitur in ampliſſimo illo ſignificatu, quem vocabulo tribuimus dum læſionem prohibitam lege naturali demonſtrare voluimus (§. 669. & *ſeqq. part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem ſi quis jocos illicitos diſcernere voluerit, omnes iſtos modos perpendere debet, quibus quis lædi poteſt; perpendendum etiam, quænam alterum offendere queant. Ita joci obſcœni offendunt aures honeſtas, aliorum vero libidinem ſuſcitant, adeoque iiſdem hi læduntur (§. 694. *part. 1. Jur. nat.*): ſunt adeo illiciti.

§. 290.

Idem porro expenditur.

Joci, qui temere fiunt, illiciti ſunt. Etenim nihil temere dicendum, nec faciendum (§. 278.). Quamobrem nec temere jocandum, conſequenter qui temere fiunt joci illiciti ſunt.

Quoniam quod temere fit, nullo fine fit (§. 277.); nec joci, qui temere fiunt, ullo fiunt fine. Etſi autem deſit ratio finalis, non tamen ideo deeſt ratio, cur jocari velimus. Qui jocis adſueti ſunt, jocantur, quoties tempus fallendum, conſuetudine adducti. Atque adeo ſufficiens adeſt ratio, per quam intelligi poteſt, cur jocentur. Quoniam tamen nil aliud intendunt, quam ut tempus fallant, adeoque præterea non alium habent jocis propoſitum finem, nullo fine jocari dicendi ſunt, conſeqeenter temere. Neque enim per hos jocos obtinetur, niſi quod jocatum fuerit.

§. 300.

Digitized by Google

§. 300.

Joci ad erudiendum vel emendandum alios compoſiti liciti ſunt. In propagandis *Joci quinam liciti.* virtutibus intellectualibus & moralibus ſeduli eſſe debemus (§. 638. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum joci ſint verba vel iis æquipollentia facta, quorum nulla urgens ratio datur, ſed qui animi tantummodo, aut temporis fallendi gratia fiunt (§. 288.), adeoque in ſe ſpectati nil habeant quod honeſtati repugnet (§. 171. 152. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); quin joci ad erudiendum vel emendandum alios compoſiti fieri poſſint, adeoque liciti ſint (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), dubitandum non eſt.

Sæpe per jocum fieri vel dici poteſt, quod dici non poterat ſine joco, veluti quando veritas nuda offendit, jocis vero veſtita toleratur. Immo ſi joci ſalibus ab ingenioſis condantur, veritas novum quoddam robur acquirit, ut major ſit ejus in animis hominum efficacia. Ita jocantes ridendo verum dicunt: quod licitum agnoſcunt, quotquot ditunt. Ridendo dicere verum, quid vetat? Ex præcedente & præſente propoſitione patet, jocos honeſtari & dehoneſtari fine.

§. 301.

Si jocis uti velimus, ad erudiendum vel emendandum eos, cum quibus illos conferimus, aut alios præſentes componi debent. Homo enim in omnibus ſuis actionibus perfectionem ſui aliorumque directe intendere debet (§. 30. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). *Quomodo jocis utendum.* Quamobrem cum jocos cum aliis conferamus, ſi jocare velimus, in illis quoque perfectionem eorum, cum quibus eos conferimus, aut aliorum præſentium intendere debemus. Quoniam itaque per ſe patet, facultatem animæ cognoſcitivam erudiendo, appetitivam emendando perfici, alia autem perfectio niſi animæ per jocos intendi minime poſſit, quod ex definitione liquet (§. 287.); ſi jocis uti velimus, ad erudiendum vel emendandum eos, cum quibus illos conferimus, aut alios præſentes componi debent.

Sumimus in demonſtratione nonnulla, quæ non modo facile conceduntur a quolibet, verum etiam vera intelliguntur abſque demonſtratione, præſertim ſi anteriora in Philoſophia practica animo comprehenſa tenet, per quæ ſine difficultate, non tamen ſine ambagibus demonſtrantur. Non piget ſubinde talia moneri, ne ſcioli ad taxandum aliena proni, ad dandum meliora impotentes, defectui acuminis tribuant, quod alia longe de cauſa ſine ſcientiæ detrimento a nobis ſumitur & quod recte ſumi poſſe non diffitentur æqui ac periti rerum æſtimatores. Quodſi quis objiciat, ſi quis jocos ad erudiendum ac emendandum alios componit, iiſdem ſeria miſceri, conſequenter jocos fieri licitos, quatenus ſerii quidpiam admixtum habent; objectionem totam facile concedimus: neque enim ea ullum affert præjudicium veritati propoſitionis præſentis.

§. 302.

Si jocis nihil inſit, quod officio cuidam repugnet, voluptas tranſitoria, quæ ex iis percipitur, innocua eſt. Etenim ſi jocis nihil inſit, quod officio cuidam repugnet; nihil ipſis ineſt, quod legi naturæ adverſetur (§. 225. *part.* 1. *Jur. nat.*), *Quando voluptas ex jocis percepta innocua ſit.* conſequenter quod ad imperfectionem jocantis aliorumque tendat (§. 152. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem nec metuendum, ne aliquando ex iſtis jocis tædium percipiatur, vel ex iis ſequatur quidpiam, ex quo tædium percipitur (§. 518. *Pſych. empir.*); conſequenter ne voluptas ex illis percepta vel in tædium degeneret, vel tædium pariat (§. 383. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque voluptas innocua eſt, quæ nec in tædium degenerat, nec tædium parit (§. 384. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); innocua eſt, ſiquidem jocis nihil inſit, quod officio cuidam repugnet.

Digitized by Google

Propoſitio præſens latius patet, quam duæ præcedentes: ſi enim jocis nil inſit, quod officio cuidam repugnet, nondum ad erudiendum vel emendandum alios compoſiti ſunt; quando vero poſterius obtinet, iis ineſſe nequit; quod cum officio quodam pugnat. In caſu itaque eſcio iam poſteriori voluptas, quæ ex joco qua tali percipitur, innocua eſt.

§. 303.

Quando animi recreandi gratia jocari liceat. *Si jocis nihil inſit, quod officio cuidam repugnet; ſolius voluptatis percipiendæ gratia jocari licet.* Quodſi enim jocis nihil inſit, quod officio cuidam repugnet, voluptas tranſitoria, quæ ex iis percipitur, innocua eſt (§. 302.). Licita vero eſt voluptas tranſitoria, ſi fuerit innocua (§. 287. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem ſolius voluptatis percipiendæ gratia jocari licet, ſi jocis nihil inſit, quod officio cuidam repugnet.

Qui propoſitionem præſentem admittere non valet, voluptatem tranſitoriam omnem ſimpliciter damnare debet: quod etſi faciant nimis auſteri quidam morum cenſores, id tamen aſſeruns non modo ſine ratione ſufficiente, ſed etiam contra rationem, cum contrarium demonſtraverimus (§. 285. & ſeqq. *part. 1. Jur. nat.*). *Joci honeſti* (ita nimirum appellare lubet eos, qui liberi ſunt a pugna cum officio quodam ſive erga Deum, ſive erga alios, ſive etiam erga ſeipſum) placent, quatenus ingenioſi ſunt. Cum igitur operam dare debeamus, ut ingenium perficiatur (§. 252. *part. 1. Jur. nat.*); jocis ingenioſis animum delectare licet, ſi fuerint honeſti. Delectant equidem joca etiam obſcœna libidinoſos, ſi fuerint ingenioſi, quatenus ingenioſi ſunt, immo etiam a libidine alienos, modo non ſint caſtitatis tenaces. Enimvero cum joci iſti illiciti ſint (§. 289.); nec voluptatis percipiendæ gratia iiſdem utendum: neque enim quod illicitum eſt ſine licito, licitum effici poteſt.

§. 304.

Per jocum dicta aut facta num in ſerium convertere liceat. *Quæ per jocum dicuntur aut fiunt, in ſerium non convertenda.* Quæ enim per jocum dicuntur aut fiunt, ea cum animi noſtri ſententia non conveniunt, nec quod conveniant, ab aliis credi volumus (§. 285. 287.). Quamobrem a vero aberrat, qui ea cum animi noſtri ſententia convenire judicat, adeoque tribuit actionem, quæ nobis tribuenda non eſt, conſequenter nobis imputat, quæ imputanda non ſunt (§. 527. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque hoc facit, qui per jocum dicta aut facta in ſerium convertit (§. 285.); quæ per jocum dicuntur aut fiunt, in ſerium convertenda non ſunt.

Idem etiam indirecte oſtenditur hoc modo. Ponamus licitum eſſe, ut per jocum dicta aut facta in ſerium convertantur. Quoniam joci animi tantummodo ac temporis fallendi gratia fiunt (§. 288.), per jocum haud raro dicuntur ac fiunt, quæ ſi ſerio dicerentur aut fierent, alterum offenderent aut læderent. Quodſi ergo is per jocum dicta & facta in ſerium convertit, ab altero ſe offenſum aut læſum fuiſſe putabit, qui eum offendere aut lædere noluit. Immo in genere patet, quod ipſi tribuat a mente ipſius prorſus aliena, conſequenter quod in utroque caſu erret (§. 506. 623. *Log.*). Quoniam itaque errorem omnem evitare debemus, quem evitari poſſibile eſt (§. 707. *part. 1. Jur. nat.*); quod per jocum dicitur aut fit, in ſerium convertendum non eſt.

Malitia intrinſeca converſionis joci in ſerium clarius eluceſcit exiis, quæ ex ea conſequuntur tum reſpectu jocantis, tum reſpectu eorum, qui ſe offenſos, vel læſos putant. Sed hæc ſpectant ad motiva in Philoſophia morali expendenda. Sufficit hic demonſtraſſe, quod converſio joci in ſeria æquitati repugnet.

§. 305.

Qualia eſſe debeant no- *Ad vera de aliorum dictis & factis judicia ferenda obligamur.* Ponamus enim nos non obligari ad vera de aliorum dictis & factis judicia ferenda. Nil igitur obſtat,

obſtat, quo minus falſa de iis judicia feramus, conſequenter de aliorum dictis & factis judicando errare licet (§.623. *Log.*), adeoque lege naturali non obligamur ad errorem omnem evitatu poſſibilem evitandum. Quod cum ſit abſurdum (§.707. *part.* 1. *Jur. nat.*); ad vera de aliorum dictis & factis judicia ferenda obligamur.

ſtra de aliorum dictis & factis judicia.

Lubet occaſione ita ferente in genere demonſtrare, erronea de aliorum dictis & factis judicia lege naturali eſſe prohibita, cum hoc principium uſui nobis futurum ſit in aliis demonſtrandis.

§. 306.

A jocis & ludis quando ſimpliciter abſtinendum.

Quaudo ſeria agenda ſunt, a jocis & ludis abſtinendum, ſeu jocari & ludere non licet. Quando enim ſeria agenda ſunt, urgens quædam ratio adeſt, cur ea agamus (§.285.), conſequenter moraliter neceſſe eſt ut ea agamus, adeoque ad ea agenda obligamur (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero jocorum & ludorum nulla datur ratio urgens, ſed tam hi, quam iſti tantummodo animi ac temporis fallendi gratia fiunt (§.228.). Quamobrem ſi vel maxime joci ac ludi non illiciti ſint, cum tamen lex permiſſiva cedat præceptivæ (§.211. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque licitum debito (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); jocandum vel ludendum non eſt, quando ſeria agenda ſunt.

Joci & ludi in ſe illiciti nullo tempore fieri debent. Quamobrem quando quæritur, num jocari aut ludere liceat eo tempore, quo ſeria agenda ſunt, tacite ſupponitur, jocos & ludos licitos eſſe, conſequenter nonniſi de licitis intelligenda propoſitio. In caſu tamen particulari, in quo propoſitio præſens applicanda, non opus eſt ut diſquiramus, utrum jocus, vel ludus aliquis licitus ſit, nec ne, eum ad eum arcendum ſufficiat tempus jocandi & ludendi parum juſtum: vi enim propoſitionis præſentis tempus juſtum non eſt, niſi quo a ſeriis vacat.

§. 307.

Finis ludorum ultimus.

Iu ludo perfectio ſui aliorumque directe iuteudi debet. Etenim homo in omnibus ſuis actionibus perfectionem ſui aliorumque directe intendere debet (§. 30. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem eandem intendere etiam directe debet in ludo.

Finis nimirum ultimus omnium actionum humanarum (§. 28. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), ultimus quoque ludorum finis eſſe debet. Ex fine autem æſtimanda eſt moralitas ludorum, quemadmodum jocorum (§. 301.).

§. 308.

Quales ludi eſſe debeant.

Quoniam in ludo perfectio ſui aliorumque directe intendi debet (§. 307.); *ludi componendi ſunt ad perficiendum, facultates auimæ, vel corpus, veluti ad facilitandum uſum facultatum animæ, ad exercendum corpus motu ſanitati conducibili, ad augendum robur corporis.*

Vi hujus principii facile definitur, quinam ludi officiis hominum naturalibus conveniant, qui minime conveniant. Unde porro patet, quomodo ludi liciti a non licitis ſeparentur.

§. 309.

Quinam ludi liciti ſint.

Ludi ad perficiendum facultates animæ, vel corpus compoſiti liciti ſunt. Etenim natura homo habet jus ad ea, quæ ad conſequendum uſum facultatum ſuarum faciunt (§. 208. *part.* 1. *Jur. nat.*), cumque operam dare debeamus, ut eam con-

ſequa-

ſequamur corporis perfectionem, quam conſequi in poteſtate noſtra poſitum (§. 180. *part. 1. Jur. nat.*), ad ea quoque nobis jus eſt, quæ ad perficiendum corpus faciunt. Quamobrem ſi ludi faciant ad facultates animæ, vel corpus perficiendum, jus quoque nobis eſt ludendi. Quoniam itaque licitum eſt, ad quod jus habemus (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ludi etiam ad perficiendum facultates animæ, vel corpus compoſiti liciti ſunt.

Vi hujus principii demonſtratu haud difficile erit, num quis ludus ſit licitus, an vero illicitus, ut adeo opus non ſit ad particularia deſcendere. In genere hic tantummodo agitur de moralitate ludorum; non vero in ſpecie diſquiritur, quinam ludi ab honeſtate non ſint remoti.

§. 310.

Quando ſolius animi gratia recte fiant.

Si ludis nihil inſit, quod officio cuidam repugnet, voluptas, quæ ex iis percipitur, tranſitoria innocua eſt & hujus ſolius percipiendæ gratia ludere licet. Utrumque oſtenditur eodem modo, quo ſupra idem de jocis demonſtravimus (§. 302. 303.).

Quodſi demonſtrationes ſuperiores ad animum revoces, haud difficulter perſpicies in iis non ſumi, niſi quod joci non repugnent officio cuidam naturali, & tacite ſupponi, quod non ſint actus naturaliter præcepti. Mirum adeo non eſt, quod ad ludos etiam applicari poſſint. Immo patet, eas quoque applicari poſſe ad quoſvis actus alios lege naturali non præſcriptos, nec cum ullo officio pugnantes.

§. 311.

An temere ludendum.

Ludi, qui temere fiunt, illiciti ſunt. Nihil enim temere faciendum (§. 278.). Ergo nec temere ludendum.

Inde eſt, quod ludi honeſtentur fine (§. 308. 310.). Ceterum quæ de jocis non temerariis annotavimus (*not.* §. 290.), ea de ludis quoque non temerariis tenenda ſunt. Quis voluptas tranſitoria innocua licita; eam intendere licet tanquam finem ad augendam felicitatem (§. 286. *part. 1. Jur. nat.*), ad quam conſequendam obligamur (§. 280. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 312.

Joci decori liciti, indecori illiciti.

Omnis jocus decorus eſſe debet; ab omni autem indecoro abſtinendum. Etenim lex naturæ nos obligat ad actionem decoram indecoræ præferendam, etſi utraque in ſe ſpectata indifferens ſit (§. 203. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter ab indecora abſtinendum. Quamobrem jocus quoque omnis decorus eſſe debet, ab omni autem indecoro abſtinendum.

Quinam jocus ſit decorus, quinam indecorus, ex notione decori & indecori dijudicandum (§. 194. 195. *part. 1. Philoſ. pract. univ.*). Jocus indecorus eſt, qui te non decet, ſed dedecet. Quamobrem ſi ingenere te dedecet jocari, jocandum non eſt, quodque aliis licitum tibi licitum non eſt. Jocatores frequentiſſime peccant contra decorum, ut vel hoc nomine moleſti ſint joci iis, qui decori ſunt tenaces. Qui pueris conveniunt joci, ii non decent viros graves & ſenes. In illis non reprehenduntur, in his tamen improbantur & atro carbone notantur. Quoniam ad particularia non deſcendimus, nec noſtrum eſt docere, quinam joci decoris, quinam indecoris annumerandi ſint, & quænam circumſtantiæ eoſdem jocos efficiant decoros ac indecoros. Spectari etiam poteſt decorum in ludis, quod ſpectandum eſſe in omnibus omnino hominum actionibus alibi jam monuimus (*not.* §. 194. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero cum de ludis jam tantummodo agamus, quatenus jocis affines ſunt, adeoque occaſione jocorum, qui verbis potiſſimum fiunt; tanto minus quis a nobis hic expectabit particularem de decoro in ludis obſervando diſquiſitionem. Immo patebit ex aliis alio loco dicendis nondum omnia, quæ de ludis ſcienda ſunt, hoc loco demonſtrari poſſe. Ceterum

nemo

nemini offendetur; quod de officiis circa ſermonem agentes de ludis tradamus ea, quæ cum jocis fere communia ſunt. Ibi enim ſingula tradimus, ubi commode intelligi, demonſtrari ac memoriæ tenacius, ſed leviori opera infigi poſſunt. Si quibus hoc diſplicet, illi ſuum teneant morem; nos autem noſtra frui libertate patiantur.

§. 313.

Quoniam a jocis indecoris abſtinendum (§. 312.), joci autem indecori ſunt, qui dedecent jocantem (§. 195. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *unusquiſque ab iis abſtinere debet jocis, qui ipſum a dedecent.* *Obligatio particularis a jocis abſtinendi.*

Non omnes idem dedecet, nec idem decet omnes. Etenim ratio decori petitur ab iis, quæ homini aut ſtatui ejus externo inſunt, aut illi ineſſe debent (§. 194. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Sed ſtatus hominum tam phyſicus, quam moralis non idem eſt, nec omnes eandem ſuſtinent perſonam moralem. Quamobrem nec eadem decori ratio penes omnes deprehenditur. Quoniam itaque decorum non ponitur niſi poſita ejus ratione ſufficiente (§. 118. *Ontol.*), quid mirum, ſi quod uni decorum eſt, id alteri indecorum cenſeatur, ſeu ſi quod unum decet, idem dedeceat alterum? Ita ſunt quæ dedecent viros, non autem fœminas; quæ ſenes dedecent, non juvenes aut pueros; quæ clericum dedecent, non laicum; quæ eruditum, non vulgus imperitum; quæ Profeſſorem, non ſtudioſum; quæ virum dignitate eminentem, non vero eum qui nulla dignitate ſupra alios eminet. Doctrina decori ampliſſima eſt, ſed hactenus ad ſcientiæ normam non exacta. Quando itaque accuratius diſcuſſum fuerit, quomodo decorum ſpectandum ſit in omnibus actionibus pro diverſo agentium ſtatu; nullo etiam negotio conſtabit, quinam joci hunc vel illum dedeceant, quinam deceant.

CAPUT III.

De Sinceritate, ſimulatione & Diſſimulatione.

§. 314.

S*Incerus* dicitur, cujus actiones externæ cum internis conſentiunt. Unde *ſinceritas animi* eſt habitus actiones externas internis conformandi. *Sinceritas animi quid ſit.*

De actione ſincera jam egimus in Philoſophia practica univerſali (§. 714. 715. *part.* 2.), atque ibidem docuimus, quomodo conſenſus actionis externæ cum interna agnoſcatur, ut adeo ibidem dicta hic repetere ſuperfluum ſit. Quoniam non minus malæ, quam bonæ actiones hominis cum internis conſentire poſſunt, ideo ſinceritas ſpectatur non minus in malis, quam bonis hominum actionibus, adeoque ſinceritas animi non ſemper ad virtutem refertur, cum etiam cum vitio conſiſtere poſſit, quamvis quando de ſinceritate animi loquimur, vulgo magis ad virtutem, quam ad vitium animum attendamus.

§. 315.

Qui ſincere loquitur, non modo moraliter verum loquitur; verum etiam nihil reticet veri, quod de ea re, de qua loquitur, ſibi notum eſt. Cum enim actio ſincera externa cum interna conſentiat (§. 714. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), qui ſincere loquitur, ejus verba cum cogitationibus ſuis conſentiunt, ſeu conveniunt. Enimvero moraliter verum is loquitur, cujus verba cum cogitationibus ſuis conveniunt (§. 150.). Quamobrem qui ſincere loquitur moraliter verum loquitur. *Quod erat unum.* *Quando ſincere loquamur.*

Porro ſi ſincere loquaris, in cogitationibus tuis ea de re, de qua loqueris, nihil occurrere debet, quod non verbis ſignificetur (§. 715. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque nihil veri reticet, qui verbis ſignificat, quicquid ea de re, de qua loquitur novit; qui ſincere loquitur, nihil veri reticet, quod de ea re, de qua loquitur, ſibi notum eſt. *Quod erat alterum.*

Hinc

Hinc quando alteri ſignificare volumus, nos ſincere loqui, patrio ſermone dicere ſolemus, ich ſage dir alles aufrichtig / wie ich es meine / und verheele dir nichts / hoc eſt, ſincere tibi dico omnem animi mei ſententiam, nec quicquam reticeo. Patet adeo ſincere loqui latius patere; quam moraliter verum loqui. Sermo ſincerus nimirum præter moraliter verum etiam complectitur non reticentiam veri, aut, ſi mavis, cum ſit moraliter verus etiam liber eſt ab omni diſſimulatione (§. 716. *part. 2. Phil. pract. univ.*).

§. 316.

Sinceritas a quanam re ſit aliena.

Sinceritas omnem excludit ſimulationem & diſſimulationem. Sinceritas enim requirit conſenſum actionis externæ cum internis (§. 314.), adeoque ab internis diſſentire nequit, nec in internis occurrere poteſt, quod contrarietur externæ quomodocunque, neque etiam in externis ad eandem compoſitam referendis ulla locum habet contrarietas (§. 715. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque diſſenſus actionis externæ ab interna ſimulatio eſt (§. 716. *part. 2. Phil. pract. univ.*), & occultatio actionis ſive externæ, ſive internæ quomodocunque factæ diſſimulatio eſt (§. 717. *part. 2. Phil. pract. univ.*); ſinceritas omnem excludit ſimulationem & diſſimulationem.

Propoſitio præſens præcedentem quodammodo continet. Quatenus enim qui ſincere loquitur, verum loquitur, a ſimulatione liber eſt; quatenus vero nihil veri reticet ſibi ea de re noti, a diſſimulatione alienus eſt. Poteramus ſinceritatem animi definire per hoc, quod liberi ſimus a ſimulatione & diſſimulatione. Nimirum tam ſimulatio, quam diſſimulatio opponitur ſinceritati, illa quidem quoad actum inprimis poſitivum, hæc vero quoad actum negativum. Simulatio non conſiſtit cum ſinceritate, quatenus non faciendum, quod eidem contrariatur; diſſimulatio excluditur, quatenus non omittendum, quod eidem non adverſatur.

§. 317.

Quænam actiones hominis ſinceræ eſſe debeant.

Actiones hominis poſitivæ, ad quas committendas obligatur, & privativæ, quas omittere tenetur, ſinceræ eſſe debent. Homo enim operam dare tenetur, ut conſtans ipſi ac perpetua ſit voluntas non committendi actiones niſi quæ legi naturæ conformes ſunt (§. 279. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum perpetua ſit voluntas, quando in omni caſu committere volumus actionem legi naturæ conformem, conſtans vero, ſi ea in dato caſu non mutatur, adeoque ſi nullo modo a propoſito committendi actionem legi naturæ conformem nos diverti patiamur (§. 1062. *part. 1. Theol. nat.*); qui actionem legi naturæ conformem committit, is etiam velle eam committere, quia novit eam eſſe legi naturæ conformem, nec pati debet, ut ab hoc propoſito abſtrahatur, quia novit eam eſſe legi naturæ convenientem. Et quoniam homo ad virtutem omnem colendam obligatur (§. 278. *part. 1. Jur. nat.*), virtuti autem deditus actiones legi naturæ conformes committit ob earundem bonitatem intrinſecam (§. 336. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & ut ſatisfaciat voluntati divinæ (§. 342. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui actionem legi naturæ conformem committit, is earundem bonitatem intrinſecam & convenientiam cum voluntate divina agnoſcere tenetur. Quamobrem in actibus animæ ſeu actione intrinſeca nihil deprehendi debet, quod ullo modo contrarietur actioni externæ, ſed omnes potius actus interni in determinationem actionis externæ influere debent, conſequenter neceſſe eſt, ut externa actio cum interna conſentiat (§. 714. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Enimvero ſincera eſt actio externa, quæ cum interna conſentit (§. *cit.*). Hominis igitur actiones poſitivæ, ad quas committendas obligatur, ſinceræ eſſe debent. *Quod erat unum.*

Homo etiam operam dare tenetur, ut ipſi ſit conſtans & perpetua noluntas committendi actiones legi naturæ contrarias (§. 279. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum noluntas eodem ſenſu conſtans ac perpetua dicatur, quo voluntas, adeoque perpetua ſit, ſi in omni caſu committere nolimus actionem legi natu-

ræ

Digitized by Google

ræ contrariam, conſtans vero, ſi in dato caſu ad actionem legi naturæ contrariam committendam nullo modo nos adduci patiamur (§. 1062. *part.* 1. *Theol. nat.*); qui actionem legi naturæ contrariam non committit, is etiam eam non committere nolle debet, quia novit eam eſſe legi naturæ contrariam, nec pati debet, ut ullo modo ad eam committendam adducatur, quia novit eam eſſe legi naturæ adverſam. Et quia homo obligatur ad virtutem omnem colendam (§. 278. *part.* 1. *Jur. nat.*), virtute autem præditus actiones legi naturæ difformes omittit ob earundem malitiam intrinſecam, ſeu quia intrinſece malas (§. 336. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & ut ſatisfaciat voluntati divinæ (§. 342. *part* 1. *Phil. pract. univ.*); qui actionem legi naturæ contrariam omittit, is earundem malitiam intrinſecam & pugnam cum voluntate divina agnoſcere debet. Neceſſe igitur eſt, ut in actibus animæ ſeu actione intrinſeca nihil deprehendatur, quod privativæ externæ ullo modo contrarietur, ſed omnes potius actus interni in determinationem actionis externæ influant, conſequenter ut actio externa privativa cum interna conſentiat (§. 714. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Enimvero actio externa ſincera eſt, quæ cum interna conſentit (§. *cit.*). Hominis igitur actiones privativæ, ad quas omittendas obligatur, ſinceræ eſſe debent. *Quod erat alterum.*

Loquimur hic de ſinceritate perfecta, in qua nihil deſideratur: talem enim urget lex naturæ, quemadmodum ex demonſtratione intelligitur. Ad ſinceritatem hanc requiritur plenus conſenſus actionis externæ atque internæ, nec ſufficit minus plenus: ſit ita quod non omnem defectum ob infirmitatem humanam imputemus, & ob eundem ſinceritatem animi denegemus ei, in cujus actione interna adhuc occurrit actus quidam animæ, qui externæ quodammodo contrariatur. Quemadmodum virtus omnimode perfecta vix cadit in hominem; ita quoque ſinceritas omnibus numeris abſoluta in eodem vix deprehenditur.

§. 318.

Qui virtuoſus eſt ſincerus eſt, ſeu *ſinceritas animi a virtute ſejungi nequit*. Qui enim virtuoſus eſt, ei conſtans & perpetua eſt voluntas non committendi actiones, niſi quæ legi naturæ conformes (§. 328. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter omittendi legi naturæ contrarias, neque idem committit illas, haſce vero omittit, quam quod illæ intrinſece bonæ, hæ autem intrinſece malæ (§. 336. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & ut quoad utraſque ſatisfaciat voluntati divinæ (§. 342. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Patet igitur ut in propoſitione præcedente actionem externam cum interna conſentire, adeoque virtuoſum illam huic conformare. Sincerus vero eſt, cujus actiones externæ cum interna conſentiunt, & ſinceritate animi gaudet, qui pollet habitu actiones externas internis conformandi (§. 314.). Qui itaque virtuoſus eſt, idem ſincerus eſt, nec ſinceritas animi a virtute ſejungi poteſt. *Indivulſus nexus virtutis & ſinceritatis animi.*

Sinceritas adeo animi cum virtute indivulſo nexu cohæret, ita ut nec virtuoſus eſſe poſſit, qui ſincerus non eſt. Non tamen a ſinceritate ad virtutem valet conſequentia, cum ſinceritas etiam locum habeat in actionibus vitioſis.

§. 319.

Virtutem ſimulare non licet. Quando enim ſimulamus virtutem, cum in ſimulatione actiones externæ ab internis diſſentiant (§. 716. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), & actio ex virtute procedens ſit legi naturali conformis (§. 321. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); actiones externæ, verba ſcilicet & facta, legi naturæ conformes ſunt, actiones vero internæ eidem contrariantur. Enimvero omnem facere tenemur facultatum noſtrarum uſum, qui ad ſervandam legem naturæ requiritur (§. 172. *part.* 1. *Jur. nat.*), adeoque actus non minus animæ, quam actiones externæ legi naturæ conformes eſſe debent. Virtutem adeo ſimulare non licet. *Simulatio virtutis prohibita.*

Idem etiam oſtenditur hoc modo. Quoniam in ſimulatione actio externa ab interna diſſentit (§. 716. *part. 2. Phil. pract. univ.*), & ad virtutem requiritur conſtans & perpetua voluntas non committendi actiones, niſi quæ legi naturæ conformes ſunt (§. 328. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui virtutem ſimulat, conſtante illa ac perpetua voluntate deſtituitur, conſequenter virtuoſus non eſt. Enimvero ad virtutem omnem colendam obligamur (§. 278. *part. 1. Jur. nat.*). Eam igitur ſimulare non debemus (§. 722. *part. 1. Jur nat.*).

Oſtenditur quoque hoc modo. Virtuti deditus omnem adhibet curam, ut actio quælibet recta ſit (§. 334. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter ut actio externa quælibet cum internis animæ actibus conſentiat (§. 80. *part. 1.* & §. 714. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque hanc curam minime adhibet, qui virtutem ſimulat (§. 716. *part. 2. Phil. pract. univ.*); qui virtutem ſimulat, virtuoſus non eſt. Patet adeo ut ante, quod virtutem ſimulare non liceat.

Immo etiam ſequentem in modum demonſtratur. Sinceritas animi a virtute ſejungi nequit (§. 318.). Quoniam vero ſinceritas excludit omnem ſimulationem (§. 316.); qui virtutem ſimulat, ſinceritate animi deſtituitur. Quamobrem & virtute deſtituitur. Atque adeo denuo eodem, quo ante, modo patet, quod virtutem ſimulare illicitum ſit.

Virtus ab omni ſimulatione quam longiſſime remota eſt: id ſignificatur, quando vulgo dicitur, eam eſſe ſine omni fuco. Quamobrem non piguit propoſitionem præſentem pluribus modis demonſtrare, quia ſic multo rectius intelligitur, cur ſimulatio virtutis ſit naturaliter turpis, & quomodo virtus ab omni fuco purificetur. Facit huc inprimis, ut probe expendantur, quæ de rectitudine actionis demonſtrantur (§. 80. & *ſeqq. part. 1. Phil. pract. univerſ.*), & quid ſit conſtans illa & perpetua voluntas, quæ ad virtutem requiritur (§. 328. *part. 1. Philoſ. pract. univ.*).

§. 320.

Pietas philoſophica num ſit virtus.

Pietas philoſophica virtus eſt. Eſt enim habitus conformandi actiones legi naturæ vi motivorum ab attributis divinis & providentia divina deſumtorum, quatenus lumine rationis innotuerunt (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque homo per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam obligatur ad determinandum actiones liberas per motiva ab attributis divinis deſumta (§. 251. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & ad non omittendum motiva ab attributis divinis deſumta in determinatione actionum liberarum (§. 252. *part. 1. Phil. pract. univ.*); pietas philoſophica habitus eſt actiones ſuas legi naturali conformiter dirigendi. Habitus hic virtus eſt (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Pietas igitur philoſophica virtus eſt.

Poteramus ſumere ſine probatione, pietatem philoſophicam eſſe virtutem, propterea quod conceditur ab iis, qui principia Philoſophiæ practicæ univerſalis familiaria ſibi experiuntur. Enimvero cum non concedatur, niſi quatenus principia iſta, ad quæ provocavimus in demonſtratione, confuſe percepta animo obverſantur; conſultius viſum fuit in gratiam eorum, qui confuſe percepta ad notiones diſtinctas revocare nequeunt, demonſtrationem apponi, præſertim cum non deſint, qui pietatem philoſophicam ex virtutum numero excludere audent.

§. 321.

Simulatio pietatis naturali lege prohibita.

Quoniam virtutem ſimulare non licet (§. 319.), pietas autem philoſophica virtus eſt (§. 320.), *nec pietatem philoſophicam ſimulare licet.*

Pietatem ſimulat, qui ſe egeno eleemoſynam dare dicit, ut ſatisfaciat voluntati divinæ, cum tamen non aliud ipſi motivum ſit dandi eleemoſynam, quam ut laudetur ab hominibus pietatis amantibus. Et in genere pietatem ſimulat, in cujus ore perpetuo eſt obedientia Deo præſtanda; qui tamen actionum ſuarum determinandarum motiva ab utilitate & laude ſibi

iti-

tribuenda ab aliis deſumit. Intelligitur hinc, multos pietatem ſimulere, qui pios ſe eſſe putant. Non igitur inconſultum eſt demonſtrationes de virtute non ſimulanda in ſpecie ad pietatem applicare, cum inde clarius pateſcat, quandonem pietas tantummodo ſimuletur. Sed quomodo virtus quælibet omni fuco liberetur, ſuo docebitur loco in Philoſophia morali.

§. 322.

Habitus virtutem ſimulandi vitium eſt. Virtutem enim ſimulare non licet (§. 319.), conſequenter habitus hoc faciendi legi naturæ contrarius (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Sed iſtiuſmodi habitus vitium eſt (§. 322. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ergo habitus virtutem ſimulandi vitium eſt. *Virtutem ſimulare num ſit vitium.*

Eodem modo patet, pietatem ſimulare vitium eſſe, ut adeo opus non ſit idem ſeorſim demonſtrare.

§. 323.

Hypocrita dicitur, qui virtutem moralem, inprimis pietatem ſimulat. Unde *Hypocriſis* vitium eſt, quo virtutem moralem, ac inprimis pietatem ſimulamus. *Hypocriſis quid ſit.*

Demonſtrevimus habitum ſimulandi virtutem eſſe vitium, monuimus quoque, pietatem ſimulare vitium eſſe (§. 322.). Quoniam itaque hic habitus peculiare quoddam vitium eſt, peculiare quoque meretur nomen. Enimvero in ſenſu eccleſiaſtico hypocrita eſt, qui pietatem ſimulat, & fucata pietes hypocriſis appellatur. Nil igitur obſtat, quo minus terminum eundem in philoſophiam interamus.

§. 324.

Hypocritam agere non licet, ſed omnis danda opera, ut ab omni hypocriſi ſimus alieni. Etenim virtutem ſimulare non licet (§. 319.), nec pietatem ſimulare licet (§. 321.). Quamobrem cum hypocrita ſimulet virtutem moralem, ac inprimis pietatem, & hypocriſis habitus ſit virtutem moralem ac inprimis pietatem ſimulandi (§. 323.); hypocritam agere non licet, conſequenter danda opera, ut ab omni hypocriſi ſimus alieni. *Hypocriſis illicita.*

Patet edeo philoſophiam noſtram non probare, multo minus commendare hypocriſin, quemadmodum calumniantur, qui inimico in nos ſunt animo. Hypocriſin nimirum illicitam eſſe ex principiis philoſophiæ noſtræ demonſtratur in eodem ſenſu, quo vocabulum accipitur a Theologis.

§. 325.

Vitium ſimulare non licet. Cum enim vitium ſit habitus actiones legi naturæ contrarias committendi (§. 322. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ſimulantis vero actio externa ab interna diſſentit (§. 716. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*); qui vitium ſimulat, ejus actio externa legi naturæ contraria eſt, conſequenter aliquid facit, vel dicit, quod legi naturæ adverſatur, etiam ſi habeat animum legi naturæ conformem, adeoque ab actione iſta alienum. Enimvero obligatio, quæ a lege naturæ venit immutabilis eſt (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque nulla de cauſa facere, vel dicere licet, quod legi naturæ contrariatur. Quamobrem vitium ſimulare non licet. *An vitium ſimulare liceat.*

Quod homines vitia ſubinde ſimulent, experientia dudum comprobatum. Nec ignoræ ſunt rationes, cur hoc faciant. Aut favorem eorum captant, qui vitio quodam delectantur, aut ab odio eorundem ſibi metuunt. Quomodo vitia ſimulentur & qua de cauſa id fiat, in Philoſophia morali diſertius inculcandum. Sufficit hic notaſſe, ad hanc ſimulationem ſemper requiri

actum quendam ſive poſitivum, ſive negativum, qui legi naturæ adverſatur, atque adeo ex vitio procedere ſolet. Quodſi enim facias vel dicas quidpiam, unde alter colligit te quid facere velle, quod legi naturæ repugnat, cum tamen habeas animum ab ea actione alienum; tum vitium ſimulare dicendus non es. Idololatria cum ſit lege naturali prohibita (§. 1262. *part.* 1. *Jur. natur.*), vitium eſt (§. 322. *part.* 1. *Philoſ. practic. univerſal.*). Non licet ſimulare idololatriam, ut cultui idololatrico interſis & cum idololatris paria facias, etiamſi animum habeas ab eo alienum, utilitatis cujuſdam obtinendæ, vel damni cujuſdam evitandi gratia. Patet hoc unico exemplo, quomodo vitium ſimuletur, ſimulque inde perſpicitur, quod præſens propoſitio ſit principium fœcundiſſimum: ſufficit enim ad innumeras ſimulationes illicitas arcendum, quas in caſu particulari pro licitis habent multi.

§. 326.

Quænam actiones non ferant obligationem.

Nec actio poſitiva, ad quam committendam obligamur, nec negativa ſeu privativa, ad quam omittendam obligamur, ſimulationem admittit. Etenim actiones hominis poſitivæ, ad quas committendas obligatur, & privativæ, ad quas omittendas obligatur, ſinceræ eſſe debent (§. 317.), adeoque neceſſe eſt, ut actio externa cum interna conſentiat (§. 714. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), conſequenter ab hac diſſentire nequit (§. 28. *Ontol.*). Enimvero ſi actio externa ab interna non diſſentit, ſimulatio abeſt (§. 716. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Ergo tam ab actione poſitiva, ad quam committendam obligamur, quam a privativa, ad quam omittendam obligamur, ſimulatio abeſſe debet, conſequenter utraque ſimulationem non admittit.

Oſtendi etiam poteſt hoc modo. Ponamus nos ſimulando committere poſſe actionem, ad quam committendam lege naturali obligamur: cum actio legi naturæ conformis ſit ea, quæ virtuti propria (§. 321. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), virtutem ſimulare licet. Similiter ponamus nos ſimulando committere poſſe actionem, ad quam omittendam lege naturali obligamur: cum actio legi naturæ contraria ſit ea, quæ vitio propria (§. 322. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), vitium ſimulare licet. Non abſimili modo patet, nos vitium ſimulare, ſi ſimulando omittatur actio, ad quam committendam lege naturali obligamur; virtutem ſimulare, ſi ſimulando omittamus actionem, ad quam omittendam lege naturali obligamur. Quoniam itaque nec virtutem (§. 319.), nec vitium ſimulare licet (§. 325.); nec actio poſitiva, ad quam committendam obligamur, nec privativa, ad quam omittendam obligamur, ſimulationem admittit.

Ex demonſtratione priori liquet, propoſitionem præſentem independenter ab iis, quibus ſimulatio virtutis ac vitii reprobatur, demonſtrari poſſe. Quodſi ergo demonſtrationem poſteriorem perpendas, illico conſtabit, potuiſſe quoque ex præſente propoſitione demonſtrari, quod nec virtutem, nec vitium ſimulare liceat. Cum nobis propoſitum ſit lectori attento oſtendere, quomodo methodo ſcientifica ſit utendum, talia ſubinde moneri non inconſultum ducimus, quæ attentionem ejus ad eandem provocant.

§. 327.

Simulatio qualis ſit.

In ſimulatione actio externa præ ſe fert animum ab eo, quem agens habet, prorſus diverſum. Etenim in ſimulatione actio externa ab interna diſſentit (§. 716. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*); adeoque voluntati ac intentioni, conſequenter & perceptionibus ac judicio, unde ea pendet, contrariatur, prouti ex definitione conſenſus actionis externæ cum interna, cui diſſenſus opponitur, colligitur (§. 714. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum animus agentis concipiatur per volitionem & intentionem atque per actus facultatis cognoſcitivæ, unde appetitiva pendet; in ſimulatione actio externa præ ſe fert animum ab eo, quem agens habet, prorſus diverſum.

Ita qui virtutem aliquam ſimulat, veluti caſtitatem, præ ſe fert amorem virtutis, cum amet vitium. Similiter ſi hoſtis fugam ſimulat, nolle videtur prælium inire, quaſi viribus ſuis diffidat; cum tamen ipſi ſit animus prælium committendi & hoſtem, qui cum ipſo congredi non vult, ad idem ineundum cogendi.

§. 328.

§. 328.

Intentio ſimulantis.

Quoniam in ſimulatione actio externa præ ſe fert animum ab eo, quem agens habet, prorſus diverſum (§. 327.); *ſimulator intendit, ut alius falſam concipiat de animi ſui ſenſis opinionem* (§. 506. *Log.*).

Nimirum ratio aliqua eſſe debet, cur ſimulemus. Simulamus vero aliorum gratia, adeoque aliud ſimulando non intendimus, quam ut alius falſam de animi ſententia concipiat opinionem, quamvis alia deinceps ſit ratio cur velimus, ut alter falſam de animi noſtri ſenſis opinionem concipiat, adeoque per id, quod primum intenditur, aliud porro intendatur. Ita in fuga ſimulata intenditur, ut hoſtis ſibi concipiat diffidentiam virium in fugiente; intenditur vero ulterius prælium cum ipſo ineundum.

§. 329.

Ea porro expenditur.

Quoniam *ſimulator* intendit, ut falſam de animi ſui ſenſis alius concipiat opinionem (§. 328.); *videri* idem *vult, qui non eſt, aut vult pro vero haberi, quod non eſt.*

Ita qui pietatem ſimulat; vult videri pius, cum non ſit: hoſtis fugam ſimulans videri vult viribus ſuis diffidere, cum minime diffidat: Romani a Gallis obſeſſi cum de capitolio panem in caſtra hoſtium projicerent; volebant Gallos ſibi perſuadere, quod ipſi fame non premerentur, qua tamen premebantur.

§. 330.

Fallere alterum quinam dicatur.

Fallere alterum dicitur, qui verbis vel factis alterum inducit, ut pro vero habeat, quod non eſt.

Hinc ſi falſa narras alteri, ut fidem verbis tuis habens ea habeat pro veris; fallere ipſum diceris. Similiter ſi a potu largiori abſtines eo fine, ut alter credat te eſſe temperantem & ab ebrietate abhorrere, cum tamen vitio huic ſis deditus; ipſum fallis.

§. 331.

Intentio generalis moraliter falſa loquentis & ſimulantis.

Simulator & qui moraliter falſum loquitur fallere intendit alios. Etenim ſimulator intendit, ut alius falſam concipiat de animi ſui ſenſis opinionem (§. 328.), adeoque pro vero habeat, quod non eſt. Similiter qui moraliter falſum loquitur, quod eſſe putat, non eſſe dicit & contra (§. 153.), adeoque denuo vult ab eo, cui loquitur, pro vero haberi, quod non eſt (§. 179.). Enimvero fallit alterum, qui verbis vel factis alterum inducit, ut pro vero habeat, quod non eſt (§. 330.). Quamobrem ſimulator & qui moraliter falſum loquitur fallere intendit alios.

Nemo non agnoſcit intentionem fallendi alios a ſimulatione & falſiloquio abeſſe non debere. Et hanc fallendi intentionem in falſiloquio revera adſtruximus, dum demonſtravimus moraliter falſa loquentem velle ut is, cui loquitur, pro vero habeat, quod dicit (§. 179.), conſequenter quod non eſt (§. 153.). Quoniam enim fallendi intentio & ſimulanti, & moraliter falſum loquenti communis eſt; ideo ſuperius de falſiloquio ſigillatim demonſtrare noluimus, quod ſimulationi perinde ac falſiloquio competit.

§. 332.

Definitio ſimulationis & falſiloquii.

Hinc *Simulatio* definiri poterat per factum, quo alium fallere intendimus, & viciſſim *Falſiloquium* per ſermonem quo alterum fallere intendimus. Quodſi

Quodſi quis has definitiones ſumat, ex iis demonſtrabit, quæ in definitione ſimulationis (§. 716. *part. 2. Phil. pract. univ.*), & falſiloquii ſumſimus (§. 156.), nimirum quod in ſimulatione actio externa, in falſiloquio verba a cogitationibus diſſentire debeant. Immo etiam ſine multa demonſtratione hoc aſſequimur. Etenim qui alium verbis, vel factis fallere intendit, is eum inducere vult, ut pro vero habeat, quod non eſt (§. 330.) adeoque aliter loquitur & facit, aliter cogitat, conſequenter verba & facta a cogitationibus diſſentiunt, quorum illud ad falſiloquium (§. 152. 156.), hoc ad ſimulationem requiritur (§. 716 *part. 2. Philoſ. pract. univ.*). Vides adeo perinde eſſe, ſive ſimulatio & falſiloquium per fallendi intentionem definiantur; prouti hic factum, ſive per diſſenſum ab actione interna, ſeu cogitationibus & actibus animæ, quemadmodum in anterioribus fecimus, conſequenter ſi definitiones, quas hic damus, uſui loquendi conformes ſtatim agnoſcis, illas quoque, quibus nos uſi ſumus, ab eodem non abhorrere, utpote hiſce æquipollentes.

§. 333.

Qualis ſermo ſit falſiloquium.

Falſiloquium eſt ſermo ſimulatus. Etenim falſiloquium eſt ſermo moraliter falſus (§. 156.), conſequenter cum in ſermone actus facultatum animæ, adeoque cogitationes (§. 23. *Pſych. empir.*), per vocabula ſignificentur (§. 713. *part. 2. Phil. pract. univ.*), in falſiloquio verba cum cogitationibus diſconveniunt (§. 152.). Quoniam adeo actio externa cum interna diſconvenit (§. 567. *part. 1. Theol. nat.*), ſeu ab eadem diſſentit, in hoc autem diſſenſu ſimulatio conſiſtit (§. 716. *part. 2. Phil. pract. univ.*); falſiloquium ſermo ſimulatus eſt.

Superius jam oſtendimus, qui moraliter falſum loquitur, mentem ab ea, quam habet, diverſam ſimulare (§. 178.): ſed fert etiam uſus loquendi ſaltem apud nos, ut verba moraliter, falſum loquentis dicamus ſimulata, verſtellte Worte, quamvis non ſine quadam reſtrictione, quando nempe reſpiciunt ipſum loquentem, veluti quando hypocrita, qui vult videri pius, pie loquitur, quando interrogatus num alicubi fueris negas te ibidem fuiſſe, cum ibidem fueris, vel te neſcire ais, quod ſcis. Subinde tamen ſimulatio falſiloquio accedit, ubi verba dicuntur ſimulata, veluti in exemplo hypocritæ, qui vultu, geſtu & voce, non ſolum verbis pietatem ſimulat. Enimvero propterea verba dici non debebant ſimulata, ſed ſimulantis, quia ſimulatio non ineſt ipſi ſermoni, ſed huic accedit tanquam actio ab eodem diſtincta. Ceterum nemo neſcit, autores falſiloquii cum ſimulatione agnationem agnoſcere, ut nihil paradoxi hic defendamus.

§. 334.

Quid ſimuletur in falſiloquio.

Qui moraliter falſum loquitur, veritatem & quando ad animi ſui ſenſa indicanda tenetur, veracitatem ſimulat. Quoniam enim falſiloquium ſermo ſimulatus eſt (§. 333.); qui moraliter falſum loquitur, ſimulator eſt. Quamobrem cum ſimulator velit pro vero haberi, quod non eſt (§. 329.), qui vero moraliter falſum loquitur, verum dicere velit videri (§. 175.), falſum ſcilicet dicens, quod pro vero habet, & contra, vel ſe velle dicens, quod non vult, & contra (§. 152.); qui moraliter falſum loquitur, videri vult vera loqui & vult verum videri, quod falſum eſt, conſequenter veritatem &, quando ad animi ſui ſenſa indicanda tenetur, veracitatem ſimulat (§. 505. 506. *Log.* & §. 181.).

Oſtenditur etiam hoc modo. Qui moraliter falſum loquitur vult ut is, cui loquitur, pro vero habeat, quod dicit (§. 179.), & verum dicere videri vult (§. 175.). Quamobrem cum ejus verba cum cogitationibus diſconveniant, adeoque actio externa ab interna conſiſtat (§. 716. *part. 2. Phil. pract. univ.*); qui moraliter falſum loquitur, veritatem ſimulat, cumque veracitas in eo conſiſtat, quod moraliter verum loquamur, quotieſcunque alteri animi noſtri ſenſa ſignificare tenemur (§. 181.), qui moraliter falſum loquitur, quando alteri animi noſtri ſenſa ſignificare tenetur, veracitatem ſimulat.

Equidem in omni caſu, qui moraliter falſum loquitur, ſe verum loqui ſimulat; non tamen ideo ſimulat veracitatem. Veracitas virtus eſt (§. 181.), adeoque eam nunquam ſimulare licet (§. 319.): ſed cum aliquando falſiloquium licitum ſit (§. 216. 218. 222.); ſimulare licet, quod verum dicamus, etſi moraliter falſum loquamur.

§. 335.

Digitized by Google

§. 335.

Qualis ſimulatio inſit mendacio.

Qui mendax eſt, veracitatem ſimulat. Qui enim mendax eſt, moraliter falſum loquitur, quando alteri ad animi ſui ſenſa ſignificanda obligatur (§. 182.). Sed qui moraliter falſum loquitur, quando alteri ad animi ſui ſenſa ſignificanda obligatur, veracitatem ſimulat (§. 334.). Veracitatem adeo ſimulat, qui mendax eſt.

Nemo qui mentitur videri vult mendax: Mentitur enim non alio fine, quam ut alter credat verum eſſe quod dicit, conſequenter ei, cui animi ſui ſenſa ſignificare tenetur, verax vult videri. Hinc dudum dicere alii, qui dicit ſe mentiri, eum non mentiri. Quemadmodum ad omne falſiloquium, ita etiam ad mendacium (§. 182.), requiritur animus fallendi alios (§. 331.): fallere autem alterum, cui quis mentitur, nequit, niſi videri velit verax, adeoque veracitatem ſimulet. Simulatio adeo veracitatis omni mendacio ineſt, adeoque cum eodem inſ divulſo nexu cohæret.

§. 336.

Simulatio veracitatis quale ſit vitium.

Qui veracitatem ſimulat, mendax eſt. Etenim cum ſimulator videri velit, qui non eſt (§. 329.); qui veracitatem ſimulat verax videri vult, cum non ſit. Quamobrem cum verax ſit, qui moraliter verum loquitur, quando alteri ad animi ſui ſenſa indicanda obligatur (§. 181.); qui veracitatem ſimulat, videri vult moraliter verum loqui, quando alteri animi ſui ſenſa ſignificare tenetur, conſequenter moraliter verum non loquitur, ſed falſum (§. 150. 152.). Enimvero qui moraliter falſum loquitur, quando alteri animi ſui ſenſa ſignificare tenetur, mendax eſt (§. 182.). Mendax igitur eſt, qui veracitatem ſimulat.

Videmus adeo, cujuſnam vitii reus ſit, qui veracitatem ſimulat. Et per propoſitionem præſentem ac præcedentem ſimul patet, *mendacium* definiri poſſe, quod ſit ſimulator veracitatis.

§. 337.

Mendacium qualis ſit ſermo.

Mendacium eſt ſermo ſimulatus pugnans cum obligatione verum dicendi. Mendacium enim falſiloquium eſt, quod committitur quando alteri ad animi noſtri ſenſa ſignificanda obligamur (§. 182.), conſequenter quando verum loqui debemus (§. 150.). Quoniam itaque falſiloquium omne ſermo ſimulatus eſt (§. 333.), mendacium ſermo ſimulatus eſt, qui pugnat cum obligatione verum dicendi.

Propoſitio præſens pro definitione mendacii accipi poteſt. Quamobrem qui in methodo demonſtrativa vires ſuas periclitari voluerit, is ex hac mendacii definitione deducere poterit, quæ in ſuperioribus de mendacio demonſtrata ſunt. Et quoniam ad methodum exercendam inprimis prodeſt, ut alia ex aliis alio modo demonſtrentur; ideo non inutile eſt ejuſdem rei plures dare definitiones, modo ex una deducantur ceteræ, quemadmodum hic a nobis factum.

§. 338.

Quando illicita ſimulatio.

Si ſimulatio pugnat cum officio quodam erga te ipſum, vel erga alios, aut obligatione quadam contracta, qua alteri in ſingulari teneris, ſeu ſi fuerit contra jus perfectum aut imperfectum alterius; illicita eſt. Quoniam id omittendum, quod officio cuidam erga te ipſum vel erga alios, aut obligationi contractæ, qua alteri in ſingulari teneris, repugnat (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*); ſimulatio cum officio quodam erga te ipſum vel erga alios, aut obligatione quadam contracta, qua alteri in ſingulari teneris, pugnans omittenda eſt, ſeu ad eam omitten-

Digitized by Google

tendam obligamur, conſequenter illicita eſt (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *Quod erat unum.*

Quicquid eſt contra jus ſive perfectum, ſive imperfectum alterius, id nemo facere debet (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*), adeoque id illicitum eſt (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Illicita igitur etiam eſt ſimulatio, quæ eſt contra jus imperfectum, vel perfectum alterius. *Quod erat alterum.*

Oſtendimus in eodem caſu falſiloquium illicitum eſſe (§. 166.): id quod mirum non eſt, propterea quod falſiloquium eſt ſermo ſimulatus (§. 333.). Quamobrem ex præſente propoſitione inferri poterat, falſiloquium in eadem hypotheſi illicitum eſſe, niſi id ſuperius jam alia ratione demonſtraſſemus. Immo per propoſitionem præſentem demonſtrari etiam poterat, ſimulationem virtutis & vitii illicitam eſſe: id quod in ſuperioribus itidem jam aliter demonſtravimus (§. 319. 325.). Ex notione ſimulationis, quod ſcilicet conſiſtat in diſſenſu actionis externæ cum interna, deduci nequit, quod ſit illicita. Qui ergo omnem ſimulationem ſimpliciter damnant, ſumunt quod demonſtrare nequeunt. Quodſi dicas, ſimulationem omnem eſſe conjunctam cum animo fallendi alios (§. 331), adeoque eam illicitam eſſe; denuo ſumis, quod demonſtrare nequis. alios fallere, adeoque facto quodam ſuo alterum inducere, ut pro vero habeat, quod non eſt (§ 330), ſemper eſſe illicitum. Sed nec hoc demonſtrare potes. Obſtant ea, quæ de falſiloquio licito (§. 172.), & de ambiguitate in loquendo licita (§. 197. & *seqq.*) demonſtravimus, etiamſi is fallatur, cui loquimur. Qui omnem ſimulationem ſimpliciter damnant, non alias afferunt rationes, quam quæ in caſu particulari eam illicitam reddunt, per propoſitionem præſentem dijudicandas. Ita conſequentiarii urgent approbari hypocriſin, ſi aliqua ſimulatio admittatur: id quod verum non eſſe, non modo demonſtratio ſuperior (§. 324.), ſed ipſa etiam propoſitio præſens aperte loquitur. Oſtendant, ſi fieri poſſit, ſimulationem omnem, hoc eſt, diſſenſum omnem actionis externæ cum interna (§. 316. *part.* 2. *Phil. pract. univerſ.*), pugnare cum officio aliquo erga ſeipſum, vel erga alios, quemadmodum hypocriſis pugnat cum officio erga Deum, tum etiam erga ſeipſum atque alios (§. 324.), & ultro largiemur, ſimulationem omnem illicitam eſſe. Experietur autem ſe inanem operam ſumere, qui hanc demonſtrationem tentaverit. Videamus itaque, quandonam ſimulatio licita ſit.

§. 339.

Quando licita. *Si ſine ſimulatione officio cuidam erga te ipſum, vel erga alios, aut obligationi cuidam contractæ, qua alteri in ſingulari teneris, ſatisfacere nequeas; ſimulatio licita eſt.* Etenim lex naturæ nobis dat jus ad eos actus, ſine quibus obligationi noſtræ, adeoque officio cuidam erga nos metipſos vel erga alios, aut obligationi cuidam contractæ, qua alteri in ſingulari tenemur, ſatisfacere non poſſumus (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ergo etiam dat jus ad ſimulationem in hypotheſi propoſitionis præſentis, conſequenter in eadem ſimulatio licita eſt (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

In propoſitione præſente non ſumimus, niſi quod ſimulatio neceſſaria ſit ad ſatisfaciendum officio cuidam vel erga ſeipſum, vel erga alios (quando autem de officiis erga alios ſimpliciter loquimur, pro ſubſtrata materia ſimul intelligenda ſunt officia erga Deum) aut obligationi cuidam contractæ, qua alteri in ſingulari tenemur. Quamobrem addendum non eſt, eam ſimul pugnare cum officio quodam erga alios, vel obligatione contracta, qua alteri in ſingulari tenemur: id quod ſubinde facere ſolent naſututi, ut habeant, quod reprehendant, methodi demonſtrativæ non ſatis gnari ac veræ Logicæ imperiti.

§. 340.

Idem porro expenditur. *Si ſine ſimulatione violatur jus perfectum aut imperfectum alterius, ſimulatio licita eſt.* Nemo enim quicquam facere debet, quod eſt contra jus alterius (§. 910. *part.* 1. *Phil. pract univ.*). Quamobrem cum lex naturæ det nobis jus ad eos actus, ſine quibus obligationi naturali ſatisfieri nequit (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), jus etiam dat ad ſimulationem in hypotheſi præſentis propoſitionis, conſequenter in eadem licita eſt ſimulatio (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Quæ

Digitized by Google

Quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus, huc quoque trahenda ſunt. Oſtendimus idem, quod de ſimulatione in propoſitione præſente & præcedente evincitur, de falſiloquio (§. 172.). Cur vero ſit eadem ſimulationis, quæ falſiloquii ratio, ex iis intelligitur, quæ paulo ante annotavimus (*not.* §. 338.). Poſſibilitatem hypotheſium ut demonſtremus, ſcilicet quod ſubinde ſimulatio pugnet cum officio aliquo aut obligatione contracta quadam, qua alteri in ſingulari tenemur, vel etiam violet jus ſive imperfectum, ſive perfectum alterius, ſubinde autem ſine ea officio cuidam vel obligationi iſtiuſmodi ſatisfieri nequeat, vel etiam jus alterius violetur, opus non eſt. Quando enim caſus particulares occurrunt, in quibus principia generalia hic ſtabilita applicanda, patebit non ſumi, quæ impoſſibilia ſunt, conſequenter ſuperflus non cadi, nec caſus præter neceſſitatem multiplicari.

§. 341.

Exceptio quando ſimulationem illicitam faciat.

Si ſine ſimulatione officio cuidam erga teipſum vel alios ſatisfacere non potueris, pugnet vero eadem cum jure perfecto vel imperfecto alterius cujuſdam; ſimulatio illicita eſt. Etenim ſi ſine ſimulatione officio cuidam erga teipſum vel alios ſatisfacere non potueris, ſimulatio licita eſt (§. 339.), adeoque permiſſa (§. 165. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*): ſi vero eadem pugnat cum jure perfecto vel imperfecto alterius, illicita eſt (§. 338.), adeoque prohibita (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi ſine ea officio cuidam erga teipſum vel erga alios ſatisfacere non potueris, eadem tamen ſimul pugnet cum jure perfecto vel imperfecto alterius cujuſdam; lex permiſſiva colliditur cum prohibitiva (§. 206. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque in caſu colliſionis lex permiſſiva cedit prohibitivæ (§. 211. *part* 1. *Phil. pract. univ.*); illicita ſimulatio eſt pugnans cum jure ſive imperfecto, ſive perfecto alterius, licet ſine ea officio cuidam erga teipſum, vel erga alios ſatisfacere nequeas.

Exceptio hic ſimulationem illicitam efficit, quæ extra colliſionem legum naturalium licita fores (§. 338.). Atque adeo vides, cur in hypotheſibus propoſitionum non plures adjiciendæ ſint determinationes, quam quæ ſumuntur, propterea quod ſubinde colliſioni legum naturalium locus eſt. Etenim quando colliſionis in hypotheſi expreſſa mentio non fit, eam abeſſe debere intelligimus. Neque metuendum eſt, ne in applicando incidas in errorem, ſi circumſpectus fueris: propoſitionem enim applicaturus determinationes præſentes omnes, per quas caſus obvius determinatur, inquirendæ ſunt, atque tum patebit, num eædem ſolæ adſint, quæ in propoſitione ſumuntur, an vero præterea aliæ, quæ caſum variant.

§. 342.

Quando falſiloquium.

Quoniam falſiloquium ſermo ſimulatus eſt (§. 333.), ſimulatio vero illicita eſt, ſi ſine ea officio cuidam erga teipſum vel erga alios ſatisfacere non potueris, eadem vero pugnet cum jure perfecto vel imperfecto alterius cujuſdam (§. 341.); *falſiloquium* quoque *illicitum eſt, ſine quo officio cuidam erga teipſum vel erga alios ſatisfacere nequis, eadem vero pugnat cum jure perfecto vel imperfecto alterius.*

Ne propoſitio præſens male applicetur, perpendendum eſt, quandonam aliquid fiat contra jus alterius (§. 239. *part.* 1. *Philoſ. pract. univ.*). Inde nimirum judicium ferendum de pugna cum jure alterius.

§. 343.

Caſus alius ſimulationis illicitæ ob exceptionem.

Si ſine ſimulatione officio cuidam erga teipſum vel erga alios ſatisfacere non potueris, eadem vero repugnet obligationi cuidam contractæ, qua alteri in ſingulari teneris; ſimulatio illicita eſt. Oſtenditur eodem modo, quo idem in caſu pugnæ cum jure alterius demonſtravimus (§. 341.).

Immo caſus præſens ad illum reducitur, quatenus obligationi contractæ, qua alteri in ſingulari tenemur, reſpondet jus perfectum. Sed hæc reductio non eſt hujus loci.

§. 344.

Ad mendacium extenſus. Quia *falſiloquium* ſermo ſimulatus eſt (§. 333); erit & *illicitum*, *ſi ſine ſimulatione officio cuidam erga teipſum vel erga alios ſatisfacere nequeas, eadem vero repugnet obligationi cuidam contractæ, qua alteri in ſingulari teneris* (§. 343.).

§. 345.

Simulationis illicita principium quando nobis negotium eſt cum aliis. *Quando alteri ad animi noſtri ſenſa indicanda obligamur, ſimulatio illicita eſt.* Quando enim alteri ad animi noſtri ſenſa indicanda obligamur, eum inducere non licet, ut falſam de animi noſtri ſenſis concipiat opinionem (§. 28. *Ontol.*). Enimvero ſimulator intendit, ut alius falſam concipiat de animi ſui ſenſis opinionem (§. 328.). Ergo ſimulatio illicita, quando alteri ad animi noſtri ſenſa indicanda obligamur.

Quodſi nullo in caſu alteri ad animi noſtri ſenſa indicanda obligaremur, ſimulatio omni in caſu, quo nobis negotium eſt cum aliis, foret licita: neque enim tum unquam foret contra jus ſive perfectum, ſive imperfectum alterius, quæ pugna cum jure alterius illicitam facit ſimulationem (§. 338.). Obligamur adeo ad actiones ſinceras edendas (§. 714. *part. 2. Phil. pract. univ.*), quemadmodum ad veriloquium in eodem caſu obligati ſumus (§. 160.), quod in numero actionum ſincerarum contineri facile oſtendi poterat, ſiquidem neceſſe eſſet, ut demonſtraretur. Utemur autem hoc principio in caſibus particularibus ſimulationem demonſtrandi: id quod hic nondum facere licet, ubi de ſimulatione tantummodo in genere agitur. Neque enim exiſtimandum eſt præſenti in loco omnia tradi, quæ de ſimulatione tenenda ſunt, ſed ea tantummodo, ad quæ demonſtrenda principia ſufficientia proſtant in anterioribus. Immo anteriore quoque hinc demonſtrari poterant, quemadmodum ex demonſtrationibus perſpicitur, quæ de veriloquio & falſiloquio tradidimus in capite præcedente (§. 165. & ſeqq.). Quoniam vero nobis non ſolum propoſitum eſt veritatem docere, verum etiam in omni noſtra philoſophia intendimus, ut methodus philoſophice, quam diximus (§. 115. *Diſc. præl.*), & quam cum mathematica eandem eſſe oſtendimus (§. 130. *Diſc. præl.*), lectori reddatur familiaris, cum ſine ea ad certam & diſtinctam cognitionem in nulla diſciplina pervenire poſſimus (§. 137. *Diſc. præl.*); demonſtrationes variari conſultum eſt.

§. 346.

Temeraria ſimulatio illicita. *Temere ſimulandum non eſt.* Nihil enim temere faciendum (§. 278.). Quamobrem nec temere ſimulandum eſt.

Temere quid facit, qui nullo fine facit (§. 277.). Unde & temeraria ſimulatio eſt, quæ nullo fit fine. Præſens adeo propoſitio damnat ſimulationem omnem, quæ nullo fine fit.

§. 347.

Finis ultimus ſimulationis. *Finis ultimus ſimulationis eſt ſui aliorumque perfectio.* Finis enim ultimus omnium actionum humanarum eſt ſui aliorumque perfectio (§. 28. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ultimus quoque finis ſimulationis ſui aliorumque perfectio eſſe debet.

Poteramus quoque ex hoc principio deducere ea, quæ de ſimulatione tenenda ſunt, niſi ex principiis proprioribus eadem deduci conſultum fuiſſet. In praxi tamen utile eſt, ut ad hoc principium animum advertamus.

§. 348.

Digitized by Google

§. 348.

An metu mali adductis ſimulare liceat.

Si alteri ad animi noſtri ſenſa indicanda obligamur, metu periculi inde nobis vel aliis imminentis ſimulare non licet. Quodſi enim alteri ad animi noſtri ſenſa indicanda obligamur, ſimulatio illicita eſt (§. 345.), adeoque ad eam omittendam obligamur (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum nemo metu mali cujuſdam imminentis deterreri debeat, quo minus omittat, ad quæ omittenda lege naturali obligatur (§. 599. *part.* 1. *Jur. nat.*); nec metu mali cujuſdam vel periculi nobis imminentis ad ſimulandum ut adducamur pati debemus, conſequenter nec ſimulare licet, quando alteri ad animi noſtri ſenſa indicanda obligamur.

Idem oſtendimus de falſiloquio (§ 214.). Quandonam vero alteri ad animi noſtri ſenſa indicanda obligemur, ex iis patet, quæ ſuperius demonſtrata ſunt (§. 159. 160.).

§. 349.

Quando periculi avertendi vel commodi alicujus gratia.

Si ad animi noſtri ſenſa alteri ſignificanda non obligamur, periculi avertendi vel utilitatis propriæ aut alienæ gratia ſimulare licet. Etenim ſi ad animi noſtri ſenſa alteri ſignificanda non obligamur, nec moraliter neceſſe eſt, ut ejus gratia actio externa cum interna conſentiat (§ 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter ex parte ejus nil obſtat, quo minus diſſentire adeoque ſimulata eſſe poſſit (§. 716. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum quilibet operam dare debeat, ut ſibi caveat a malis corporis atque fortunæ, quantum in poteſtate ſua eſt (§. 183. *part.* 1. *Jur. nat.*), eademque ab aliis, quantum datur, avertat (§. 608. *part.* 1. *Jur. nat.*), ex adverſo vero ut conſequatur corporis & fortunæ bona, quæ in poteſtate ipſius ſunt (§. 181. *part.* 1. *Jur. nat.*), & ut alii eadem conſequantur, quantum datur (§. 608. *part.* 1. *Jur. nat.*); lex naturæ dat nobis jus ad actus ſimulandi, ſi abſque ea periculum a nobis vel aliis avertere nequeamus, nec utilitatem noſtram vel alienam promovere poſſimus, ubi ad animi noſtri ſenſa alteri ſignificanda non tenemur (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter in caſu propoſitionis præſentis ſimulare licet periculi a nobis vel aliis avertendi, vel utilitatis propriæ aut alienæ gratia (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Forſan erunt nonnulli, qui ſibi perſuadebunt, ex principiis, quibus ad demonſtrandum propoſitionem præſentem uſi ſumus, ſequi, quod periculi avertendi vel utilitatis propriæ aut alienæ gratia ſemper ſimulare liceat. Enimvero hi non perpendunt, in præſenti caſu ſimulationem ſpectari tanquam medium conſequendi finem licitum. Quamobrem cum ad conſequendum finem licitum non uti liceat mediis illicitis, quod nemo non confitetur; nec ſimulare licet finis liciti conſequendi gratia, ſi ſimulatio eo in caſu illicita ſit. Simulator facto ſuo fallere intendit alium (§. 331.), neque alia de cauſa ſimulat, quam ut fallat, quod nemo non agnoſcit. Quodſi ergo ex parte ejus, quem fallere intendit, nil obſtet, quo minus ſimulet, ſimulatio in ſe illicita non eſt (§. 345.), conſequenter nec ea haberi poteſt pro medio illicito. Per ſe autem patet, actum ſimulantis in ſe ſpectitum talem eſſe non debere, qui lege naturali prohibitus ſit: tum enim is foret illicitus extra caſum ſimulationis, adeoque non opus foret demum diſquirere, num ſimulare liceat periculi avertendi vel commodi obtinendi gratia, cum jam conſtaret tale quid ſimpliciter fieri non poſſe. Neque verendum eſt, in applicanda propoſitione facile aberrari poſſe, ſiquidem quis ſimulationem pro licita agnoſcat ex hoc ſolo, quod ei, cujus reſpectu ſimulat, ad animi ſui ſenſa ſignificanda non obligetur; neque enim actiones patrandæ ſpectandæ ſunt tantummodo, quatenus ſunt actus ſimulantis, verum etiam quales ſint in ſe ſpectatæ, utrum bonæ, an malæ.

Digitized by Google

§. 350.

Quale eſſe debeat factum ſimulantis.

Factum ſimulantis a ſimulatione ſejunctum non debet eſſe illicitum. Ponamus enim factum ſimulationis a ſimulatione ſejunctum illicitum eſſe poſſe. Quoniam illicitum eſt, ad quod non committendum ſeu omittendum obligamur (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ſimulationis gratia committere licet actionem, ad quam omittendam obligamur. Obligatio itaque, quæ a lege naturæ venit, immutabilis non eſt. Quod cum ſit abſurdum (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*), factum ſimulantis a ſimulatione ſejunctum non debet eſſe illicitum.

Propoſitionem hanc addere lubet, ne quis difficultates circa determinationes ſimulationis licitæ faceſſat inanes vi eorum, quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus. Malum nunquam facere licet, adeoque nec ſimulationis gratia. Ceterum hinc intelligitur, quando ſimulationem repugnare dicimus officio cuidam vel obligationi contractæ, qua alteri in ſingulari tenemur, factum non ſpectari ſimpliciter qua tale factum, quale extra caſum ſimulationis eſt, ſed quatenus ſimulandi cauſa patratur.

§. 351.

Quænam diſſimulare liceat.

Ad quæ alteri patefacienda non obligamur, ſeu quæ cognoſcendi alteri jus non eſt, ea diſſimulare licet. Etenim ſi ad quædam alteri patefacienda non obligamur, ſeu ea cognoſcendi alteri jus nullum eſt; nihil fit contra jus ipſius, ſi caveamus, ne ea ipſi innoteſcant, conſequenter ea occultare ſtudeamus. Quamobrem cum vi libertatis naturalis unicuique permittendum ſit, ut faciat, quod lubet, quamdiu nil facit contra jus alterius (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*); ſi quis ad quædam alteri patefacienda non obligatur, ſeu ea cognoſcendi alteri jus nullum eſt, ea occultare licet. Enimvero quæ alteri occultamus, ne eidem innoteſcant, ea diſſimulamus (§. 717. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo ad quædam alteri patefacienda non obligamur, ſeu ea cognoſcendi alteri jus nullum eſt, ea diſſimulare licet.

Diſſimulamus ea, quæ alteri innoteſcere nolumus: unde diſſimulatio factorum convenit cum reticentia veri, aut, ſi mavis, hæc ipſa ſpecies quædam diſſimulationis eſt. De diſſimulatione itaque quod demonſtrentur, quæ cum iis conveniunt, quæ de reticentia veri demonſtravimus in ſuperioribus, mirum videri non debet. Immo ea de cauſa etiam ſuperius jam demonſtratum eſt (§. 170.), quando veritatem diſſimulare liceat, & falſiloquio omni ineſſe diſſimulationem veri ſupra itidem evicimus (§. 177.).

§. 352.

Diſſimulatio quando illicita.

Quando alteri jus eſt facta tua vel etiam aliorum tibi nota cognoſcendi, ea diſſimulare non licet. Quoniam enim nihil faciendum, quod contra jus alterius eſt (§. 910. *part. 1. Jur. nat.*), ea occultare non licet, quæ cognoſcendi alteri jus eſt. Quoniam itaque ea diſſimulamus, quæ occultare ſtudemus, ne alteri innoteſcant (§. 717. *part. 2. Phil. pract. univ.*); quando alteri jus eſt facta noſtra, vel etiam aliorum nobis nota cognoſcendi, ea diſſimulare non licet.

Ex his principiis generalibus in caſibus particularibus facile demonſtrabitur, utrum diſſimulatio licita ſit, nec ne.

§. 353.

Num ſimulando diſſimulare liceat.

Quando diſſimulatio illicita eſt, nec ſimulando diſſimulare licet. Quando enim diſſimulatio illicita eſt, ad eam omittendam obligamur (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque eadem non abſtinet, qui ſimulando diſſimulare ſtudet; ideo nec ſimulando diſſimulare licet.

Pro-

Propter convenientiam diſſimulationis cum reticentia veri vulgo dici ſolet, diſſimulationem conſiſtere in facto omiſſionis, quemadmodum ſimulatio in facto commiſſionis. Enimvero dantur etiam facta poſitiva, quibus alia occultare ſtudemus, conſequenter quibus fit diſſimulatio (§. 717. p 2. *Phil. pract. univ.*): id quod fabella etiam Areoſti loquitur, qua diſſimulatio illuſtrari ſolet (*not. §. cit.*). Facta vero iſta etiam ſimulata eſſe ſolent.

CAPUT IV.

De modo ſeſe obligandi, ubi de promiſſione & pactis in genere.

§. 354.

Qualis ſit dandi & faciendi obligatio.

O*Bligatio mutua dandi & faciendi naturalis imperfecta eſt.* Etenim a domini unice voluntate pendet, quomodo dominium, ſive jus quoddam ſuum in alterum transferre velit (§. 11.), & in quem, ac utrum transferre velit, nec ne (§. 12.). Et quoniam dominiis introductis operarum communicatio translationi dominii æquipollet (§. 121.); ab uniuſcujuſque etiam voluntate pendet, utrum tibi operas præſtare velit, nec ne, & quomodo præſtare velit. Et quoniam transferre dominium idem eſt ac dare (§. 675. *part. 2. Jur. nat.*), introductis vero dominiis facere perinde eſt ac dare (§. 122.); a tua unice voluntate pendet, num alteri quid dare & quomodo dare, num quid facere & quomodo facere velis. Tibi adeo competere nequit jus alterum cogendi, ut det vel faciat, quod vis. Etſi adeo homines dominiis rerum introductis ſibi mutuo ad dandum & faciendum naturaliter obligentur, prouti unuſquiſque indiget re vel opera alterius (§. 124.), quoniam tamen obligatio perfecta non eſt, ſi tibi non competit jus alterum cogendi, ubi eidem ſatisfacere noluerit (§. 238. *part. 1. Phil. pract. univ.*); obligatio mutua dandi & faciendi naturalis imperfecta eſt.

Oſtenditur etiam hoc modo. Nemo tenetur dare alteri rem ſuam ſive corporalem, ſive incorporalem, qua ipſe opus habet (§. 127.), nec obligatur ad alteri faciendum, ſi ſibi non vacat (§. 129.). Quoniam vi libertatis naturalis homo in agendo non dependet ab ullo alio homine, niſi a ſe ipſo (§. 153. *part. 1. Jur. nat.*); non tuum, ſed dantis & facientis eſt judicare, num tibi dare poſſit quod tibi dari vis, & num facere tibi vacet, quod fieri ab eo vis. Ad dandum igitur & faciendum cogendi alterum jus tibi competere nequit. Quamobrem cum imperfecta ſit obligatio, ubi ad eidem ſatisfaciendum alterum cogendi tibi jus nullum eſt (§. 238. *part. 1. Phil. pract. univ.*); naturalis illa obligatio ſibi mutuo dandi & faciendi, quando quis re vel opera alterius indiget (§. 124.), imperfecta eſt.

Quodſi perpendas, quomodo mutuam illam dandi & faciendi obligationem demonſtraverimus (§. 123.), patebit eam pendere ab officiis humanitatis, ad quæ alteri cum nonniſi imperfecte obligemur (§. 659. *part. 1. Jur. nat.*), nec perfecta eſſe poteſt obligatio, quæ ab iſta obligatione pendet. Libera in dominio diſpoſitio de re ſua a libertate naturali pendet, quemadmodum ex demonſtratione abuſus rerum non impediendi patet (§. 169. *part. 2. Jur. nat.*), conſtat vero etiam obligationem perfectam ad officia humanitatis libertati naturali repugnare (§. 660. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem utraque demonſtratio propoſitionis præſentis ex eodem fonte deducitur, nempe ex repugnantia obligationis mutuæ dandi & faciendi, quando unus re vel opera alterius indiget, cum libertate naturali, quæ tanquam jus connatum nemini hominum auferri poteſt (§. 64. *part. 1 Jur. nat.*), ſit ita quod ejus exercitium reſtringi poſſit (*not. §. cit.*).

§. 355.

Quale jus habeamus

Quoniam ad id, ad quod alter tibi imperfecte obligatur, tibi nonniſi jus imperfectum eſt (§. 238. *part. 1. Phil. pract. univ.*), adeoque obligationi imperfectæ nonniſi

ad id, ad quod dandum vel faciendum alter nobis naturaliter obligatur.

nonniſi jus imperfectum reſpondet, obligatio vero naturalis ad ſibi mutuo dandum & faciendum, quando unus indiget re ſive corporali, ſive incorporali, aut opera alterius, nonniſi imperfecta eſt (§. 354.); *jus* quoque *tibi ad id competens, ad quod alter tibi dandum vel faciendum obligatur, quando re vel opera ipſius indiges, imperfectum eſt.*

Qui adeo negant, ſe obligari ad rem tuam alteri dandum, qua indiget, aut ad faciendum, quando opera tua habet opus, nec ullum tibi ad id, quod dari vel fieri vis, competere jus; de obligatione perfecta & jure perfecto loquuntur, quæ obligatio & quod jus in Jure civili unice attenditur. Abſit adeo, ut ipſos vel erroris alicujus redarguere, vel nos iiſdem contradicere dicas.

§. 356.

Quale ſit jus ad res vel operas ſibi ab aliis comparandas.

Hinc porro conſequitur, *jus, quod dominiis rerum introductis homini competit ad res, conſequenter etiam operas* (§. 121.); *ſibi ab alio comparandas* (§. 126.), *nonniſi imperfectum eſſe.*

Jus hoc duplici modo ſpectari poteſt, vel in genere, prouti obligatio, ad quam refertur, ſpectatur in individuo vago, vel in caſu ſingulari, in quo iſta ineſſe intelligitur individuo determinato, veluti Petro & Paulo. Quando loquimur de jure imperfecto, idem ſemper refertur ad obligationem, quæ ineſt individuo determinato, veluti huic homini, non homini cuidam. Quatenus enim obligatio ſpectatur in individuo vago, ut quidam homo tibi obligetur ad dandum vel faciendum id, quo indiges, eidem reſpondet jus perfectum, nimirum jus petendi, ut alter tibi quid det, vel faciat.

§. 357.

Quomodo perfecta naſcatur dandi & faciendi obligatio.

Homines ad dandum & faciendum perfecte ſeſe ſibi invicem obligare poſſunt mutuo conſenſu. Etenim a domini unice voluntate pendet, in quem dominium vel jus quoddam ſuum transferre velit, nec ne (§. 12.), cumque introductis rerum dominiis operarum communicatio æquipolleat translationi dominii (§. 121.), ab uniuſcujuſque voluntate pendet, num operas ſuas alteri communicare velit: quod poſterius etiam ex libertate naturali patet (§. 156. 158. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quoniam translatio dominii datio eſt (§. 675. *part.* 2 *Jur. nat.*), & qui operas ſuas in alterius confert uſum ipſi quid facit, quod per ſe patet; a tua voluntate pendet, utrum alteri quid dare vel facere velis, nec ne, & a voluntate alterius, utrum acceptare velit, nec ne, quod dare vel facere vis. Quamobrem a voluntate tua etiam pendet, utrum alteri jus perfectum conferre velis, nec ne, ad id quod dare vel facere vis, & utrum alter hoc jus acceptare velit, nec ne. Quodſi ergo tua & alterius adſit voluntas, conſequenter mutuus conſenſus (§. 658. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), alteri jus perfectum competit ad id, quod alter ſe ipſi daturum vel facturum dicit (§. 13.), conſequenter cum alteri perfecte obligeris ad id, in quod ipſi jus perfectum competit (§. 236. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ad dandum vel faciendum perfecte ipſi obligaris. Atque adeo patet, homines ad dandum & faciendum perfecte ſeſe ſibi invicem obligare poſſe mutuo conſenſu.

Patet adeo, quomodo naſcatur perfecta dandi & faciendi obligatio, nimirum ex mutuo dandi & faciendi conſenſu. Conſenſus vero hic vim ſuam habet ab obligatione mutua ſibi mutuo dandi & faciendi, prouti unuſquiſque indiget re vel opera alterius (§ 124), & jure libertatis, vi cujus unicuique ſtatuendum (§. 156 p. 1. *Jur. nat.*), num facere vel dare poſſit (§. 127. 129), & num re vel opera alterius indigeat. Atque hoc modo plene intelligitur, ex quo fonte manet obligatio perfecta dandi & faciendi, nec minus liquet, obligationem perfectam dandi & faciendi vim ſuam accipere a lege naturali, quippe qua homines ſibi mutuo ad dandum & faciendum obligantur, & quæ iiſdem confert jus libertatis naturalis. Nullus dubito fore, ut ſagaciores non ſine voluptate perſpiciant, quam pulchre omnia in Jure naturæ cohæreant & noſtra philoſophandi methodo fiant manifeſta, quæ ſine ea non penitus intelliguntur.

§. 358.

§. 358.

Ad quenam homines ſe ſibi invicem mutuo obligare poſſint.

Homines ſeſe invicem ſibi obligare non poſſunt niſi ad dandum vel faciendum. Introductis rerum dominiis homo non habet, quod ſuum eſt, niſi res tam corporales, quam incorporales, quæ ſunt in dominio ipſius (§. 216. *part.* 2. *Jur. nat.*), & actiones liberas, quæ rebus in dominio ipſius exiſtentibus æquipollent) §. 436. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem ſi quis ſeſe alteri ad quid obligare velit, in eum transferre debet vel jus ad rem quandam ſuam ſive corporalem, ſive incorporalem, aut ad actus quoſdam ſuos, conſequenter ad dandum, aut ad faciendum ſe obligare debet. Patet itaque homines ſeſe ſibi invicem obligare non poſſe niſi ad dandum, vel faciendum.

Nimirum tu aut indiges re mea, ſive corporali, ſive incorporali, aut opera mea. Si tibi confero jus perfectum ad rem meam, me tibi obligo ad dandum, ſi vero confero jus ad actus quoſdam, qui in poteſtate mea ſunt, ad faciendum. Nihil adeo ne fingi quidem poteſt, ad quod homo unus alteri ſeſe obligare poſſit niſi ad dandum vel faciendum. Supra jam obiter hoc annotavimus, (*not.* §. 80.). Quoniam tamen hoc principio deinceps utemur ad alia inde demonſtranda; ideo conſultum videbatur, ut in numerum propoſitionum referretur.

§. 359.

Idem porro extenditur.

Quoniam in ſignificatu generali præſtare idem eſt ac dare & facere (§. 80.), homines vero ſibi invicem obligare ſeſe non poſſunt niſi ad dandum vel faciendum (§. 358.); ideo patet, *homines ſibi invicem ſeſe obligare non poſſe niſi ad aliquid præſtandum.*

§. 360.

Quid ſit obligatio perfecta faciendi.

Qui alteri ad faciendum ſeſe obligat perfecte, particulam quandam libertatis ſuæ alienat. Qui enim alteri perfecte ſeſe obligat ad faciendum, is in alterum transfert jus perfectum ad actum quendam ſuum (§. 236. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter cum actiones noſtræ liberæ ſint in dominio noſtro perinde ac res (§. 436. *part.* 2. *Jur. nat.*), quoad hunc actum libertatem ſuam dominio alterius ſubjicit. Quoniam translatio dominii, quod quis in re quadam habet, alienatio eſt (§. 662. *part.* 1. *Jur. nat.*); qui alteri ad faciendum ſeſe obligat perfecte, particulam quandam libertatis alienat.

Antequam alteri ad faciendum te obligares, tibi competebat libertas hoc faciendi, & non faciendi, atque adeo de actu iſto diſponere poteras pro arbitrio tuo. Enimvero ubi te perfecte alteri obligaſti ad hoc faciendum, hujus eſt de actu iſto diſponere pro arbitrio ſuo, ſcilicet utrum velit ut hoc facias, an nolit ut facias, cum habeat jus te cogendi, ni facere velis (§. 235. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), poſſet vero etiam jus ſuum remittere, ne tibi præſtandum ſit, ad quod præſtandum te obligaſti (§. 95. 117). Particula igitur libertatis, a qua actus iſte pendebat, non amplius tua eſt, ſed facta eſt alterius. Quamobrem minime dubitandum, eam a te fuiſſe alienatam. Obligatio igitur faciendi non modo tibi adimit libertatem quoad hunc actum, impoſita agendi neceſſitate (§. 118. *part.* 1. *Philoſ. pract. univ.*); verum etiam particulam libertatis, quæ tibi adimitur, transfert in eum, cui te obligaſti.

§. 361.

Promittere quid ſit.

Qui ſufficienter declarat, ſe aliquid alteri præſtare ſeu dare vel facere velle, ac in ipſum jus transfert a ſe exigendi, ut præſtet, ſeu det vel faciat; is ei quid *promittere* dicitur. *Promiſſio* itaque eſt declaratio voluntatis noſtræ de quodam alteri præſtando conjuncta cum juris a ſe exigendi, ut præſtetur, in ipſum translatione. Solet ea dici *Promiſſio perfecta*.

Vide-

Videmus adeo ad promiſſionem requiri animum alteri quid præſtandi, animi hujus ſufficientem declarationem, & translationem juris ad id, quod præſtandum, perfecti. Equidem non ignoro, *Grotium* & eos, qui eundem ſequuntur, ad promiſſionem perfectam, quam vocant, requirere etiam neceſſitatem perſeverandi in eadem voluntate: non tamen opus eſt, ut ea definitioni inferatur, cum ex translatione juris perfecti id, quod præſtandum, exigendi ſequatur, quemadmodum mox oſtendemus. Quamobrem putandum non eſt, quaſi definitio noſtra ſit incompleta, quod in ea non cumulaverimus ea, quorum unum per alterum demonſtratur.

§. 362.

Promiſſor & Promiſſarius qui nam ſint.

Qui alteri quidpiam promittit, *Promiſſor* dicitur: is vero, cui quid promittitur, *Promiſſarius* appellatur. *Promiſſor* adeo *declarat velle ſeſe alteri quid præſtare*, adeoque *vel dare*, *vel facere* (§. 80.), *& transferre in alterum jus exigendi, ut hoc præſtet, ſive det, vel faciat* (§. 361.).

Quomodo promiſſor animum ſuum tum aliquid præſtandi de futuro, tum transferendi jus præſtationem exigendi declaret, & quid ex parte promiſſarii requiratur; ut promiſſor eidem valide obligetur, nunc porro diſquirendum.

§. 363.

[illegible] ſit [illegible] promiſſoris.

Promiſſor promiſſario perfecte ſeſe obligat. Promiſſor enim transfert in promiſſarium jus a ſe exigendi præſtationem promiſſi (§. 361.), conſequenter ipſum cogendi ut præſtet, niſi ſua ſponte præſtare velit. Enimvero perfecte alteri obligatur, ſi, ubi is obligationi ſuæ ſatisfacere noluerit, ipſi competit jus eundem cogendi, ut hoc faciat (§. 236. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ergo promiſſor promiſſario perfecte ſeſe obligat.

Ab hac perfecta obligatione promiſſio etiam perfecta appellari ſolet. Et ut omnem in loquendo ambiguitatem evitemus, nos per promiſſionem nunquam intelligemus niſi perfectam: ſit iis quod communis uſus loquendi etiam feras, ut promiſſionem appellemus declarationem voluntatis noſtræ de præſtatione futura, quæ perfectam obligationem non continet.

§. 364.

Quale ſit jus promiſſarii.

Quoniam promiſſor promiſſario perfecte obligatur (§. 363.), in id vero alteri jus perfectum competit, ad quod ipſi quis perfecte obligatur (§. 236. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *jus promiſſario ad id, quod promiſſum eſt, jus perfectum competit.*

§. 365.

Quomodo obligatio promiſſoris valida efficiatur & promiſſarius jus ad id, quod promittitur, acquirat.

Sine acceptatione obligatio promiſſoris non eſt valida, nec ex promiſſione jus ullum acquiritur promiſſario. Promiſſor enim aliquando alteri aliquid dare, adeoque dominium vel jus quoddam in alterum transferre (§. 675. *part. 2. Jur. nat.*), aut facere quid, conſequenter jus ad actum quendam ſuum transferre, vult (§. 362.). Enimvero dominium vel jus quoddam proprium transferri nequit niſi in acceptantem (§. 7.); conſequenter nec jus ad id, quod promittitur, transferri poteſt ſine acceptatione. Quamobrem promiſſarius jus nullum acquirit ex promiſſione ſine acceptatione. *Quod erat unum.*

Quoniam alteri perfecte obligamur ad id, in quod eidem jus perfectum competit (§. 236. *part. 1. Phil. pract. univ.*); quamdiu promiſſarius jus nullum ad id, quod promittitur, acquiſivit, nec promiſſor eidem obligatur. Enimvero ſine acceptatione promiſſarius nullum ex promiſſione acquirit jus, *per demonſtrata n. 1.* Ergo nec promiſſor ſine acceptatione promiſſarii eidem obligatur, conſequen-

Digitized by Google

quenter ſine acceptatione obligatio promiſſoris valida non eſt. *Quod erat alterum.*

Nimirum *obligatio valida* non eſt, niſi ex ea naſcatur jus alteri, cui obligamur. Poteramus itaque obligationis validæ definitionem præmittere; & vi ejus ex eo, quæ *num.* 1. demonſtrata ſunt, inferre, quod ſine promiſſarii acceptatione promiſſoris *obligatio valida* non ſit. Obligatio non naſci poteſt niſi ex mutuo conſenſu promiſſoris & promiſſarii, quo homines ſeſe ſibi invicem ad dandum vel faciendum obligare poſſunt (§. 358.). Conſenſus nullus intelligitur ſine acceptatione (§. 658. *part.* 1. *Phil. pract. univ.* & §. 2.). Quamobrem ſine hac nec obligatio promiſſoris concipi poteſt. Ut tibi obligatus ſim, non ſufficit me velle tibi obligatum eſſe, ſed requiritur etiam ut tu velis me tibi obligari. Sine voluntate tua voluntas mea inefficax eſt, nec ullum producit juris effectum.

§. 366.

Perſeverantia in voluntate præſtandi promiſſum neceſſaria.

Promiſſor habere debet animum in propoſito præſtandi id, quod promittit, perſeverandi. Promiſſor enim transfert in alterum jus exigendi, ut hoc præſtet, quod promittit (§. 362.). Enimvero ſi non perſeveraret in ea voluntate, quæ ipſi nunc eſt, præſtandi ſcilicet alteri id, quod promittit; eandem mutaret, adeoque præſtare nollet, quod promittit. Quamobrem cum noluntas præſtandi, quod promiſſum eſt, pugnet cum jure præſtationem exigendi, quod per ſe patet; promiſſor utique animum habere debet perſeverandi in propoſito præſtandi id, quod promittit.

Videmus adeo; quod paulo ante monuimus (*not.* §. 362.), perſeverandi neceſſitatem, quam *Grotius* lib. 2. c. 11. §. 3. 4. ad promiſſionem perfectam requirit, in jure præſtationem ejus, quod promittitur, exigendi contineri, aut, ſi mavis, per hoc neceſſario poni, quemadmodum numerus ternarius angulorum per numerum ternarium laterum in triangulo determinatur, conſequenter ex definitione eum exulare & per eandem demonſtrari debere, quemadmodum hic fecimus.

§. 367.

Pollicitatio quid ſit.

Si quis alteri ſufficienter declarat, velle ſeſe eidem quid præſtare & in hoc propoſito ſeſe perſeveraturum, jus tamen a ſe id exigendi, niſi præſtet, non transfert; eidem quid *polliceri* dicitur. Eſt adeo *Pollicitatio* declaratio ſufficiens voluntatis ſuæ de præſtando quidpiam alteri ac perſeverantiæ in propoſito ſuo, ſejuncta a translatione juris præſtationem exigendi, ſi quod pollicetur præſtare nolit.

Ita pollicitationem a promiſſione perfecta diſtinguit *Grotius* de J. B. & P. lib. 2. c. 11. §. 3. Ex. gr. alteri pollicemur noſtram commendationem, dum eidem declaramus nos eundem commendare velle, ipſumque certum eſſe jubemus, quod hoc facturi ſimus, non tamen in eum transferimus jus commendationem a nobis exigendi, ſeu ad eandem nos compellendi, ubi hoc facere noluerimus. Experientia loquitur, iſtiuſmodi pollicitationes haud infrequentes eſſe, & plures eſſe rationes, cur alteri potius quid polliceri, quam promittere velimus. Ita petenti, ut mutuo ipſi demus pecuniam, ubi reſpondemus, nos hoc facere velle & ipſum credere debere, quod hoc facturi ſimus, ſed non volumus ut ipſi ſit jus ad pecuniam ipſi mutuo dandam nos compellendi, pecuniam ipſi mutuo nos daturos pollicemur. Vulgo equidem promiſiſſe quid alteri dicimus, quando eidem quid pollicemur; cum tamen hoc a promiſſione, quam diximus, differat (§. 361.), hanc voluntatis ſuæ declarationem de præſtando quidpiam alteri factam nomine etiam ab illa diſtingui conſultum, immo, ubi demonſtrativa methodo utimur (§. 145. *Diſcurſ. prælim.*), neceſſe eſt.

§. 368.

Pollicitator quinam dicatur.

Qui alteri quid pollicetur, *Pollicitator* appellatur: is autem, cui quid pollicemur, peculiare nomen non habet.

Nolumus fingere vocabula Latina, quæ in uſu non ſunt, nec inter terminos artis recepta, quemadmodum artis terminus eſt promiſſarius, cum non adeo magna neceſſitas peculiare nomen ejus, cui quid pollicemur, exigat. Qui pollicitationem & promiſſionem indiſtincte dicunt; eum quoque promiſſarium appellant, cui fit pollicitatio: aſt cur a nobis hoc fieri non poſſit, ex modo dictis (*not.* §. 367.) patet.

§. 369.

Qualis ſit obligatio pollicitatoris. ***Pollicitator nonniſi imperfecte alteri ſeſe obligat.*** Pollicitator enim non transfert in alterum jus pollicitum a ſe exigendi, ubi eidem factum addere non vult (§. 367.), conſequenter nec alteri hoc jus competere poteſt. Enimvero nonniſi imperfecte ei obligamur, cui non competit jus eum cogendi, ut obligationi ſuæ ſatisfaciat (§. 238. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ergo pollicitator nonniſi imperfecte alteri ſeſe obligat.

Obligatio promiſſoris perfecta eſt (§. 363.): qualis cum eſſe nequeat pollicitatoria, quemadmodum hic oſtenditur, neceſſitas diſtinguendi promiſſionem a pollicitatione in dubium vocari amplius nequit.

§. 370.

Quale ſit jus ad pollicitum. ***Jus ad pollicitum nonniſi imperfectum eſt.*** Pollicitator enim in eum, cui quid pollicetur, nullum transfert jus a ſe exigendi, ut pollicito factum addat (§. 367.). Quamobrem cum jus nonniſi imperfectum ſit, cum quo jus cogendi alterum, ut obligationi ſuæ ſatisfaciat, conjunctum non eſt (§. 237. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); jus ad pollicitum nonniſi imperfectum eſſe poteſt.

Oſtenditur etiam hoc modo. Pollicitator alteri nonniſi imperfecte ſeſe obligat (§. 369.). Enimvero ad id, quo quis alteri imperfecte obligatur, jus nonniſi imperfectum datur (§. 238. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ergo ad pollicitum jus nonniſi imperfectum eſt.

Poterat pollicitatio actus fruſtraneus videri, cujus nullus prorſus ſit effectus, immo referendus inter verba temeraria (§. 276.), lege naturali prohibita (§. 278.). Etenim imperfecte alteri obligaris ad dandum & faciendum naturaliter (§. 354.), adeoque non opus eſt, ut ipſi demum imperfecte obligeris tua voluntate. Pollicitatio adeo videri poterat actus jure naturali illicitus. Oſtendendum itaque erit contrarium: quod antequam fiat, mentio quoque fieri debet nudæ aſſertionis de eo, quod alteri præſtare volumus, quia de hac & pollicitatione quædam communia demonſtranda veniunt a promiſſione aliena.

§. 371.

Aſſertio nuda præſtandi quid ſit. ***Aſſertio nuda præſtandi*** eſt ſufficiens declaratio voluntatis noſtræ, quæ nobis nunc eſt, alteri quidpiam præſtandi, ſeu dandi vel faciendi, ſejuncta ab animo in hac voluntate perſeverandi.

Nimirum qui nude aſſerit, ſe alteri quid dare vel facere velle, is tantummodo dicit, ſibi in præſenti eſſe animum hoc dandi, vel faciendi, non vero aſſeverat, ſe animum ſuum non velle mutare. Atque adeo differt a pollicitatione, ad quam animus perſeverandi in propoſito ſuo requiritur (§. 367.). Ita nuda aſſertio eſt, ſi dico me Bibliothecam meam Titio legare velle, ſeu, quod perinde eſt, mihi eſſe animum hoc faciendi, non vero addo, quod ab hoc propoſito nunquam diſcedere velim. Similiter nuda aſſertio eſt, ſi dico, mihi animum eſſe te commendandi, nihil vero addo, unde colligere poſſis, me hunc animum mutare minime velle.

§. 372.

§. 372.

An per aſſertionem nudam transferatur aliquod jus.

Per aſſertionem nudam alteri quid præſtandi nullum in eum transfertur jus ad id, quod ſe præſtare velle dicit, qui voluntatem ſuam de eo declarat. Etenim qui nude aſſerit, ſe alteri quid præſtare velle, is nondum ſtatuit, quod in hac voluntate perſeverare velit (§. 371.), adeoque jus eandem mutandi, ſiquidem ita ſibi viſum fuerit, ſibi reſervat. Quamobrem nec habet animum ullo modo ſeſe ad id præſtandum alteri obligandi, conſequenter cum ſine illius obligatione huic jus nullum competere poſſit ad id, quod ille ſe ipſi præſtare velle dicit (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*); per aſſertionem nudam alteri quid præſtandi nullum in eum transfertur jus ad id, quod ſe præſtare velle dicit, qui de eo voluntatem ſuam declarat.

Quando dicimus alteri; cui quid te præſtare velle dicis, ex eo nullum jus ad hoc, quod præſtandum, naſci: id non tantummodo intelligitur de jure perfecto, quale acquiritur ex promiſſione (§. 364.), verum etiam de imperfecto, quale ex pollicitatione acquiritur (§. 370.). Abunde hoc patet ex ipſa demonſtratione. Notandum vero nos non hic loqui de jure imperfecto, quod naturaliter alicui competere poteſt, ſed de eo, quod voluntate alterius tibi acquiritur.

§. 373.

Num nuda aſſertione præſtandi obligatio contrahatur.

Qui nude aſſerit, ſibi eſſe animum alteri quid præſtandi, is ad idem præſtandum nullo modo ſe obligat. Etenim qui nude aſſerit, ſeſe alteri quidpiam præſtare velle, quinam ſit in præſenti animus, tantummodo declarat, minime vero affirmat, ſe in hoc propoſito ſemper perſeveraturum, nec voluntatem ſuam unquam mutare velle (§. 371.). Nullam igitur ſibi imponit neceſſitatem in hac voluntate perſeverandi. Quamobrem cum obligatio in neceſſitate morali agendi conſiſtat (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*); nullo modo ſeſe ad aliquid præſtandum obligat.

Videmus adeo nuda aſſertione nullam contrahi obligationem; unde quemadmodum in demonſtratione propoſitionis præcedentis inferri poterat, nec ex ea alteri, cui voluntatem ſuam, quam in præſenti habet, quis declarat, jus ullum acquiri.

§. 374.

Jus voluntatem mutandi homini competens.

Homini competit jus voluntatem mutandi, quando mutata fertur in melius. Obligatur enim ad id, quod altero melius, eidem præferendum (§. 192. *part. 1. Phil. pract. univ.*) Quamobrem ſi quid facere decrevit, & poſtea videt vel ſub iisdem, vel mutatis circumſtantiis melius eſſe, ut non faciat, quod facere decreverat, id facere minime debet. Idem eodem modo intelligitur in caſu oppoſito. Quamobrem cum lex naturæ nobis tribuat jus ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfacere non poſſumus (§. 159. *part. 1. Jur. nat.*); homini etiam naturaliter competit jus voluntatem ſuam mutandi, quando mutata in melius fertur.

Equidem *Grotius* loc. cit. (*not.* §. 367.), ſimpliciter affirmat, mutationem voluntatis naturaliter licitam eſſe; fatetur tamen, eam fieri vitioſam, quando ſententia prior erat melior. Atque adeo non negat, homini competere jus voluntatem mutandi, quando mutata fertur in melius, nec concedere poteſt ipſi competere jus mutandi voluntatem in deterius, cum naturæ lex nobis tribuere nequeat jus ad actus vitioſos: ſit ita quod jus naturæ perfectivum, quod diximus (§. 193. *part. 1. Jur. nat.*), ipſius ſententia nonniſi improprie ad jus naturæ referatur. Neque enim diffitetur, minus recte quod eſt deterius præferri ei, quod eſt melius. In genere utique dici nequit, omnem mutationem voluntatis eſſe illicitam; ſed nec in genere affirmari poteſt, mutationem omnem licitam eſſe. Præſtat igitur accurate determinari, quando licita ſit, quando vero illicita.

§. 375.

Quando mutandi voluntatem homini jus nullum.

Homini jus nullum eſt mutandi voluntatem, quando quod facere decrevit cum lege naturæ convenit, & quando non facere decrevit, quod cum ea diſconvenit. Quilibet enim operam dare debet, ut conſtans ipſi ſit voluntas ac perpetua committendi actiones legi naturæ conformes & noluntas conſtans ac perpetua committendi eidem contrarias (§. 279. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quoniam vero voluntas conſtans non eſt, nec perpetua eſſe poteſt, quæ mutatur (§. 1062. *part.* 1. *Theol. nat.*); ideo homo voluntatem ſuam mutare minime debet, quando quod facere decrevit cum jure naturæ convenit, & quod non facere decrevit cum eadem diſconvenit. Quamobrem jus quoque ipſi nullum eſt mutandi in caſibus propoſitionis præſentis voluntatem (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Ad eos actus, quos omittere obligamur; jus nobis nullum competere poteſt, cum alias facere liceret, quod facere non debemus, conſequenter licitum idem & illicitum ſimul foret (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*): id quod utique abſurdum (§. 28. *Ontol.*).

§. 376.

Caſus particularis.

Quoniam voluntatem mutare non licet, quando mutata cum lege naturali diſconvenit (§. 375.), nemo autem quicquam facere debet, quod eſt contra jus alterius (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*); voluntatem mutare non debemus, quando mutata eſt contra jus alterius, conſequenter *homini nullum competit jus mutandi voluntatem, quando mutatio eſt contra jus alterius.*

Notanda hic eadem ſunt, quæ modo ad propoſitionem præcedentem annotavimus.

§. 377.

Jus externum mutandi voluntatem.

Unicuique permittendum, ut voluntatem ſuam mutet, quamdiu nil agit contra jus alterius. Vi enim libertatis naturalis permittendum eſt, ut unusquisque in determinandis actionibus ſuis ſuum ſequatur judicium, quamdiu nil facit contra jus alterius (§. 156. *part.* 1. *Jur. nat.*), & ejus conſcientiæ relinquendum, utrum actionem quandam committere, an omittere velit (§. 157. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem ubi de futuro deliberans decernit, ſe hanc actionem committere velle; quando vero agendi occaſio præſens eſt, conſultius ipſi videtur, ut eam omittat; vi libertatis naturalis ipſi permittendum eſt, ut non faciat, quod facere deſtinaverat, quamdiu nihil fit contra jus alterius. Et idem eodem modo intelligitur in caſu oppoſito. Quoniam vero actionem omittere nequit, quam committendam decreverat, & contra, ſine mutatione voluntatis, quod per ſe patet; vi libertatis naturalis unicuique permittendum, ut voluntatem ſuam mutet, quamdiu hæc mutatio non eſt contra jus alterius.

Hæc independentia mutationis voluntatis a voluntate aliorum non confundenda eſt cum jure mutandi voluntatem homini naturaliter competente (§. 374.). Quod enim hoc jure facis, ſemper licitum eſt: quod vero fit abuſu libertatis naturalis ab altero ferendo ſeu non impediendo, quamdiu nil fit contra jus ipſius, illicitum eſt, ſi in ſe ſpectetur & ad conſcientiam refertur. Quando tamen jus tantummodo externum ſpectamus, quatenus actiones noſtræ referuntur ad alios, non habita ratione niſi obligationis externæ (§. 657. *part.* 1. *Jur. natur.*); mutatio voluntatis in deterius etiam licita dicitur, quamdiu juri alterius non repugnat, quia ab aliis ferenda, hominique tribui ſolet jus mutandi voluntatem ſimpliciter, quatenus ea ab aliis ipſi permittenda vi libertatis naturalis. Cavendum tamen, ne jus iſtud externum confundatur cum jure interno, quorum hoc a lege naturæ derivatur, illud vero a libertate naturali venit & hujus abuſum includit, & hunc ſolum habet effectum ut impune facias inter homines, quod facis, non vero ut recte facias in conſcientia, nec pecces.

§. 378.

§. 378.

Quando mutatio voluntatis in melius non licita.

Mutatio voluntatis in melius non licita, quando contrariatur juri perfecto alterius. Mutatio voluntatis in melius licita eſt (§. 374.), voluntatis autem mutatio, quæ eſt contra jus perfectum alterius, illicita (§. 376.), nec ab altero ferenda (§.913.920 *part.* 1. *Jur. nat.*). Colliditur itaque inter ſe lex permiſſiva cum lege prohibitiva & permiſſiva ſimul (§. 165. 163. 170. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero ſi lex prohibitiva colliditur cum permiſſiva, permiſſiva cedit prohibitivæ (§. 211. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque multo magis cedere debet prohibitivæ & permiſſivæ ſimul. Quamobrem voluntatem mutare non licet, utut mutatio feratur in melius, quando ea contrariatur juri perfecto alterius.

Ne propoſitionem præſentem in perverſum ſenſum trahant, qui accurate loqui nondum didicere, quædam hic annotanda veniunt. Melius hic non opponitur ei, quod moraliter malum ſeu lege naturali vetitum eſt, ſed bono minori, ut adeo quod facis, ſi in ſe ſpectetur, lege naturali prohibitum non ſit, conſequenter hoc faciendo non pecces (§. 440. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), niſi quatenus quid contra legem perfectivam committis. Non recte feciſti, quod voluntatem tuam in partem legi perfectivæ adverſam determinaſti, idque tibi imputatur, ſi culpa tua factum eſt (§. 700. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); ſed ſi voluntatem mutares, peccares denuo, quatenus actio tua repugnaret legi prohibitivæ (§. 910 *part.* 1. *Jur. nat.*), conſequenter peccare velles; ne peccaſſes; aut quid minus recte feciſſes: quod abſurdum eſſe, nec ullo modo licitum eſſe debere nemo non agnoſcit. Quando itaque mutatio voluntatis juri perfecto alterius contrariatur, non ideo licita exiſtimari poteſt, quia in melius tendit. Caſus in Jure naturæ perplexi ſunt, in quibus leges naturæ inter ſe colliduntur. Quodſi vero ad ea recurras, quæ de earum colliſione demonſtrata ſunt ac ſuo loco hinc inde porro demonſtrabuntur; a perplexitate eos facile liberabis & quæ perplexa ſunt extricabis. Patebit ſuo loco, quam multæ demonſtrationes huic fundamento ſuperſtruendæ ſint, ſi veritatem in apricum protrahere volueris.

§. 379.

Quando nude aſſerens & pollicitator voluntatem mutare poſſit.

Qui nude aſſerit ſe alteri quid præſtare velle, ei naturaliter competit jus voluntatem ſuam mutandi, quando mutatio fertur in melius, ab eo autem, cui quid deſtinaverat, ſemper permittendum, ut eandem mutet. Poſterius etiam valet de pollicitatione. Etenim nude aſſerens ſe alteri quid præſtare velle, nullum in eum transfert jus ad id, quod ſe præſtare velle dicit (§. 372.), neque jus perfectum pollicitator transfert in eum, cui quid pollicetur (§. 370.), conſequenter ſi uterque voluntatem mutet, nihil fit contra jus alterius perfectum. Enimvero unicuique permittendum, ut voluntatem ſuam mutet, quamdiu nil facit contra jus alterius perfectum (§. 377.). Quamobrem tam nude aſſerenti ſe quid alteri præſtare velle, quam pollicitatori permittendum, ut voluntatem ſuam mutet. *Quod erat unum.*

Quoniam homini naturaliter competit jus mutandi voluntatem in melius (§. 374.), nude autem aſſerenti ſe alteri quidpiam præſtare velle nil obſtet, quo minus voluntatem ſuam mutet *per demonſtrata;* nude aſſerenti naturaliter adhuc competit jus voluntatem ſuam mutandi, quando mutatio in melius fertur. *Quod erat alterum.*

Nude aſſerens nullo prorſus modo obligatur alteri (§. 373.), & huic ne jus quidem imperfectum competit ad id, quod alter ſe eidem præſtiturum dicit, aut potius ipſi deſtinaſſe ſe ait. Quamobrem nullum prorſus obſtaculum eſt, quo minus jure naturaliter ſibi conceſſo uti poſſit, quando deprehendit mutationem ferri in melius. Id autem dici nequit de pollicitatore, qui dum alterum certum eſſe jubet, quod in præſente voluntate ſit perſeveraturus, ſibimetipſi adimit jus mutandi voluntatem & ſeſe obligat alteri ad eam non mutandum, etſi nolit ad præſtationem vi ab altero compelli, ſed a ſua voluntate adhuc pendere velit, ut pollicito addat factum & officio ſuo ſatisfaciat.

§. 380.

Effectus nudæ aſſertionis præſtandi.

Qui nude aſſerit, ſe aliquid alteri præſtare, hoc eſt, dare vel facere velle, is ei ſpem facit fore, ut ipſi quid præſtet ſeu det vel faciat. Qui enim nude aſſerit, ſe aliquid alteri præſtare velle, is tantummodo declarat ſibi in præſenti eſſe animum ipſi hoc, quod dicit, præſtandi, non tamen addit, ſe in hac voluntate perſeveraturum (§. 371.), conſequenter ſibi reſervat jus mutandi voluntatem, ſi poſthac aliter viſum fuerit. Quamobrem nondum certum quidem eſt, quod hoc ſit præſtiturus, fieri tamen poteſt, ut præſtet, niſi rationes emergant, cur voluntatem mutet. Quoniam itaque alter præſtationem ſibi repræſentat tanquam poſſibilem, ſpes autem oritur, quando bonum quoddam tanquam obtentu poſſibile nobis repræſentamus (§. 797. *Pſych. empir.*); qui nude aſſerit, ſe aliquid alteri præſtare velle, is ei ſpem facit fore, ut ipſi quid præſtet.

Sunt qui exiſtimant ſpem faciendo alteri contrahi poſſe obligationem, eamque perfectam, qui nempe ex l 10. ff. de V. O. colligunt, ſuper ſpe facta poſſe intentari actionem. Nude igitur aſſerens ſibi eſſe animum in præſenti aliquando alteri quid dandi vel faciendi, ſi eorum ſententia eſſet vera, perfecte alteri obligari deberet, quem tamen ne imperfecte quidem eidem ſeſe obligare paulo ante oſtendimus (§. 373). Enimvero oppido falluntur, qui ita ſentiunt? Animus aliquando alteri quid præſtandi non infert animum alteri ſeſe obligandi. Qui vero nonniſi ſpem facit alteri fieri aliquando poſſe, ut hoc ipſi præſtet, non declarat, niſi quod ſibi in præſenti animus ſit aliquando alteri hoc præſtandi, ipſe autem nondum prævidere poteſt, num futurum ſit, ut in hac voluntate perſiſtat, nec ulla ratio emergat, quæ ad mutandum ſententiam eum cogat vel invitet, eaque de cauſa nondum animum habet in ea, quæ ipſi nunc eſt; voluntate perſeverandi; niſi ſub hac conditione, ſi nulla ratio emergat, ob quam voluntas præſens mutanda (§. 371.). Ex eo igitur, quod alteri ſpem facias fieri poſſe, ut aliquando ipſi hoc præſtes, nullo modo intelligitur, quomodo obligatio oriri poſſit, hoc eſt, neceſſitas præſtandi id, cujus ſpem facis alteri. Qui vero non habet animum alteri ſeſe obligandi, præter voluntatem ſuam eidem obligari nequit, cum ex hactenus demonſtratis abunde pateat, a tua voluntate pendere, num ad præſtandum quid alteri te obligare velis. Immo obligatio ſpei repugnat. Speramus enim ea, quæ obtentu poſſibilia nobis videntur (§. 797. *Pſych. empir.*): ea vero, ad quæ præſtanda alter nobis perfecte obligatur, cum perfectæ obligationi inſit jus ipſum ad præſtationem cogendi (§ 236. *part. 1. Phil. pract. univ*), ſpectamus tanquam certo futura, niſi phyſica quædam impoſſibilitas ſuperaccedat, qualem non metuimus.

§. 381.

Acceptationis finis.

Acceptatio non fit alio fine, quam ut a volente dominium vel jus quoddam aliud actu in te transferatur, vel tu alterum volentem ad quid præſtandum obliges. Etenim ad actualem translationem dominii vel juris cujuſdam requiritur acceptatio, nec jus ullum transferri a volente nequit niſi in acceptantem (§. 7.), neque etiam homines ſibi mutuo ſeſe obligare poſſunt ad dandum & faciendum ſine mutuo conſenſu (§. 357.), conſequenter ſine acceptatione alterum tibi obligare nequis (§. 658. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 2.). Acceptatio igitur non fit alio fine, quam ut a volente actu jus quoddam in te transferatur, vel tu alterum perfecte ad quid præſtandum tibi obliges.

Nimirum quando mihi animus conſtans eſt jus quoddam in te transferendi, vel ego volo ad dandum vel faciendum tibi eſſe obligatus; in tua voluntate poſitum eſt, utrum jus iſtud acquirere, vel me tibi obligatum eſſe velis, nec ne. Neceſſe igitur eſt, ut voluntatem tuam declares, num jus iſtud tibi a me acquirere; vel me ſibi ad dandum aut faciendum obligatum eſſe velis, conſequenter acceptatio fit eum in finem, ut conſtet te jus a me acquiſiviſſe, vel me tibi ad dandum & faciendum eſſe obligatum. Atque adeo patet, quinam ſit acceptationis finis.

§. 382.

Digitized by Google

§. 382.

Quantum juris ab altero acquirere & in quantum eum nobis obligare valeamus.

Quoniam acceptatio ſit eo fine, ut ab altero acquiras jus, quod in te transferre vult, eundemque tibi obliges ad id præſtandum, ad quod tibi vult obligari (§. 381.); *acceptatione non plus juris ab altero acquirere potes, quam is in te transferre vult, nec ultra voluntatem ipſius eum tibi obligare vales ad quid dandum vel faciendum.*

Nos hic ea demonſtramus, quæ valent in ſtatu naturali, ſepoſito ſtatu civili. Quid enim lege civili fieri poſſit, ſuo oſtendemus loco.

§. 383.

Cur nude aſſerentem & pollicitatorem nobi perfecte obligare non valeamus.

Qui nude aſſerit ſibi eſſe animum tibi aliquid præſtandi, ab eo & pollicitatore jus perfectum ad aſſertum vel pollicitum acquirere nequis; neque illum, neque hunc perfecte tibi obligare potes, ut is aſſerto, hic pollicito addat factum. Qui enim nude aſſerit, ſe in præſenti habere animum tibi aliquid præſtandi, is nondum habet animum in hac voluntate perſeverandi (§. 371.), adeoque nullum in te transferre vult jus perfectum ad id, quod ſe præſtiturum dicit, neque adeo vult ſeſe tibi ad id præſtandum perfecte obligari (§. 236. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Et pollicitator etſi habeat animum in volunrate præſente perſeverandi, non tamen vult in te transferre jus ab ipſo exigendi, quod tibi præſtare vult (§. 367.), conſequenter non vult ſeſe tibi perfecte obligari ad hoc præſtandum (§. *cit. part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero acceptatione, adeoque voluntate tua (§. 2.), non plus juris ab altero acquirere potes, quam is in te transferre vult, nec ultra voluntatem ipſius eum tibi obligare vales ad quid præſtandum vel faciendum (§. 382.). Ergo ab eo, qui nude aſſerit ſibi eſſe animum tibi aliquid præſtandi & a pollicitatore jus perfectum ad aſſertunı vel pollicitum acquirere nequis, ueque illum, neque huuc perfecte tibi obligare potes, ut is aſſerto, hic pollicito addat factum.

§. 384.

Num acceptationi locus ſit in nuda aſſertione præſtandi & pollicitatione.

Quoniam acceptatio non ſit alio fine, quam ut a volente dominium vel jus quoddam aliud actu in te transferatur; conſequenter tu ab eodem idem acquiras, vel tu alterum voluntate ſua ad aliquid præſtandum tibi obliges (§. 381.), ab eo vero, qui nude aſſerit ſibi eſſe animum tibi quid præſtandi, & a pollicitatore jus perfectum ad aſſertum vel pollicitum acquirere nequis, neque illum, neque hunc perfecte tibi obligare vales, ut is aſſerto, hic pollicito addat factum (§. 383.); *in nuda aſſertione præſtandi & pollicitatione locum non habet acceptatio.*

In nuda aſſertione; cum deficiat conſtantia voluntatis aliquid præſtandi, jure eam immutandi reſervato, nihil eſt quod acceptari poſſit: in pollicitatione, cum pollicitator præſtationem actualem a ſua voluntate pendere, non autem juri tuo ſubjicere velit, pollicitum acceptari non vult, etſi non deſit, quod acceptari poſſet. Acceptationi itaque nullus locus eſt in utroque caſu. In Jure Romano pollicitatio dicitur ſolius offerentis promiſſum l. 3. ff. de pollicit. ubi promiſſum in ſignificatu latiori ſumitur. Excluditur adeo acceptatio tanquam actus ejus, cui quid offertur. Etſi autem in titulo iſto deficiat acceptatio, quod nemo adſit, qui acceptare poſſit pollicitum, non vero quod idem acceptari nolit pollicitator: noſtro tamen inſtituto convenientius eſt, ut ſignificatum vocabuli eum retineamus, in quo *Grotius* ipſumque ſecutus *Puffendorſius* eodem uſi. Sufficit utrobique eſſe promiſſum ſolius offerentis ſeu ſine acceptatione, ſive hæc deficiat voluntate offerentis, ſive alia de cauſa. Non tamen ideo diffitemur hanc differentiam non nullius prorſus eſſe momenti; prout forſan alibi diſtinctius expo-

exponere licebit. Neque enim hujus loci eſt inquirere, cur Romani pollicitationem Deo & Eccleſiæ factam promiſſioni perfectæ æquiparaverint: quod mere civile eſſe *Grotius* lib. 2. c. 11. §. 14. aſſerit.

§. 385.

Quomodo interpretanda ſit reſponſio ejus, cui quid offertur nude aſſerendo vel pollicitando.

Si nude aſſerenti, quod tibi quid præſtare velit, vel pollicitatori reſpondens verbis quibuſcunque declaras, velle te, ut is aſſerto vel pollicito addat factum; verba hæc non ſunt acceptantis, ſed vel optantis, ut hoc fiat, quod præſtare in animo habet nudus aſſertor vel pollicitator, vel declarantis, quod tibi gratum futurum ſit, ſi factum aſſerto vel pollicito addatur, aut quod hoc grato animo ſis agniturus, aut quod illud acceptare velis, ubi aſſerto vel pollicito factum addere voluerit. Cum enim nuda aſſertione præſtandi & in pollicitatione locum non habeat acceptatio (§. 384.); animum acceptandi declarare nequis pro præſenti, ſed tantummodo pro futuro, quando ſcilicet nudus aſſertor vel pollicitator conſtituerit aſſerto vel pollicito addere factum. Quamvis adeo dicas, velle te ut præſtet, quod alteruter ſe tibi præſtiturum conſtituit, ſive expreſſis verbis, ſive aliis, quæ hanc voluntatem continent; non tamen pro verbis acceptantis haberi poſſunt, cum acceptatione alterum tibi obligare velis ad id præſtandum, quod ſe præſtiturum dicit (§. 381.); ad inducendam vero obligationem requiratur mutuus conſenſus (§. 357.), qualis hic non adeſt (§. 658. *part.* 1. *Phil. pract. univ.* & §. 367. 371.). Quamobrem verba tua vel accipienda ſunt de acceptatione futura, quando ſcilicet alter aſſerto vel pollicito factum addere voluerit, vel de grato animo, quo id ſis agniturus, vel de voluptate ex præſtatione actuali percipienda, prouti verborum ſignificatus proprius hanc, vel iſtam, aut illam interpretationem admittit.

Acceptatio refertur ad animum offerentis (§. 2.). Quamobrem ſi nullum tibi offertur jus alterum compellendi, ut verbis addat factum, nec idem acceptare vales. Sine hoc autem jure nec intelligitur jus perfectum ad id, quod præſtiturum ſe dicit alter (§. 235. *part.* 1. *Philoſ. pract. univ.*). Ea de cauſa nec tibi offertur jus ad id, quod præſtiturum ſe eſſe alter ait, conſequenter nec hoc acceptare vales. Voluntatis tamen tuæ declaratio non temeraria eſt (§. 276.). Etenim vel motivum eſſe poteſt non mutandi voluntatem præſentem, quatenus alter ex ſilentio tuo colligere poterat, te parum curare, utrum verbis addatur factum, nec ne, vel motivum perſeverandi in voluntate præſente, quatenus hoc tibi gratum futurum certus eſt & gratum animum ſibi ſpondet. Atque adeo patet, verba tua non proferri nullo fine.

§. 386.

Libertas naturalis promittendi, pollicendi & nude aſſerendi, quod quid præſtare velis.

In tua voluntate poſitum eſt, utrum alteri quid promittere, an polliceri, aut nude tantummodo aſſerere velis, tibi de præſenti eſſe animum alteri quid præſtandi. Etenim naturaliter homines tantummodo imperfecte ſibi mutuo obligantur ad dandum vel faciendum (§. 354.), adeoque nemo te compellere poteſt, ut ipſi quid promittas, quando re vel facto tuo habet opus (§. 237. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quando igitur voluntatem tuam de præſtatione futura declarare debes, aut tua ſponte declarare vis, vi libertatis naturalis tibi permittendum, utrum in alterum jus ad futuram præſtationem te compellendi transferre velis, an nolis (§. 196. *part.* 1. *Jur. nat.*), & num in caſu poſteriori perſeverantiam in præſente voluntate decernere velis, an nolis. Quamobrem cum ad promiſſionem perfectam requiratur translatio juris promiſſorem ad promiſſum adimplendum compellendi (§. 361.), quæ abeſt a pollicitatione (§. 367.), ad hanc vero opus ſit perſeverandi in voluntate præſente animus (§. *cit.*), qui a nuda aſſertione ſejungitur (§. 371.); in tua voluntate poſitum eſt, num alteri quid promittere, an polliceri, an nude tantummodo aſſerere velis, tibi de præſenti eſſe animum aliquid præſtandi.

Oſtenditur etiam hoc modo. A tua unice voluntate pendet, utrum jus quodam

dam in alium transferre velis, nec ne (§. 12.), conſequenter ab ea etiam pendet, utrum jus te cogendi in alterum transferre velis, nec ne, ut, quod ipſi præſtare decreviſti, actu præſtes. Quamobrem cum promiſſio exigat translationem iſtius juris (§. 361.), ea vero abſit in pollicitatione (§. 367.); a tua unice voluntate pendet, utrum alteri quid promittere, an polliceri velis. Et quoniam naturaliter tibi competit jus voluntatem præſentem mutandi, quando mutata fertur in melius (§. 374.), in præſenti autem dubius eſſe potes, utrum quod nunc ſtatuis futuro tempore judicandum ſit melius, nec ne, & nemo te impedire debet, quo minus jure tuo utaris (§. 180. *part. 1. Phil. pract. univ.*); a tua etiam voluntate pendet, utrum perſeverantiam in præſente voluntate decernere velis, nec ne. Quamobrem cum in nuda aſſertione præſtandi nondum adſit animus in præſente voluntate perſeverandi (§. 371.); a tua etiam voluntate pendet, num alteri nude tantummodo aſſerere velis, tibi in præſenti præſtandi animum eſſe.

Hinc ulterius patet, non pendere a voluntate alterius, quid acceptare velit, ſed ipſum acceptare debere, quod offertur, ubi vero nihil ad acceptandum offertur, in ſe nullum eſſe acceptandi actum. Præſens adeo propoſitio uberiorem lucem affundit præcedenti. Simul etiam hinc intelligitur, nihil committi contra jus alterius, ubi tantummodo eidem pollicetis, vel nude aſſeris, tibi quid præſtandi animum eſſe; cum is mallet ſibi idem promitti. Quomodo enim voluntatem de præſtatione futura determinare velis, tuum eſt ut propoſitionis præſentis, non alterius, qui neceſſitatem eandem ad lubitum ſuum determinandi tibi imponere nequit.

§. 387.

Animus deliberatus quinam ſit.

Animus deliberatus dicitur actus voluntatis, qui fertur in id, quod probe expenſum decernitur: ex adverſo autem *indeliberatus* vocatur actus voluntatis, qui fertur in id, quod nondum probe expenſum decernitur. Hinc *animo deliberato fieri* dicitur, quod quis ante probe expendit, num potius ſibi faciendum, quam non faciendum, & quomodo facere velit, antequam faciat. Aſt *indeliberato animo fieri* dicitur, quod quis facit, antequam ſatis expendit, num id ſibi potius faciendum, quam non faciendum ſit, & quomodo facere velit, vel id fieri debeat.

Patrio ſermone dicere ſolemus: mit Bedacht / item cum addito mit gutem Bedacht etwas thun / & in caſu oppoſito unbedachtſam; item aus Unbedacht / vel mit Unbedacht etwas thun / prouti deliberatio vel præcedit decretum, vel ineſt ipſi executioni decreti.

§. 388.

Animus deliberatus quid ſupponat.

Animus deliberatus præſupponit conſultationem. Qui enim animo deliberato agit, is ante probe expendit, num facere potius, quam non facere debeat, & quomodo facere velit, vel fieri debeat (§. 387.), conſequenter diſquirit, quid ſit agendum, quid non agendum. Enimvero actus intellectus, quo diſquiritur, quid ſit agendum, quid non agendum conſultatio eſt (§. 498. *part. 1. Theol. nat.*). Animus adeo deliberatus præſupponit conſultationem.

Quem conſultationem diximus (§ 498. p. 1. *Theol. nat.*) intellectus actum, eum etiam *Deliberationem* appellare ſolemus. Hinc *Cicero*, qui amat copiam verborum, conſultationem & deliberationem conjungere ſolet. Nobis igitur hic perinde eſt, ſive dicas, animum deliberatum præſupponere conſultationem, ſive dicere malis, eum præſupponere deliberationem. Hinc etiam *animus deliberatus* poterat definiri per actum voluntatis, quem præceſſit deliberatio, vel conſultatio, ſiquidem vocabula pro ſynonymis habere velis, retenta definitione, quam dedimus *loc. cit.*

§. 389.

Quid indeliberatus. ***Animus indeliberatus nullam ſupponit conſultationem, ſeu deliberationem.*** Etenim qui animo indeliberato agit, is facit, quod num potius faciendum, vel non faciendum ſit, & quomodo id fieri debeat, nondum probe expendit (§. 387.), conſequenter non diſquirit, quid ſit agendum, quid non agendum. Quoniam itaque actus intellectus, quo diſquiritur, quid ſit agendum, quid non agendum, conſultatio, ſive deliberatio eſt (§. 498. *p.* 1. *Theol. nat.* & *not.* §. 388.); animus indeliberatus nullam præſupponit conſultationem, ſeu deliberationem.

Hinc *animus deliberatus* definiri poterat per actum voluntatis, quem nulla præcedit deliberatio, & *animo indeliberato fit*, quod nulla prævia deliberatione fit.

§. 390.

Obligatio ad animum deliberatum in agendo. ***Homo nil agere debet abſque animo deliberato.*** Obligatur enim ad recte agendum (§. 189. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum ad actionem rectam requiratur notio actionis ſufficienter determinata, judicium verum de actionis bonitate & malitia, volitio actionis bonæ & nolitio malæ, determinatio voluntatis per bonitatem, noluntatis per malitiam actionis, non vero factæ per rationes, ob quas bonum verum repræſentatur tanquam apparens & malum verum tanquam malum apparens, omneſque motus ad actionem externam requiſiti prompte produci debeant (§. 80. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Antequam igitur agat, diſquirendum eſt, num ſit agendum, cur ſit agendum & quomodo ſit agendum, conſequenter conſultandum (§. 498. *part.* 1. *Theol. nat.*), ſeu deliberandum (*not.* §. 388.). Enimvero animo deliberato fit, quod prævia conſultatione ſeu deliberatione fit (§. 388. 389.). Homo igitur omnia agere debet animo deliberato, conſequenter nil agere debet animo indeliberato.

De actione deliberata ejuſque ab indeliberata differentia jam egimus alias (§. 601. & *ſeqq. part.* 1. *Philoſ. pract. univ.*), eo potiſſimum fine, ut clarius conſtaret, quantum actiones noſtræ nobis imputandæ veniant. Hic vero oſtendimus obligationem omnem facultatum noſtrarum uſum in id convertendi, ut actiones omnes ſint deliberatæ: cui obligationi ut ſatisfaciamus, inprimis probe perpendenda ſunt, quæ de Conſultationum (§. 602. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), & hinc manantibus actionum deliberatarum ſpeciebus dicta ſunt (§. 604. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Animus vero deliberatus actionem externam efficit deliberatam, ſeu actus voluntatis eſt, quæ in actione deliberata adeſſe debet. Conſtat enim actionem humanam conſtare ex actibus intellectus, voluntatis vel noluntatis atque facultatis locomotivæ (§. 70. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & quatenus ex Pſychologia diſcimus, facultates ſuperiores carere non poſſe miniſterio inferiorum, ſed actibus intellectus & voluntatis ac noluntatis accedere quoque actus facultatum inferiorum.

§. 391.

Translatio juris & promiſſio quod exigat animum deliberatum. Quoniam *homo* nil agere debet abſque animo deliberato (§. 390.), *nec jus quoddam in alterum*, conſequenter *nec jus ipſum cogendi*, ut aliud jus in ſe transferat, ſeu *ad dandum & faciendum transferre debet abſque animo deliberato.* Quamobrem cum in promiſſione promiſſor transferat in promiſſarium jus a ſe exigendi promiſſum, ſeu ut eidem addatur factum (§. 361.); *promiſſio fieri non debet abſque animo deliberato.* Similiter quia alteri ſeſe perfecte obligat, qui jus ſe cogendi ad dandum vel faciendum in eum transfert (§. 236. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *nemo ſeſe alteri ad dandum vel faciendum perfecte obligare debet niſi animo deliberato.*

Nemo non videt nos hic loqui de obligatione interna, quæ in conſcientia ſpectatur (§. 656. *part.* 1.

part. 1. Jur. nat.); & cujus habenda ratio eſt in Jure naturali, quod urget actionum humanarum rectitudinem (§. 189. *part. 1 Phil. pract. univ.*), conſequenter etiam rectitudinem in promittendo & alteri ſeſe perfecte obligando. Huic vero locum eſſe non poſſe abſque prævia conſultatione ſeu deliberatione, quæ ad animum deliberatum requiritur (§. 387.), partim ex requiſitis actionis rectæ (§. 80. *p. 1. Phil. pract. univ.*), partim ex naturali obligatione, qua aliis ad dandum vel faciendum tenemur, intelligitur (§. 127. 129.).

§. 392.

Quoniam nemo quicquam agere debet abſque animo deliberato (§. 390.); *Animus deliberatus ad acceptationem requiſitus.* *acceptatio* quoque *fieri debet animo deliberato*, conſequenter cum ad validitatem promiſſionis requiratur acceptatio promiſſarii (§. 365.); *promiſſarius etiam promiſſum acceptare non debet abſque animo deliberato.*

Quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus, ad præſentem quoque trahenda ſunt. Equidem vulgo animum deliberatum ad acceptationem non requirunt Autores, nec is neceſſarius videri poterat; patebit tamen ex ſubſequentibus eum non minus neceſſarium eſſe in acceptando, quam in offerendo, ſiquidem obligationi naturali ſatisfacere velimus quoad rectitudinem actionis: neque enim acceptatio minus habet ſuam rectitudinem, quam actiones ceteræ.

§. 393.

Nemo ſeſe alteri perfecte obligare poteſt niſi promittendo. Etenim homines ſeſe *Modus ſeſe alteri perfecte obligandi.* invicem obligare non poſſunt niſi ad dandum vel faciendum (§. 358.). Quodſi ergo te alteri obligare velis, ut alteri conſtet, quid & ad quod ipſi te obligare velis, neceſſe eſt ut ſufficienter declares, quid dare vel facere velis, cumque perfecte ipſi te obligare non poſſis niſi transferendo jus a te exigendi, ut des vel facias, quod ipſi te dare vel facere velle declaras (§. 362. *part. 1. Phil. pract. univ.*), in eum transferre debes jus ad dandum vel faciendum te compellendi. Enimvero qui ſufficienter declarat, ſe alteri quid dare vel facere velle, & in eum transfert jus ipſum ad dandum vel faciendum compellendi, is eidem quid promittit (§. 361.). Quamobrem patet, neminem ſeſe alteri perfecte obligare poſſe niſi promittendo.

Si alteri quidpiam dare vel facere conſtituiſti, aut ſtatim das vel facis, aut futuro tempore dare vel facere vis. In caſu priori obligatio dandi vel faciendi nulla contrahitur, ſed tantummodo in poſteriori. Quamobrem cum ex demonſtratione appareat, in poſteriori caſu non poſſe contrahi obligationem niſi promittendo; quatenus nimirum ea perficitur ex parte tua, nullus quoque ne fingi quidem poteſt caſus, quo alteri te perfecte obligare aliter poſſis, quam promittendo.

§. 394.

Promiſſor probe expendere debet, num re, quam dare promittit, ipſemet indigeat, & num tunc, quando facere promittit, ſibi vacaturum ſit, ac præterea num hoc dando vel faciendo promiſſario, deſit officio cuidam erga ſeipſum, vel erga alios. *Quænam eſſe debeat deliberatio promiſſoris.* Quamvis enim homines ſibi mutuo ad dandum vel faciendum obligentur, prouti unusquiſque indiget re vel opera alterius (§. 124.); nemo tamen tenetur alteri dare id, quo ipſe opus habet (§. 127.), nec obligatur alteri ad faciendum, ſi ſibi non vacat (§. 129.). Jam promiſſor ſeſe obligat promiſſario ad dandum vel faciendum perfecte (§. 363.), & hoc facere debet animo deliberato (§. 391.). Quamobrem cum id, quod animo deliberato fit, probe expendendum ſit, antequam decernatur (§. 387.); promiſſor probe expendere debet, num re, quam dare promittit, ipſemet indigeat, & num tunc, quando facere promittit, ſibi vacaturum ſit. Et quia nil agendum, quod ullo modo contra officium

erga ſeipſum vel alios eſſe poteſt (224. 226. 242. *part. 1. Phil. pract. univ.*); probe etiam perpendendum eſt promiſſori, num dando vel faciendo deſit officio cuidam erga ſeipſum, vel erga alios.

In caſu particulari facile apparet; num deſis officio cuidam vel erga teipſum, vel erga alios, hoc dando vel faciendo promiſſario. Poterat hoc prorſus omitti, propterea quod ipſe indiges re, quam dare alteri promittis, ſi ea carens officio cuidam erga teipſum, vel erga alios deeſſe debes. Enimvero non inconſultum duximus monere, expendenda eſſe omnia erga teipſum & alios officia, ſiquidem conſtare debat, num circa promiſſum quid deſiderari poſſit, ut excitetur attentio ad ea, quæ in deliberatione diſcutienda ſunt. Tu in præſenti, immo quamdiu vives, commode carere potes eo, quod alteri dare promittis homini, qui nulla cognatione te attingit, nec ullo modo de te bene meritus; aſt habes liberos, quibus rectius proſpicere poteras, immo debebas. Dando igitur dees officio boni parentis erga liberos tuos. Ceterum hæc deliberatio inſtituenda, quatenus obligationis internæ habenda ratio, ne externa eidem adverſetur.

§. 395.

Quænam promiſſarii. *Promiſſarius probe expendere debet, num re, quam ipſi offert promiſſor, vel eo, quod facere promittit, indigeat, & annon alius, qui jus ad id, quod offertur, ſibi a promiſſore acquirere poterat, eodem magis habeat opus, vel etiam nonniſi incommodo ſuo hoc præſtare poſſit promiſſor, & num in acceptando promiſſo forſan deſit officio cuidam erga ſeipſum, vel erga alios.* Etenim naturaliter homines ſibi mutuo ad dandum & faciendum non obligantur, niſi quatenus unusquisque indiget re vel opera alterius (§. 124.), nec ulli competit jus petendi ab altero, quod ipſemet ſibi facere poteſt (§. 233. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem promiſſarius probe perpendere debet, num re, quam ipſi offert promiſſor vel eo, quod ſe facturum promittit, indigeat, antequam ſuo conſenſu eundem ſibi ad dandum vel faciendum perfecte obliget (§. 357.), conſequenter quod offertur acceptet (§. 381.). Similiter cum alterum amare debeamus tanquam noſmetipſos (§. 619. *part. 1. Jur. nat.*), adeoque ex ipſius felicitate eandem voluptatem percipere debeamus, quam ex propria percipimus (§. 633. *Pſych. empir.*); promiſſarius quoque perpendere debet, annon alius, qui jus ad id, quod offertur, ſibi a promiſſore acquirere poterat, eodem magis habeat opus, vel etiam promiſſor nonniſi incommodo ſuo hoc præſtare poſſit, antequam promiſſum acceptet. Et quia nil agendum, quod ullo modo contra officium erga ſeipſum, vel alios eſſe poteſt (§. 224. 226. 242. *p. 1. Phil. pract. univ.*); idem probe quoque perpendere debet, num in acceptando promiſſo forſan deſit officio cuidam erga ſeipſum, vel erga alios.

Quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus, ea ad præſentem quoque trahenda ſunt. Ex propoſitione autem præſente intelligitur, quænam ſit illa conſultatio, quæ acceptationem præcedere vel comitari debet, ut animo deliberato fiat (§. 392.) Paradoxum forſan videbitur, promiſſa liberalia acceptanda non eſſe, ſi eorum præſtatio ſit promiſſori gravis, vel alios eſſe, qui eodem beneficio magis habeant opus. Enimvero hi ſunt, qui mutuum illum amorem, ad quod homines etiam naturaliter ſibi invicem obligantur, & quem Chriſtus tanquam genuinum ſibi addictorum characterem eſſe voluit, non ſatis inſpiciunt. Homo obligatur ad conſcientiam ſuam cuſtodiendam (§. 610. *part. 2. Phil. pract. univ.*), quomodo vero cuſtodiatur, ex ſyſtemate legum naturalium addiſcendum (§. 599. *part. 2. Phil. pract univ.*), conſequenter in eodem etiam demonſtranda ſunt, quæ ad obligationem internam ſpectant (§. 656. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi verearis, ne hoc pacto confundantur, quæ ad jus illud externum ſpectant, quod inter homines viget, cum iis, quæ ad virtutem pertinent; inanis omnino eſt metus tuus. Etenim externam obligationem & quod ei reſpondet jus ab interna obligatione, quæ conſcientiam reſpicit, accurate ſeparamus, quemadmodum ex anteriore tractatione eluceſcit, & ex ſecutura non minus eluceſcet. Ut enim hæc a ſe invicem diſcernantur, non obſtat, quod una eademque opera pertractentur. Immo ex demonſtrationibus noſtris patet, jus iſtud externum non reduci poſſe ad ſuos fontes, niſi obligationis internæ ac eidem reſpondentis Juris habeatur ratio. Ut vero fons externi illius juris in apricum producatur, ſequentia addere lubet.

§. 396.

§. 396.

Jus externum dicitur, quod oritur ex obligatione externa: unde eidem opponitur *internum*, quod oritur ex obligatione interna. *Jus externum & internum quodnam ſit.*

Interna obligatione homines ſibi invicem obligantur ad dandum & faciendum, prout unusquiſque indiget re vel opera alterius (§. 124.), nec dantem eadem tenet indigentia (§. 127.), vel facienti vacat (§. 129.). Enimvero homines ſeſe ſibi invicem perfecte obligant ad dandum vel faciendum promittendo (§. 393.), & hæc obligatio externa eſt (§. 656. *part. 1. Jur. nat.*). Jus, quod ex illa obligatione oritur, internum eſt; quod vero ex hac ortum trahit externum. Suo loco patebit, leges civiles diſponere de obligatione externa & jure externo. Atque inde eſt, quod jus externum ſimpliciter & per excellentiam Jus dicatur, & vulgo affirmetur, jus internum nonniſi improprie jus dici, quamvis inconſtantia quadam loquendi, quæ ideo obtinet, quod differentiis rerum non ſatis perſpectis genera & ſpecies rerum determinentur.

§. 397.

Omne jus externum perfectum eſt. Jus enim externum oritur ex obligatione externa (§. 396.). Quamobrem cum obligatio externa alteri tribuat jus te cogendi, ut obligationi ſatisfacias, niſi eidem ſponte ſatisfacere velis (§. 656. *part. 1. Jur. nat.*), jus vero, quod conjunctum eſt cum jure cogendi alterum, ſi obligationi ſuæ ſatisfacere noluerit, perfectum ſit (§. 235. *part. 1. Phil. pract. univ.*); jus omne externum perfectum eſt. *Jus externum quale ſit.*

Quodſi homines in univerſum omnes omni ſtudio in id eniterentur, ut obligationi internæ, quæ in conſcientia ſpectatur (§. 656. *p. 1. Jur. nat.*), & cum naturali, quæ a lege naturæ immediate venit, eadem eſt, ſatisfacerent, omnem vim illius obligationis penitus perſpicerent, ne per ignorantiam contra eam agerent; nulla obligatione externa naturali contradiſtincta foret opus, conſequenter nec jus externum ab interno unquam differret. Enimvero quoniam non omnes obligationi internæ ſatisfaciunt, ideo neceſſe eſt jure cogendi eum, qui ſua ſponte eidem ſatisfacere non vult, ut ſatisfaciat. Quamobrem ubi iſtiuſmodi jus a natura nobis non tributum adverſus alterum, quod repugnaret libertati naturali, quemadmodum de obligatione ad officia humanitatis oſtendimus (§. 660. *part. 1. Jur. nat.*); neceſſe eſt ut homines ex promiſſione alterius jus iſtiuſmodi acquirant, quando eodem habent opus (§. 361. 393.). Immo videbimus etiam, quod facto hominum introduci debuit jus externum, ubi internum deficit. Ceterum cum jus externum omne perfectum ſit, jus autem perfectum involvat jus cogendi nobis obligatum ad præſtandum, quod præſtare tenetur; a nonnullis jus externum *jus coactivum* ſeu *cogens* appellari ſolet, non tamen ſatis accurate.

§. 398.

Jus externum derivatur ex jure libertatis naturalis. Jus enim externum ſpectatur in actionibus, quæ reſpiciunt alios (§. 657. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero nemo hominum naturaliter obligatur alteri ad eum quocunque modo juvandum, ut conſequatur animi, corporis ac fortunæ bona, niſi quantum in poteſtate tua eſt & quando alter ipſius ope indiget (§. 612. *p. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum vi libertatis naturalis judicio tuo relinquendum ſit, num quid in poteſtate tua poſitum ſit, & quid de indigentia alterius ſtatuas, ubi nullum jus perfectum allegare valet (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*), & tuæ conſcientiæ committendum ſit, quid agere velis (§. 157. *part. 1. Jur. nat.*); in voluntate tua acquieſcere debet, qui ſibi quid dari vel fieri vellet. Quamvis adeo in poteſtate tua poſitum eſt, ut des vel facias, & alter eo indiget, quod petit; non tamen ideo te ad dandum vel faciendum compellere poteſt. Ut igitur jus libertatis naturalis in tuto ſit, nec quicquam contra idem committatur, quod fieri minime debet (§. 910. *part. 1. Jur. nat.*), ideo neceſſe eſt, ut mutuo conſenſu introducatur obligatio perfecta (§. 357.); adeoque externa (§. 656. *p. 1. Jur.* *Fons juris externi.*

Jur. nat.), ex qua oritur jus perfectum externum (§. *cit.*). Atque adeo liquet, jus externum derivari ex jure libertatis naturalis.

Equidem quod hic oſtenditur, per demonſtrationes præcedentes abunde jam patere poterat: quoniam tamen non omnes eam afferunt attentionem, quæ ad omnem earum ambitum perſpiciendum ſufficit, ideo non inconſultum duximus ea addere, quæ originem juris externi, quatenus interno opponitur & ab eo abire poteſt, declarant, ne quid prætermiſiſſe videamur, quod ad intellectum juris naturalis facit. Notandum vero nos hic aperire fontem juris externi, unde tanquam rivuli fluunt rationes particulares, quæ in caſibus particularibus dantur, quemadmodum facile deprehendent, qui ad filum demonſtrationum noſtrarum per totum Jus naturæ animum attendunt. Abſit adeo exiſtimes in caſu quovis particulari rationem juris externi ab interno differentis immediate libertatem naturalem allegari poſſe: quod quam ſit abſonum, neminem fugit, qui tota vi methodi demonſtrativæ perſpecta veritatum a ſe invicem dependentium agnovit.

§. 399.

Differentia obligationis ſandi & faciendi.

Obligatio mutua dandi & faciendi naturalis connata eſt; ſed quæ mutuo conſenſu perficitur contracta. Homines enim ſibi invicem obligantur ad dandum & faciendum, prouti unuſquiſque indiget re vel opera alterius (§. 124.), conſequenter ſi nemo indiget re vel opera alterius, nec ipſi ad dandum vel faciendum quiſquam obligaretur, adeoque ſibi invicem ad dandum vel faciendum obligantur, quia unus indiget re & opera alterius. Mutua igitur illa dandi & faciendi obligatio ex obligatione deſcendit, quæ rationem proximam in ipſa hominis eſſentia atque natura agnoſcit (§. 221. 222. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque connata obligatio eſt, quæ ex obligatione deſcendit rationem proximam in ipſa hominis eſſentia atque natura agnoſcente (§. 17. *part. 1. Jur. nat.*); obligatio mutua dandi & faciendi naturalis connata eſt. *Quod erat primum.*

Porro quæ mutuo conſenſu perficitur obligatio ſupponit promiſſum perſonæ, quæ ſe alteri obligat (§. 393.), & acceptationem ejus perſonæ, cui iſta obligatur (§ 365.), conſequenter ex obligatione rationem proximam in ipſa hominis eſſentia atque natura habente per ſe non deſcendit, ſed facto demum quodam interveniente. Quoniam itaque iſtiuſmodi obligatio contracta eſt (§. 18. *part. 1. Jur. nat.*); quæ mutuo conſenſu perficitur obligatio contracta eſt. *Quod erat alterum.*

Non eſt quod excipias, obligationem mutuam dandi & faciendi ſupponere dominia (123.), dominia vero non natura eſſe conſtituta, quippe quæ res omnes communes facit (§. 7. *part. 2. Jur. nat.*), non ſingulorum (§. 8. *part. 2. Jur. nat.*), ſed facto demum humano interveniente fuiſſe acquiſita (§. 175. 174. *part. 2. Jur. nat.*), conſequenter mutuam iſtam dandi & faciendi obligationem contractam eſſe, non connatam (§. 17. 18. *p. 1. Jur. nat.*). Etenim factum iſtud humanum non reſpicit obligationem mutuam dandi & faciendi, ſed jus quoddam acquiſitum (§. 35. *part. 1. Jur. natur.*), circa quod deinceps obligatio naturalis, quæ vigebat ante dominiorum introductionem (§. 220. 221. *part. 1. Phil. pract. univ.*), vim ſuam exerit (§ 123.), quippe quæ dominiis introductis adhuc ſubſiſtit, tanquam in ſe immutabilis (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Clariſſime hoc elucet ex demonſtratione, qua mutuam iſtam obligationem ad dandum & faciendum dominiis introductis evicimus (§. 123.), modo eam revidere velis: neque enim hanc inferimus niſi ex obligatione, qua aliis tenemur ante dominiorum introductionem per eſſentiam & naturam noſtram (§. 221. *p. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 400.

An ex obligatione connata dandi & faciendi debitum denegari poſſit.

Si quod ex obligatione mutua dandi & faciendi connata tibi debetur, tibi denegatur; hoc tibi ferendum. Etenim quod tibi ex hac obligatione debetur, ad id nonniſi jus imperfectum habes (§. 399. 355.), conſequenter ſi id tibi denegatur, denegantem ad dandum vel faciendum vi compellere nequis (§. 237. *p. 1. Phil. pract. univ.*). Ferendum igitur tibi eſt, ut denegetur id, quod ex obligatione dandi & faciendi connata tibi debetur.

De-

Debetur tibi id, quo tu indiges & alter carere poteſt, & quod facere ipſi vacat (§. 134. 137. 139.). Atque adeo peccat alter, ſi id tibi denegat (§. 440. *part. 1. Phil. pract. univ.*): vi tamen libertatis naturalis conſcientiæ ipſius relinquendum quid agat (§. 157. *p. 1. Jur. nat.*), nec is tibi rationem reddere tenetur, cur deneget (§ 158. *part. 1 Jur. nat.*). Quamvis adeo notis & tuam indigentiam, & potentiam agendi phyſicam alterius, in voluntate tamen ipſius acquieſcendum tibi eſt, adeoque ferendum, ut deneget, quod denegare non debebat.

§. 401.

Imperfecte debitum dicitur, ad quod tibi nonniſi jus imperfectum eſt: *perfecte* autem *debitum* appellatur, ad quod tibi jus perfectum eſt. Quamobrem cum tibi imperfecte alterum obliges ad id, ad quod tibi jus imperfectum eſt (§. 238. *part. 1. Phil. pract. univ.*), perfecte autem ad id, ad quod tibi jus perfectum eſt (§. 236. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *imperfecte debetur, quod ex obligatione imperfecta debetur, at perfecte debetur, quod debetur ex obligatione perfecta.*

Imperfecte & perfecte quid debeatur.

Debitum in genere dicitue id, ad quod agendum obligamur (§. 170. *p. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum obligatio alia perfecta ſit, alia imperfecta (§. 237. 238. *p. 1. Phil. pract. univ.*), aliud quoque eſſe debet perfecte debitum, aliud imperfecte debitum. Etſi adeo vulgo nonniſi debitum appelletur, quod perfecte debetur, & quando ſimpliciter debitum dicimus, id de perfecte debito intelligatur; hoc tamen minime obſtat, quo minus etiam debitum appelletur, ad quod alteri nonniſi in conſcientia tenemur. Uſui hoc inprimis eſt in Moralibus; ubi conſcientiæ ratio habenda, ne ſui arbitrii quis eſſe exiſtimet, quod neceſſitatis eſt, ſi conſcientiam reſpicis. Quanti interſit, videbimus ſuo loco. Nec difficile foret oſtendere, Chriſtum quoque ad debita referre, quæ imperfecte debita hic appellantur. Ceterum ne quem offendat imperfecte debiti appellatio, ea relegenda ſunt, quæ alibi annotavimus, cum differentiam inter obligationem externam & internam explicaremus (*not. §. 656. part. 1. Jur. nat.*)

§. 402.

Quoniam tibi ad id, quod ex obligatione naturali, conſequenter connata (§. 399.), dandi & faciendi tibi debetur, nonniſi jus imperfectum habes (§. 355.), imperfecte autem tibi debetur id, ad quod nonniſi jus imperfectum habes (§. 401.); *Quod ex mutua dandi & faciendi obligatione naturali, ſeu connata tibi debetur, id nonniſi imperfecte debetur.*

Quale ſit debitum ex obligatione dandi & faciendi connata.

Videmus adeo quale ſit debitum, quod ex obligatione connata dandi vel faciendi deſcendit (§. 401.), nimirum imperfectum, quod exigi non poteſt.

§. 403.

Enimvero quoniam mutuo conſenſu ad dandum & faciendum perfecta efficitur obligatio (§. 357.), perfecte autem debetur, quod ex obligatione perfecta debetur (§. 401.), & contracta eſt obligatio, quæ mutuo conſenſu perficitur (§. 399.); *quod ex obligatione dandi vel faciendi mutuo conſenſu perfecta, ſeu contracta debetur, id perfecte debetur.*

Quale ſit debitum ex obligatione contracta.

Hæc differentia inter originem perfecte debiti & imperfecte debiti probe tenenda. Plurimum enim facit ad omnem rationem legum poſitivarum intimius perſpiciendam & moralitatis a juſtitia externa differentiam penitus cognoſcendam.

§. 404.

Quoniam quod ex mutua dandi & faciendi obligatione naturali ſeu connata debetur, nonniſi imperfecte debetur (§. 402.), quod vero ex obligatione mutuo conſenſu perfecta, ſeu contracta debetur, perfecte debetur (§. 403.); *mutuo con-*

Vis obligationis contractæ dandi & faciendi.

ſenſu

ſenſu efficitur, ut, quod imperfecte debebatur, jam debeatur perfecte, ſeu *obligatio contracta ex imperfecte debito facis perfecte debitum*.

Atque adeo vides, quænam ſit neceſſitas contrahendi obligationem, etiamſi alter tibi naturaliter jam obligatus ſit, quamvis illa neceſſitas non oriatur ex hoc fonte ſolo; prouti ex ſequentibus eluceſcit, & ex anterioribus jam pateт acutioribus.

§. 405.

Qualis ſit obligatio dandi & faciendi connata & contracta.

Obligatio dandi & faciendi connata interna eſt, contracta vero externa. Etenim quod ex obligatione dandi & faciendi connata tibi debetur, ſiquidem id tibi denegetur, ferendum tibi eſt (§. 400.), conſequenter obligatio iſta tantummodo tenet agentem in conſcientia, nec ullum inter homines effectum juris ſortitur. Quoniam itaque obligatio, quæ tantummodo in conſcientia ſpectatur, nec ullum inter homines effectum juris producit, interna eſt (§. 656. *part.* 1. *Jur. nat.*); obligatio dandi & faciendi connata interna eſt. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam obligatio, quæ mutuo conſenſu perficitur, adeoque contracta (§. 399.), perfecta eſt (§. 357.), ad id vero tibi jus perfectum competit, ad quod perfecte tibi obligor (§. 236. *part.* 1. *Philoſoph. pract. univ.*); obligatio contracta effectum juris inter homines producit & inter eos ſpectatur. Quamobrem cum externa ſit obligatio, quæ inter homines ſpectatur & inter eos effectum juris ſortitur (§. 656. *part.* 1. *Jur. nat.*); obligatio dandi & faciendi contracta externa eſt. *Quod erat alterum.*

§. 406.

Juris interni & externi quoad dandum & faciendum origo.

Quoniam jus externum eſt, quod ex obligatione externa reſultat, internum vero, quod ex interna oritur (§. 396.), obligatio vero dandi & faciendi connata interna eſt, contracta vero externa (§. 405.); *jus, quod datur tibi ex obligatione dandi vel faciendi connata, internum eſt, quod vero tibi competit vi obligationis contractæ, qua alter tibi tenetur, externum eſt.*

Videmus adeo niſi homines mutuo conſenſu contraherent obligationes, & jura ſibi acquirerent, nullum fere fore jus externum, conſequenter perinde fore, ac ſi jus nullum vigeret inter homines, propterea quod juris interni nullus foret effectus.

§. 407.

Jus belli in eum nullum, qui obligationi naturali præſtandi non ſatisfacit.

Naturaliter nemini competit jus belli adverſus eum, qui ipſi denegat id, ad quod dandum vel faciendum naturaliter eidem obligatur. Etenim ad id, ad quod quis tibi dandum vel faciendum naturaliter obligatur, nonniſi jus imperfectum competit (§. 355.), conſequenter nullum tibi competit jus eum cogendi, ut det vel faciat (§. 237. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero jus cogendi alterum, ut det vel faciat id, ad quod dandum vel faciendum obligatus eſt, jus belli eſt (§. 687. *part.* 2. *Jur. nat.*): Ergo naturaliter tibi non competit jus belli adverſus eum, qui tibi denegat id, ad quod dandum vel faciendum naturaliter obligatur.

Loquimur hic de ſtatu naturali, in quo non vigent niſi naturalia jura (§. 125. *part.* 1. *Jur. nat.*). Ex iis autem, quæ de ſtatu naturali demonſtrantur, ea deducenda ſunt, quæ ſtatui civili conveniunt.

§. 408.

Digitized by Google

§. 408.

Naturaliter homini competit jus belli adverſus eum, qui præſtare non vult id, ad quod ipſi præſtandum ſuo conſenſu obligatur. Etenim ad id, ad quod quis tibi præſtandum, ex conſenſu obligatur, tibi præſtandum perfecte obligatur (§. 357.), adeoque tibi competit jus ipſum cogendi ad præſtandum, ſi obligationi ſuæ ſatisfacere noluerit (§. 236. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Sed jus cogendi alterum ut id præſtet, ad quod præſtandum tibi obligatur, jus belli eſt (§. 687. *part. 2. Jur. nat.*). Ergo tibi naturaliter competit jus belli adverſus eum, qui id præſtare non vult, ad quod tibi præſtandum ex conſenſu obligatur.

Jus belli in eum, qui præſtare non vult id, ad quod mutuo conſenſu obligatur.

Utemur principiis iſtis tum ad ſtabilienda jura gentium, tum poſitiva in ſtatu civili.

§. 409.

Denegatio perfecte debiti eſt juſta cauſa belli, imperfecte debiti non eſt. Etenim jus belli naturaliter datur adverſus eum, qui id præſtare non vult, ad quod præſtandum tibi ex conſenſu obligatur (§. 408.), non vero adverſus eum, qui nonniſi naturaliter tibi obligatur (§. 407.). Enimvero quod tibi naturaliter debetur, id nonniſi imperfecte debetur (§. 402.); quod vero debetur vi obligationis ex conſenſu, perfecte debetur (§. 403.). Ergo jus belli tibi datur adverſus eum, qui perfecte tibi quid debet, non vero qui debet imperfecte, conſequenter denegatio perfecte debiti juſta cauſa belli eſt, imperfecte debiti denegatio non eſt.

Cujusnam debiti denegatio ſit juſta belli cauſa.

Nempe ſi tibi denegatur quod ex obligatione mutua dandi & faciendi naturali tibi debetur, conſequenter quod debetur imperfecte (§. 402.), hoc tibi ferendum eſt (§. 400), adeoque jus belli nullum adverſus eum tibi competit: ſi enim competeret, ferendum id tibi non erat.

§. 410.

Obligatio mutua dandi & faciendi naturalis officium humanitatis eſt. Eſt enim officium erga alios, quibus aliorum perfectio promovetur (§. 226. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 124.). Quamobrem cum iſtiuſmodi officium humanitatis ſit (§. 655. *part. 1. Jur. nat.*); obligatio mutua dandi & faciendi naturalis officium humanitatis eſt.

Quale officium ſit naturalis obligatio mutua dandi & faciendi.

Hinc inferri poterat, obligationem mutuam dandi & faciendi naturalem nonniſi imperfectam eſſe (§. 659. *part. 1. Jur. nat.*), immo ut ſit perfecta repugnare libertati naturali (§. 660. *part. 1. Jur. nat.*), neque obligationi iſti eſſe locum, ubi re danda vel facienda non indiges (§. 661. *p. 1. Jur. nat.*), neque etiam tibi competere jus ad dandum vel faciendum alterum naturaliter tibi tantummodo obligatum cogendi (§. 658. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter adverſus hunc non dari jus belli (§. 687. *part. 2. Jur. nat.*), quæ ſingula aliter demonſtravimus in anterioribus (§. 354. 124 355. & 407.), ut tanto evidentius pateret veritas. In moralibus enim danda eſt opera, ne quid obſcuritatis relinquatur, nec quicquam deſit evidentiæ ad aſſenſum extorquendum requiſitæ.

§. 411.

Denegatio ejus, quod ex obligatione mutua dandi & faciendi naturali debetur, ſeu imperfecte debiti, non eſt læſio. Etenim præſtatio ejus, quod ex obligatione mutua dandi & faciendi naturali, conſequenter imperfecte debetur (§. 402.), officium humanitatis eſt (§. 410.), conſequenter qui debitum iſtiuſmodi præſtare non vult, officium humanitatis tibi denegat. Enimvero denegatio officii humanitatis læſio non eſt (§. 671. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem nec denegatio

An denegatio imperfecte debiti ſit læſio.

ejus, quod ex obligatione mutua dandi & faciendi naturali debetur, ſeu imperfecte debiti, læſio non eſt.

§. 412.

An ſit peccatum.

Si alteri præſtare non vis, quod ex obligatione mutua dandi & faciendi naturali, ſeu imperfecte debes, peccas. Patet nimirum ut ante (§ 411.), te alteri officium humanitatis denegare, ſi præſtare non vis, quod ex obligatione mutua dandi & faciendi naturali, ſeu imperfecte debes. Sed qui alteri denegat officium humanitatis peccat (§. 672. *part. 1. Jur. nat.*). Peccas igitur, ſi alteri præſtare non vis, quod ex obligatione mutua dandi & faciendi naturali, ſeu imperfecte debes.

Etſi adeo denegatio imperfecte debiti non ſit læſio (§. 411.), neque ideo repugnet legi prohibitivæ de non lædendis aliis (§. 695. *part. 1. Jur. natur.*) peccatum tamen eſt *vi præſentis*, quatenus repugnat legi præceptivæ de aliorum perfectione pro virili promovenda (§. 223. *p. 1. Phil. pract. univerſ.*).

§. 413.

An ſit injuria.

Denegatio ejus, quod ex obligatione mutua dandi vel faciendi naturali ſeu imperfecte debetur, injuria non eſt. Etenim ad id, ad quod dandum vel faciendum alter tibi naturaliter obligatur, conſequenter quod ex naturali iſta obligatione, adeoque imperfecte (§. 402.), debetur (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*), jus nonniſi imperfectum competit (§. 355.), conſequenter perfectum nullum habes. Quamobrem denegatio ejus, quod ex obligatione mutua dandi vel faciendi naturali ſeu imperfecte debetur, non fit contra jus tuum perfectum. Enimvero quod contra jus tuum perfectum non fit, injuria non eſt (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*). Denegatio igitur ejus, quod ex mutua obligatione dandi & faciendi naturali, ſeu imperfecte debetur, injuria non eſt.

§. 414.

An ſit juſta cauſa belli.

Quoniam juſta cauſa belli non eſt niſi injuria facta, vel facienda (§. 1109. *part. 1. Jur. nat.*), denegatio autem ejus, quod ex mutua obligatione dandi & faciendi naturali, ſeu imperfecte debetur, injuria non eſt, (§. 413.); *denegatio ejus, quod ex mutua dandi vel faciendi obligatione, ſeu imperfecte debetur, juſta belli cauſa non eſt*: quod jam ante aliter oſtendimus (§. 409.).

Hinc etiam denuo patet, quod jam ante (§. 407.), aliter demonſtravimus, natura nemini competere jus belli adverſus eum, qui denegat, quod ex mutua dandi vel faciendi obligatione, ſeu imperfecte debet. Ceterum propoſitionem præſentem inferre poteramus quoque ex eo, quod præſtatio eorum, quæ ex mutua dandi & faciendi obligatione naturali debentur, ſit officium humanitatis (§. 410.), cujus denegatio juſta belli cauſa non eſt (§. 1118. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 415.

An tribuat jus puniendi.

Nemini competit jus puniendi eum, qui ipſi denegat id, quod ex obligatione mutua dandi & faciendi naturali, ſeu imperfecte debet. Denegatio enim ejus, quod ex mutua dandi vel faciendi obligatione, ſeu imperfecte debetur, juſta belli cauſa non eſt (§. 414.), ſeu in eum jus belli tibi non competit, qui denegat (§. 407.). Quoniam itaque jus omne puniendi jus belli eſt (§. 689. *part. 2. Jur. nat.*); tibi quoque competere nequit jus puniendi eum, qui tibi denegat id, quod ex obligatione mutua dandi & faciendi naturali, ſeu imperfecte debet. Oſten-

Oſtenditur etiam hoc modo. Qui denegat id, quod ex mutua dandi vel faciendi obligatione naturali, ſeu imperfecte tibi debet, te minime lædit (§. 411.). Enimvero jus puniendi, quod homini natura competit, in eum ipſi datur, qui læſit (§. 1061. *part. 1. Jur. nat.*). Ergo natura tibi non competit jus puniendi eum, qui denegat id, quod ex mutua dandi vel faciendi obligatione naturali, ſeu imperfecte debet.

§. 416.

Jus denegandi alteri quod petit, quando competat.

Natura homini competit jus id alteri denegandi, ad quod ipſi naturaliter non obligatur. Etenim ſi tibi non obligatus ſum ad hoc præſtandum, moraliter neceſſe non eſt ut id tibi præſtem (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter moraliter poſſibile eſt ut non præſtem (§. 294. 85. *Ontol.*), adeoque tibi denegem. Quoniam itaque facultas agendi, quod moraliter poſſibile, jus eſt (§. 156. *part. 1. Phil. pract. univ.*); natura mihi competit jus tibi denegandi id, ad quod tibi naturaliter obligatus non ſum.

Nimirum quemadmodum neceſſitati egendi phyſicæ opponitur neceſſitas moralis quæ obligatio eſt (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*): ita potentiæ phyſicæ egendi opponitur potentie moralis, quæ jus eſt (§. 156. *part. 1. Phil. pract. univerſ.*). Si moraliter neceſſe eſt, ut agas vel non egas, obligatus es ad agendum, vel non agendum: ſi vero moraliter poſſibile eſt, ut agas vel non egas, jus agendi vel non agendi habes.

§. 417.

Idem ſpecialius exponitur.

Natura nobis competit jus petenti denegandi, quod ſibi præſtari vult, quando qui petit eodem non indiget, vel ipſimet re noſtra indigemus, aut nobis, quod petitur, facere non vacat, vel quando facere non poſſumus. Etenim tibi non obligor ad dandum vel faciendum, aut aliquid præſtandum (§. 80.), quando re vel opera mea non indiges (§. 124.), ſeu quando ipſemet facere potes, quod petis (§. 232. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Neque etiam tibi obligor ad dandum id, quo ipſemet indigeo (§. 127.), vel ad faciendum, ſi mihi non vacat (§. 129.). Immo ad id, quod nobis impoſſibile, ſeu quod facere non poſſumus, nulla eſt obligatio (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero natura nobis competit jus id alteri denegandi, ad quod ipſi naturaliter non obligamur (§. 416.). Ergo natura mihi competit jus tibi denegandi, quod petis ſeu tibi præſtari vis, quando eodem non indiges, vel ego ipſemet re mea indigeo, aut mihi, quod petis, facere non vacat, vel quando facere non poſſum.

Atque in hoc caſu multo evidentius patet, denegando petenti id, quod petit, nullem fieri injuriam, cum non modo alteri non ſit jus ullum, quod violari poſſit, quippe cum deficiat obligatio omnis juris fons (§. 23. *p. 1. Jur. nat.*); verum etiam ego, dum denego, jure meo utor.

§. 418.

Impunitas in agendo quid ſit.

Impune agere dicitur homo, quando ipſi ab aliis permittendum, ut agat, quamvis naturaliter ad contrarium obligetur. Unde *impunitas agendi* eſt libertas ab omni vi coactiva ad agendum contrarium & a pœna ob actionem perpetratam.

Nimirum ſi agere non vis, aut eliis competit jus te compellendi ad egendum, aut jus nullum competit: ſi egiſti, aut aliis competit jus te puniendi, aut jus nullum competit. Quando tibi nullum competit jus alterum cogendi, ut agat, vel non agat, ipſi permittendum eſt, ut agat, vel non aget, prouti viſum fuerit; ſi jus nullum puniendi, ferendum eſt quod egerit, vel non egerit. In utroque caſu acquieſcendum tibi eſt in voluntate alterius, & tunc impune agere dicitur, quod ſibi viſum fuerit.

§. 419.

Quando alteri impune denegatur, quod petit.

Quando petenti denegas id, quo indiget, & quo tu carere potes, vel quod facere tibi vacat; impune hoc facis, ſed non jure. Etenim quando quis a te petit id, quo indiget, & tu hoc ipſi præſtare poſſis ſeu eo, quod petit, carere potes, vel id facere tibi vacat, ad præſtandum, ſeu dandum vel faciendum naturaliter ipſi obligaris (§. 124. 127. 129.), conſequenter præſtare debes, quod petit (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero ſi tibi denegatur, quod ex obligatione mutua dandi & faciendi connata debetur, id tibi ferendum eſt (§. 400.), conſequenter eum ad dandum vel faciendum vi compellere non potes, neque tibi datur jus eum puniendi, quod non dederit vel fecerit (§. 415.). Quamobrem cum in denegando liber ſis ab omni vi coactiva, qua ad non denegandum compelli poteras, neque ab altero ideo puniri poſſis, quod denegaveris, in hac autem libertate impunitas agendi conſiſtat (§. 418.); quando petenti denegas id, quo indiget, & quo tu carere poteras, vel quod facere tibi vacat, impune hoc facis. *Quod erat unum.*

Quod in hypotheſi propoſitionis præſentis denegatur, ad id præſtandum petenti obligaris, *per demonſtrata*. Quamobrem cum moraliter neceſſe ſit ut præſtes (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*), moraliter impoſſibile eſt, ut non præſtes (§. 279. *Ontol.*), conſequenter ut id alteri deneges. Nullum igitur tibi jus denegandi competere poteſt (§. 156. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter quando denegas, hoc nullo jure facis. *Quod erat alterum.*

Impunitas agendi probe diſtinguenda eſt a jure, etſi ſubinde abuſive jus appelletur, ſiquidem conſcientiæ rationem habere volueris, & honeſtas vitæ tibi curæ cordique fuerit. Sane plerique exiſtimant, quod impune fieri poteſt inter homines, id per legem naturalem eſſe licitum, impunitatem agendi cum jure agendi peſſime confundentes, neque putant, dum hoc faciunt, ſe peccare, cum tamen impunitas agendi, quæ in actionibus externis tantummodo ſpectatur, non ſit immunis a peccato, prouti de denegatione imperfecte debitorum paulo ante demonſtravimus (§. 412.)

§. 420.

Abuſus libertatis ferendus num tribuat jus agendi.

Abuſus libertatis naturalis ferendus, ſeu agenti permittendus, non dat jus, ſed tantummodo impunitatem agendi. Etenim homo obligatur ad rectum faciendum juris ſui uſum & ad evitandum abuſum (§. 62. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter etiam ad evitandum abuſum libertatis naturalis, tanquam juris natura nobis competentis (§. 133. 135. 154. *part. 1 Jur. nat.*). Eodem igitur modo, quo in demonſtratione *n.* 2. præcedentis patet, abuſum libertatis naturalis agenti permittendum nullum dare jus agendi. *Quod erat unum.*

Quoniam tamen abuſus libertatis permittendus *per hypoth.* (*vi* §. 157. 158. *part. 1. Jur. nat.*), etſi ad eum evitandum obligemur *per demonſtrata n.* 1. impune vero agit is, cui ab aliis permittendum ut agat, quamvis naturaliter ad contrarium obligetur (§. 418.); abuſus libertatis naturalis agenti permittendus tantummodo dat impunitatem agendi. *Quod erat alterum.*

Licentiam cum libertate confundunt, qui hanc ad abuſum extendunt (§. 150. *part. 1. Jur. nat.*), cum libertas non tollat obligationem naturalem (§. 159. *part. 1. Jur. nat.*), adeoque intra uſum rectum ſubſiſtat (§. 61. *part. 1 Jur. nat.*).

§. 421.

An dominium conti.

Quoniam abuſus rerum domino permittendus ab abuſu libertatis naturalis permittendo pendet, prouti ex demonſtratione ſuo loco allata patet (§. 169. *p. 2. Jur. nat.*),

nat.), abuſus vero libertatis naturalis permittendus non jus continet, ſed tantummodo impunitatem agendi (§. 420.); *dominus re ſua abutitur non jure, ſed tantummodo impune*, conſequenter *dominium non continet jus re ſua abutendi.*

neat jus re ſua abutendi.

Conſtare hoc jam poterat ex eo, quod abuſus rerum ſuarum lege naturali ſit prohibitus (§. 170. *part. 2. Jur. nat.*): neque enim permiſſum eſſe poteſt hac lege, quod eadem prohibitum, quod affirmandum foret, ſi quidem dominium contineret jus abutendi re ſua (§. 170. *part. 1. Philoſ. pract. univ.*).

§. 422.

Num promiſſor omnia probe expenderit, quæ ipſi expendenda ſunt, antequam promittat, de eo non ſtatuendum eſt promiſſario. Cum enim homines natura liberi ſint (§. 146. *part. 1. Jur. nat.*), eorum conſcientiæ relinquendum quid agant (§. 157. *part. 1. Jur. nat.*), nec ulli hominum rationem reddere tenentur actionum ſuarum (§. 158. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem conſcientiæ quoque promiſſoris relinquendum, num omnia probe expenderit, quæ ipſi expendenda ſunt, antequam promiſerit, nec is rationem deliberationis ſuæ reddere tenetur promiſſario. Huic igitur ſtatuendum non eſt, num promiſſor omnia probe expenderit, quæ ipſi expendenda ſunt (§. 394.), antequam promittat.

Cujusnam ſit judicium de prævia promiſſoris deliberatione.

Deliberatio, quæ a promiſſore exigitur vi legis naturalis, in conſcientia ſpectatur, adeoque ad obligationem internam pertinet (§. 656. *p. 1. Jur. nat.*), non ad externam, quæ inter homines attenditur (§. *cit.*). Conſcientiæ vero alienæ nemo natura judex eſt (§. 157. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 423.

Num promiſſarius omnia probe expenderit, quæ ipſi expendenda ſunt, antequam promiſſum acceptet, de eo non ſtatuendum eſt promiſſori. Oſtenditur eodem prorſus modo, quo propoſitionem præcedentem demonſtravimus.

Cujusnam ſit judicium de deliberatione promiſſarii.

Quodſi judicium de deliberatione promiſſarii eſſet promiſſoris & de promiſſoris deliberatione eſſet promiſſarii; ſola obligatio connata ad validitatem promiſſi ſufficeret, nec opus eſſet contracta: id quod repugnat iis, quæ in anterioribus abunde demonſtrata ſunt. Foret etiam obligatio externa cum interna eadem contra ea, quæ paulo ante evicimus (§. 405.), immo nec jus externum diſtingueretur ab interno contra ea, quæ itidem in anterioribus oſtendimus (§. 406.). Cumque juris externi fons ſit libertas naturalis (§. 398.), nec hæc ſubſiſtere poſſet, quoniam promiſſor in promittendo penderet a voluntate promiſſarii, contra naturam libertatis naturalis (§. 153. *p. 1. Jur. nat.*).

§. 424.

De animo deliberato promiſſoris ſtatuendum non eſt promiſſario, nec de animo deliberato promiſſarii promiſſori. Etenim num promiſſor omnia probe expenderit, quæ ipſi expendenda ſunt, antequam promittat, de eo ſtatuendum non eſt promiſſario (§. 422.), & num promiſſarius omnia probe expenderit, quæ ipſi expendenda ſunt, antequam acceptet, de eo ſtatuendum non eſt promiſſori (§. 423.). Enimvero animus deliberatus eſt, quando quis ante probe expendit, quod faciendum eſt, antequam faciat (§. 387.). Quamobrem de animo deliberato promiſſoris non ſtatuendum eſt promiſſario, nec de animo deliberato promiſſarii promiſſori.

De animo deliberato promiſſoris & promiſſarii cujusnam ſit judicium.

Animum deliberatum alterius intuitive cognoſcere non poſſumus, ſed vel ex dictis, vel factis alterius is colligendus. Dicta & facta poſſunt eſſe ſimulata, ut alius ſit animus, quam quem ea præ ſe ferunt (§. 716. *part. 2. Philoſ. pract. univ.*). Quamobrem nonniſi probabiliter de illo conſtare poteſt, niſi circumſtantiæ particulares omnem ſimulationis ſuſpicionem removeant. Obligationes adeo & iis reſpondentia jura omni certitudine deſtituerentur, ſiquidem

vali-

Digitized by Google

valida non ante eſſent, quam promiſſori de promiſſarii & promiſſario de promiſſoris animo deliberato certo conſtaret, & promiſſario ſemper integra eſſet exceptio, ſe animo indeliberato promiſiſſe. Judicium adeo de animo deliberato unicuique relinquendum.

§. 425.

Quodnam de eo ſit judicium.

Quoniam de animo deliberato promiſſoris non ſtatuendum eſt promiſſario, nec de animo deliberato promiſſarii promiſſori (§. 424.), *animus deliberatus tam promiſſoris, quam promiſſarii adeſſe ſupponitur, niſi manifeſto contrarium appareat.*

Nimirum in caſu dubio præſumtioni locus eſt (§. 244. *part. 2. Jur. nat.*): præſumitur autem tam promiſſarius, quam promiſſor facere, quod debet (§. 392.), quamdiu contrarium non manifeſto apparet. Quodſi enim promiſſor contra officium aliquod erga ſeipſum agat, vel officium aliquod humanitatis lædat, ſibi imputet, ſi peccet, vel damnum incurrat. Et idem ſentiendum eſt de promiſſario.

§. 426.

Obligatio promiſſoris & promiſſarii ad dicendum verum.

Promiſſor obligatur promiſſario & promiſſarius promiſſori ad dicendum verum, ſeu animi ſui ſententiam indicandam. Cum enim promiſſarius probe expendere debeat, num re, quam ipſi offert promiſſor, vel eo, quod facere promittit, indigeat, & annon alius, qui jus ad id, quod offertur, ſibi a promiſſore acquirere poterat, eodem magis habeat opus, vel etiam nonniſi incommodo ſuo hoc præſtare poſſit promiſſor, & num in acceptando promiſſo forſan deſit officio cuidam erga ſeipſum, vel erga alios (§. 395.), promiſſor autem probe expendere debeat, num re, quam dare promittit, ipſemet indigeat, & num tunc, quando facere promittit, ſibi vacaturum ſit, ac præterea num dando vel faciendo promiſſario, deſit officio cuidam erga ſeipſum, vel erga alios (§. 394.); tam promiſſori conſtare debet, quænam ſit animi ſententia promiſſarii, quam promiſſario, quænam ſit promiſſoris. Quoniam vero nemini de animi ſententia alterius conſtare poteſt, niſi quatenus verbis vel factis ſufficienter indicatur; igitur tam promiſſor promiſſario, quam promiſſarius promiſſori ad animi ſui ſententiam indicandam tenetur, conſequenter verba cum cogitationibus utriuſque convenire debent. Enimvero verum dicit is, cujus verba cum cogitationibus ſuis conſentiunt (§. 150.). Quamobrem tam promiſſor obligatur promiſſario, quam promiſſarius promiſſori ad dicendum verum.

Oſtenditur etiam hoc modo. Promiſſor promiſſario perfecte ſeſe obligat (§. 363.), & promiſſarius ſibi acquirit jus perfectum ad id, quod promiſſum eſt (§. 364.), ſine acceptatione autem obligatio promiſſoris non eſt valida, nec ex promiſſione jus ullum acquiritur promiſſario (§. 365.). Quamobrem non minus promiſſori conſtare debet, quænam ſit animi ſententia promiſſarii in acceptando, quam promiſſario, quænam ſit promiſſori in promittendo, ut ſcilicet promiſſarius certus ſit, promiſſorem ſibi eſſe obligatum & ad quidnam ſibi obligatus ſit, & ſimiliter promiſſor certus ſit, ſe promiſſario ad hoc præſtandum obligari. Quoniam itaque hæc certa eſſe nequeunt, niſi & promiſſor promiſſario, & promiſſarius promiſſori animi ſui ſententiam ſufficienter indicet, verbis cum cogitationibus convenientibus, verum autem dicat, cujus verba cum cogitationibus ſuis conveniunt (§. 150.); promiſſor utique promiſſario & promiſſarius promiſſori obligatur ad dicendum verum.

Conſulto duplici modo demonſtrare lubuit propoſitionem præſentem, ut intelligatur non minus in conſcientia, quam inter homines ad dicendum verum obligari tam promiſſorem, quam promiſſarium, & obligationem utriuſque ad dicendum verum non minus externam, quam internam eſſe (§. 656. *part. 2. Jur. nat.*). Obligationem internam evincit demonſtratio prior, externam vero poſterior. Quodſi hominibus in promittendo & promiſſo acceptando falſum dicere liceret, unuſquiſque alterum pro lubitu fallere poterat (§. 330.), adeoque obligatio externa, cum nonniſi promittendo ſeſe ſibi invicem obligare poſſint homines (§. 393.), nec hæc obligatio efficiatur valida niſi acceptando (§. 365.), nulla foret valida, nec jus acquiſitum ab altero foret certum.

§. 427.

§. 427.

Quod quis ſufficienter indicat, quando ad verum dicendum obligatur, id adverſus ipſum pro vero habetur. Etenim quando quis ad verum dicendum obligatur, neceſſe eſt ut verum dicat (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*), neque adeo in arbitrio ipſius poſitum, utrum verum dicere velit, nec ne. Quamobrem cum de animi ejus ſententia aliter conſtare nequeat, niſi ex verbis vel factis, quibus eandem indicat; quod quis ſufficienter indicat, quando ad verum dicendum obligatur, id adverſus ipſum pro vero habendum.

Quidnam pro vero habendum adverſus eum, qui ad dicendum verum obligatur.

Non nititur hoc tacita hominum conventione, quaſi in hoc iidem conſenſerint, ut quando ad verum dicendum quis obligatur, id adverſus ipſum pro vero habeatur, quod ſufficienter indicavit, quemadmodum pleriſque videtur: ſed ex ipſa naturali obligatione fluit, prouti abunde intelligitur ex ipſa demonſtratione propoſitionis præſentis, atque in eo caſu, quo homines ſeſe ſibi invicem perfecte obligant, intelligitur ex iis, quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus. Quoniam vero propoſitione præſente utemur etiam in aliis, ideo eandem generaliter enunciare ac ita enunciatam demonſtrare libuit; vulgo enim non attenditur obligatio ad dicendum verum, quæ a lege naturæ venit, atque adeo eadem non derivatur niſi ex mutua quadam conventione, qualis cum expreſſa non detur, ad tacitam provocatur. Sed nobis accuratius in eam rem inquirendum fuit.

§. 428.

Quoniam quod quis ſufficienter indicavit, quando ad verum dicendum obligatur, id adverſus eum pro vero habetur (§. 427.), promiſſor vero promiſſario ad dicendum verum obligatur (§. 426.); *quod promiſſor ſufficienter indicat, id contra ipſum pro vero habetur.*

Quidnam pro vero habendum contra promiſſorem.

Promiſſori adeo ea fuiſſe creditur animi ſententia, ut promiſſario perfecte obligetur, ſive vera locutus fuerit, ſive minus: neque enim oportebat niſi verum loqui.

§. 429.

Quoniam quod promiſſor ſufficienter indicavit, id contra ipſum pro vero habetur (§. 428.); *ab obligatione, qua tenetur promiſſario, non liberatur, ſi dixerit ſe vera locutum non fuiſſe*, conſequenter cum mentiatur, qui falſum dicit, quando ad dicendum verum obligatur (§. 187.), *mendacium promiſſorem non liberat ab obligatione promiſſum præſtandi.*

An mendacium promiſſorem liberet ab obligatione.

Nulla eſt promiſſoris exceptio, ſe non ſerio fuiſſe locutum, nec eam fuiſſe animi ſui ſententiam, quam verba præ ſe ferunt. Sibi enim imputet, quod aliter locutus fuerit, aliter ſenſerit; quando veram animi ſui ſententiam dicere debebat, nec jocari conveniebat, quodque clarius non expreſſerit animi ſui ſenſa.

§. 430.

Promiſſum ſervare dicitur, quando verbis promiſſor addit factum, hoc eſt, quando dat, quod ſe daturum eſſe dixit, & facit, quod ſe facturum eſſe dixit, vel in genere quando præſtat, quod ſe præſtiturum affirmavit.

Promiſſum quando ſervetur.

Ex. gr. Si promiſſor dixit: dabo tibi centum aureos, quando centum aureos dat, promiſſum ſervat. Si ait, ſe craſtina luce ad te venturum & deinde ad te venit, promiſſum ſervat.

§. 431.

§. 431.

Promiſſa num ſint ſervanda.

***Promiſſa ſunt ſervanda*.** Etenim promiſſor promiſſario perfecte ſeſe obligat (§. 363.), & promiſſario ad id, quod promiſſum eſt, jus perfectum competit (§. 364.). Quamobrem promiſſario competit jus promiſſorem cogendi, ut præſtet, quod ſe præſtiturum promiſit (§. 235. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Non igitur in arbitrio promiſſoris poſitum eſt, utrum præſtare velit, quod ſe præſtiturum promiſit, nec ne, ſed neceſſe eſt ut præſtet. Enimvero promiſſum ſervat, ſi præſtat, quod ſe præſtiturum promiſit (§. 430.). Promiſſa igitur ſunt ſervanda.

Oſtenditur etiam hoc modo. Domino competit jus rem ſuam pro arbitrio alienandi (§ 665. *part. 2. Jur. nat.*), conſequenter dominium, quod in ea habet, in alterum transferendi (§. 662. *part. 2. Jur. nat.*), adeoque rem ſuam alteri dandi (§. 675. *part. 2. Jur. nat.*), & a voluntate ipſius unice pendet, in quem dominium transferre velit (§. 12.), & quomodo transferre velit (§. 11.). Quamobrem ipſi etiam competit jus ad transferendum dominium ſeu rem ſuam dandam alteri ſeſe obligandi pro lubitu ſuo, ut quod imperfecte ipſi debebat naturaliter (§. 402.), perfecte debeat (§. 404.). Quoniam itaque hæc obligatio naſcitur ex promiſſo (§. 393.); eidem quoque competit jus promittendi, quod rem ſuam eidem dare velit. Et quia particulam quandam libertatis ſuæ alienat, qui alteri ad faciendum ſeſe obligat (§. 360.), cum res incorporales etiam alienari poſſint, quæ ſunt in dominio noſtro (§. 670. *part. 2. Jur. nat.*), eodem prorſus modo intelligitur, quod unicuique etiam competat jus promittendi, ſe eidem quid facere velle. Quamobrem cum homines ad dandum & faciendum ſibi mutuo naturaliter obligentur (§. 354.), tibi etiam competit jus acceptandi promiſſum. Enimvero voluntate domini jus ſtatim tranſit in accipientem (§. 13.). Ergo etiam jus ad id, quod promittitur, ſtatim tranſire debet in promiſſarium promiſſum acceptantem, conſequenter cum jus acquiſitum nemini invito auferri poſſit (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*), promiſſo addendum eſt factum, adeoque promiſſum ſervandum eſt (§. 430.).

Dominum rem ſuam alteri dare poſſe & unumquemque alteri facere poſſe, quod ſibi viſum fuerit, nemo non agnoſcit. Nec eſt qui diffiteatur, ſola voluntate domini transferri dominium, immo conſtitui alteri jus poſſe in re ſua. Non ergo ulla apparet ratio, cur quidam in dubium vocent naturalem obligationem promiſſa ſervandi. Qui dare promittit, non ſtatim dat, ſed certo tempore dabit: qui facere promittit, non ſtatim facit, ſed certo tempore faciet. Quodſi ergo voluntas domini fuerit efficax ad transferendum dominium in re ſua & jus in actionem ſuam de præſenti, eccur non etiam efficax eſſe debet ad transferendum dominium in re & jus in actionem ſuam de futuro, conſequenter ad transferendum ad utramque de præſenti? Quodſi excipias, promiſſorem pœnitere poſſe promiſſi, conſequenter cum res adhuc integra ſit, voluntatem dandi & faciendi mutare, quod non ſuccedat in præſtatione præſenti, ubi factum infectum fieri nequit: tenendum eſt eaſdem rationes pœnitendi eſſe poſſe, cur quid datum vel factum fuerit, quæ ſunt promiſſori, cur pœniteat; conſequenter ſi voluntati promiſſoris efficaciam detrahat pœnitentia, eandem quoque voluntati dantis & facientis efficaciam detrahere debere, ut actus translationis dominii ſit irritus & res data reſtituenda, ob factum vero alter teneatur ad id, quod intereſt. Porro jus ad promiſſum non minus jus eſt, quam dominium. Quodſi ergo voluntatis ea eſt efficacia, ut de præſenti transferatur dominium, ea quoque ipſius efficacia eſſe debet, ut de præſenti transferatur jus ad promiſſum, hoc eſt, jus promiſſorem compellendi ad dandum & faciendum, quod ſine obligatione perfecta promiſſoris minime ſubſiſtit (§. 236. *part. 1. Philoſ. pract. univ.*). Atque adeo patet, ſi quis neget, promiſſa eſſe ſervanda, eundem quoque concedere debere, quod dato omnia de præſenti ſit revocabilis ob pœnitentiam dantis, ita ut actus voluntate dantis reddatur irritus. Hoc autem pacto dominia rerum in perpetuum erunt incerta, & in ſtatu naturali perpetuis bellis, in civili litibus perpetuis implicabuntur homines.

§. 432.

§. 432.

Dominia rerum introduci non potuerunt niſi ſub tacita conditione ea in invicem transferendi & operas ſuas ſibi invicem communicandi, prouti unuſquiſque re vel opera alterius indiguerit. In communione primæva uſus rerum corporalium, etiam induſtrialium & artificialium (§. 32. *part.* 2. *Jur. nat.*); neceſſarius promiſcue patet omnibus (§. 19. *part.* 2. *Jur. nat.*), pro indigentia uniuſcujuſque (§. 33. *part.* 2. *Jur. nat.*). Hoc jus nemini auferri potuit (§. 64. *part.* 1. *Jur. nat.*) dominiorum introductione, conſequenter dominia rerum introduci non potuerunt niſi ea lege, ne quis uſu rerum neceſſario defraudaretur. Quodſi ergo uſu rerum neceſſario dominiorum introductione nemo excludi debet, neceſſe eſt ut homines dominia rerum ſuarum in ſe invicem transferant, cumque dominiis rerum introductis operæ æquiparentur rebus, quæ ſunt in dominio (§. 437. *p.* 2. *Jur. nat.*), operas ſuas ſibi invicem communicent, prouti unuſquiſque re vel opera alterius indiget. Quamobrem dominia rerum introduci non potuerunt niſi ſub tacita conditione ea in ſe invicem transferendi & operas ſuas ſibi invicem communicandi, prouti unuſquiſque re vel opera alterius indiguerit. *Tacita conditio, ſub qua dominia introducta.*

Hoc pacto dominiis introductis ſubſiſtit naturalis obligatio laborandi, quæ datur in communione primæva (§. 41. *part.* 2. *Jur. nat.*), ne deſit ſufficiens rerum neceſſariarum, utilium & voluptuariarum, ſive induſtrialium, ſive artificialium copia (§. 513. *part.* 1. *Jur. nat.*), immo facilius eidem ſatisfit, quam in communione primæva (§. 89 *part.* 2 *Jur. nat*): immo ſubſiſtit etiam obligatio naturalis conjunctis viribus aliorum ſtatuſque alieni perfectionem promovendi (§. 221. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Dominia igitur nihil derogant juri, quod omnibus natura competit, nec ullo modo labefactant, ſed potius firmant obligationem, qua unuſquiſque alteri tenetur ad ipſius perfectionem promovendam, ut adeo nemo de dominiis introductis jure conqueri poſſit.

§. 433.

Quoniam homines non modo indigent re & opera alterius in præſens, verum etiam in poſterum, & viciſſim in poſterum quis eo carere poteſt, quo in præſens carere nequit, immo & in poſterum ſibi vacare poteſt, quando in præſens non vacat, haud raro quoque interſit noſſe, num alter tibi rem, qua indiges in poſterum, daturus ſit, vel operam, qua opus habebis, communicaturus; *dominia* vero introducta ſunt ſub tacita conditione ea in ſe invicem transferendi & operas ſuas ſibi invicem communicandi, prouti unuſquiſque indiget re vel opera alterius (§. 432.); eadem etiam *introducta ſunt ſub tacita conditione transferendi in ſe invicem jus exigendi certo tempore, ut unus alteri det vel faciat*, conſequenter *ad dandum vel faciendum perfecte ſe invicem ſibi obligandi* (§. 236. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *Ea porro expenditur.*

Eadem eſt ratio indigentiæ præſentis & futuræ, cui in præſens proſpiciendum: id quod nemo non videt. Dominia itaque niſi in præjudicium alicujus introducta eſſe debeant, unicuique integrum adhuc eſſe debet, non minus indigentiæ præſenti, quam futuræ proſpicere. Quamobrem ſine ullius præjudicio introducta non intelliguntur, niſi quoque homines ad dandum vel faciendum perfecte ſeſe invicem obligare poſſint, conſequenter unus ab altero jus perfectum ad rem vel operas alterius acquirere valeat (§. 236. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

§. 434.

In communione primæva nemo ſeſe alteri perfecte obligare valet, niſi ad faciendum. In communione primæva res omnes ſunt communes (§. 7. 29. *part.* 2. *Jur. nat.*), adeoque nullæ propriæ (§. 134. *part.* 2. *Jur. nat.*), conſequenter nemo in re ulla jus proprietatis habet (§. 132. *part.* 2. *Jur. nat.*)), adeoque jus alienandi nullum eſt (§. 666. *part.* 2. *Jur. nat.*). Nemo igitur habet, quod alteri dare poſ- *In communione primæva ad quidnam unus alteri ſeſe obligare valeat.*

ſit (§. 675. 662. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem nec fieri poteſt, ut quis in communione primæva ſeſe alteri ad dandum perfecte obliget. Jam vero homines natura liberi ſunt (§. 146. *part.* 1. *Jur. nat.*), adeoque in agendo non dependent niſi a ſeipſo (§. 153. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem ſeſe obligare ſibi invicem poſſunt etiam in communione primæva ad faciendum (*not.* §. 80.). Enimvero homines ſeſe invicem ſibi obligare non poſſunt dominiis introductis niſi ad dandum vel faciendum (§. 358.). In communione igitur primæva ſeſe invicem ſibi obligare non poſſunt niſi ad faciendum.

Nimirum ſi rem, quam in uſum tuum apprehendiſti in communione primæva, alteri tradis, non das, ſed facis, cum re non utarit tanquam tua, ſed tanquam communi (§. 37. *p.* 1. *Jur. nat.*), & quando uſu rei carere potes cum alteri denegare non licet (§. 20. *p.* 2. *Jur. nat.*). Nihil ergo habes in communione primæva quod tuum ſit, niſi actiones liberas tuas, adeoque nec ad aliud quid te obligare vales alteri niſi ad faciendum.

§. 435.

Num & qualia promiſſa in communione primæva locum habeant. Quoniam nemo ſeſe alteri obligare perfecte poteſt niſi promittendo (§. 393.), in communione autem primæva homines ſeſe ſibi invicem perfecte obligare non poſſunt niſi ad faciendum (§. 434.); *in communione primæva promiſſioni quoque locus eſt, promiſſa vero omnia ſunt de faciendo.*

Nimirum in communione quoque primæva unus indiget opera alterius tam in præſens, quam in poſterum, cum hæc indigentia minime pendeat ab introductione dominiorum. Quamobrem cum indigentiæ futuræ aliter proſpici nequeat niſi perfecta obligatione faciendi, promittendo contrahenda; promiſſionibus non minus locus eſt in communione primæva, quam poſt dominiorum introductionem, & in illa quoque promiſſa ſervari debuerunt. Oppido igitur falluntur, qui ſibi perſuadent modum ſeſe alteri obligandi promittendo demum inventum fuiſſe ab hominibus, poſtquam dominia introducta fuere, & a ſolo eorundem conſenſu promiſſionem vim obligandi accipere.

§. 436.

Quale debitum ſit officium humanitatis. *Officia humanitatis nonniſi imperfecte debentur.* Ad ea enim tantummodo imperfecte obligamur (§. 659. *part.* 1. *Jur. nat.*). Enimvero quod ex obligatione imperfecta debetur, id nonniſi imperfecte debetur (§. 401.). Officia igitur humanitatis nonniſi imperfecte debentur.

Poteramus hinc inferre, quod ſupra (§. 402.), jam aliter demonſtravimus, quod ex mutua dandi & faciendi obligatione naturali debetur, id nonniſi imperfecte deberi, ut §. 410.

§. 437.

Officium humanitatis quando fit perfecte debitum. *Si ad officium humanitatis mutuo conſenſu te alteri obligas, id in perfecte debitum abit.* Etenim quod ex obligatione dandi vel faciendi mutuo conſenſu perfecta debetur, id perfecte debetur (§. 403.). Quamobrem ſi ad officium humanitatis mutuo conſenſu alteri te obligas, quod nonniſi imperfecte debebas (§. 436.); jam perfecte debes, adeoque officium humanitatis abit in perfecte debitum.

Officium humanitatis ſubſiſtit vi obligationis naturalis, accedente autem obligatione ex conſenſu ſpeciem mutat & in perfecte debitum transmutatur, conſequenter pro officio humanitatis amplius haberi nequit, quod tale erat ante obligationem contractam, nec ad id amplius ea applicari poſſunt; quæ de officio humanitatis demonſtrata ſunt. Atque hinc denuo apparet, quod etiam in communione primæva, antequam dominia introducerentur, homines ſeſe mutuo ad faciendum obligare potuerint.

§. 438.

§. 438.

Quoniam alteri perfecte te obligare nequis, niſi promittendo (§. 393.), adeoque ſi ad officium humanitatis te alteri obligas, idem ipſi promittis, ubi vero ad officium humanitatis te obligas, id in perfecte debitum abit (§. 437.); *quando alteri officium humanitatis promittis, ex eo facis perfecte debitum.*

Quænam ſit vis promiſſionis in officia humanitatis.

Videmus adeo, quænam ſit vis promiſſionis in officia humanitatis, ſcilicet ut ex iis faciat perfecte debita, quæ communiter, ſeu in foro externo ſimpliciter debita appellari ſolent.

§. 439.

Quia promittendo ex officio humanitatis facis perfecte debitum (§. 438.), ad perfecte autem debitum alteri jus perfectum competit (§. 401.); *promiſſaria competit jus perfectum ad id, quod ante promiſſionem nonniſi officium humanitatis erat.*

Quomodo jus perfectum ad id, quod officium humanitatis eſt, acquiratur.

Officia humanitatis imperfecta ſunt (§. 663. *part. 1. Jur. nat.*). Quamprimum vero tibi promittuntur, promiſſor ad id, quod erat officium humanitatis tibi perfecte obligatur (§. 363.), adeoque officium imperfectum abit in perfectum (§. 663. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 440.

Denegatio officii humanitatis, quod promiſſum eſt, juſta belli cauſa eſt. Quamprimum enim officium humanitatis promittitur, ex eo fit perfecte debitum (§. 438.), conſequenter qui officium humanitatis, quod promiſit, denegat, perfecte debitum denegat. Enimvero denegatio perfecte debiti juſta belli cauſa eſt (§. 409.). Ergo etiam denegatio officii humanitatis, quod promiſſum eſt, juſta belli cauſa eſt.

Quomodo denegatio officii humanitatis fiat juſta belli cauſa.

Propoſitio præſens non contradicit alteri, qua denegatio officii humanitatis juſta belli cauſa eſſe negatur (§. 1118. *part. 1. Jur. nat.*), nec univerſalitatem ejus infringit. Neque enim officium humanitatis, quando promiſſum eſt, tale manet, ſed in perfecte debitum tranſmutatur (§. 438.). Ejus igitur denegatio non eſt juſta belli cauſa, quatenus denegatur quod erat officium humanitatis, ſed quatenus denegatur, quod promiſſione facta perfecte debetur. Propoſitio præſens probe notanda eſt, cum etiam ſit uſui in definiendis bellis juſtis inter gentes. Notandum vero quando officium humanitatis poſt promiſſionem adhuc hoc nomine inſignitur, id ita accipiendum eſſe, quod promiſſionis objectum ſit officium humanitatis.

§. 441.

Jus certum dicitur, quod quod nobis competat demonſtrari poteſt: *incertum* vero vocatur, quod num nobis competat demonſtrari nequit.

Juris certi & incerti differentia.

Eodem ſenſu jus certum dicimus, quo propoſitionem certam appellamus in Logica. Certa eſt propoſitio, quæ demonſtrari poteſt (§. 568. *Log.*). Ergo certum quoque eſt jus, quod quod nobis competat demonſtrari poteſt. Nimirum ſi dicis: Mihi competit hoc jus, & tu demonſtrare potes, quod tibi competat, jus tuum certum eſt. In caſu autem oppoſito incertum utique dicendum. Poteſt tibi actu competere aliquod jus, adeoque habere potes jus quæſitum (§. 102.): quoniam tamen demonſtrari nequis, quod tibi competat, jus tuum certum non eſt. Apparet adeo jus quæſitum omne non eſſe certum.

§. 442.

Si jus acquiſitum certum eſſe debet, & veritas facti, quo acquiſitum, evincenda, & demonſtrandum eſt tali facto tale jus acquiri poſſe. Etenim jus acquiſitum in-

Juris acquiſiti certitudo quando conſtet.

terveniente demum facto quodam humano reſultat (§. 35. *p. 1. Jur. nat.*), ex facto autem humano jus quoddam reſultare nequit, niſi fuerit tale, quod tale jus parere aptum eſt: id quod per ſe patet. Alias nimirum quovis facto tuo jus quodvis acquirere poteras: id quod abſurdum eſſe nemo non ultro fateri cogitur. Quodſi ergo jus quoddam acquiſitum tibi competere debet, neceſſe eſt ut facto quodam interveniente ejus factus fueris particeps, & ut factum tale ſit, quod tale jus parere aptum eſt, conſequenter quando demonſtrandum, illud tibi competere, & veritas facti, quo acquiſitum, evincenda & tali facto tale jus acquiri poſſe demonſtrandum (§. 537. 544. *Log.*). Enimvero jus tum demum certum eſt, quando demonſtrari poteſt, quod nobis competat (§. 441.). Quamobrem ſi jus acquiſitum certum eſſe debet, & veritas facti, quo acquiſitum, evincenda, & demonſtrandum eſt tali facto jus tale acquiri poſſe.

Certitudo juris acquiſiti pendet ab hoc ſyllogiſmo catholico, qui dirigit cogitationes demonſtraturi jus acquiſitum alicui competere.

Si factum fuerit tale, eodem tale jus acquiritur.
Atqui hoc factum fuit tale.
Ergo tale jus eodem fuit acquiſitum.

Quodſi adeo certo conſtare debet, tale jus alicui eſſe acquiſitum, & certum eſſe debes, factum tale adeſſe, & tali facto jus tale acquiri. Evincenda igitur eſt & facti veritas quoad omnes circumſtantias, quæ ad notionem ejus determinatam requiruntur, & principii veritas, quod tali facto tale jus acquiratur. Facta pertinent ad hiſtoriam, ſive *patentem*, quæ luci publicæ expoſita in libris hiſtoricis typis deſcriptis, ſive *arcanam*, quæ continetur in documentis in lucem nondum editis, ſed ſingulari cura aſſervatis, qualia ſunt quæ aſſervantur in Archivis Principum. Principia vero de iure tali facto tali acquirendo deſumenda ſunt vel ex jure naturæ, vel ex Jure poſitivo, prouti facientes vel illo, vel hoc jure reguntur. Quodſi diſertis verbis in ſyſtemate juris ſive naturalis, ſive poſitivi non extet, tali facto jus tale acquiri poſſe; ex aliis principiis in eodem extantibus vi demonſtrationis hoc eruendum (§. 551. 552. *Log.*). Et ubi principia demonſtrandi petuntur ex ſyſtemate Juris naturæ ſeu legum naturalium, neceſſe eſt ea, quæ inde deſumuntur, ibidem demonſtrata eſſe, alias ne certitudo juris inſufficienter evincatur, demonſtranda demum ſunt, antequam iiſdem utaris. Atque adeo apparet, quantum interſit, ut ſyſtema Juris naturæ veri nominis extet etiam hoc fine (§. 81. *part. 2. Phil. pract. univ.*), quod niſi methodo demonſtrativa condi poteſt (§. 83. *part. 2. Philoſ. pract. univ.*). Non minus liquet, quam neceſſarius ſit habitus demonſtrandi illis, qui jura acquiſita adſtruere volunt, præſertim ubi ad jus naturæ recurrendum, & quam facilis ſit lapſus eorum, qui hoc habitu deſtituuntur. Ceterum hic in genere loquimur de evincendo jure acquiſito, nondum attenta differentia inter jura privatorum & jura gentibus vel earum Rectoribus competentia. Qua de cauſa ſilentio prætermus ea, quæ in caſu poſteriori ex modo dictis facile deduci poterant alii loco reſervanda.

§. 443.

Deductio juris acquiſiti quid ſit. Demonſtratio juris acquiſiti alicui competentis appellari ſolet *Deductio*: ut adeo *jus ſuum vel alterius deducere idem ſit ac demonſtrare, quod ſibi vel alteri hoc jus competat, vel*, cum de jure acquiſito hic ſermo ſit; *quod hoc facto jus hoc acquiſiverit ipſe, vel alius* (§. 35. *part. 1. Jur. nat.*).

Jura privatorum in foro deducunt Advocati; jura Principum viri, quibus hoc negotium ab ipſis demandatur, vel qui ſe ſponte ſua immiſcent rebus alienis.

§. 444.

Finis Deductionum. Quoniam qui jus alterius deducit, demonſtrare debet eidem jus iſtud competere (§. 443.), jus vero certum eſt, quod alteri competere demonſtrari poteſt (§. 441.); *Jus alterius deducturus oſtendere debet, idem eſſe certum.*

Atque adeo patet, quo fine fiant deductiones, aut ſaltem fieri debeant, ſiquidem veritatis habenda ratio, nec fucum faciendo quæratur prætextus, ut jure agi videatur, quod nullo jure agitur.

§. 445.

§. 445.

Quoniam jus alterius deducturus oſtendere debet, idem eſſe certum (§. 444.), ſi vero jus acquiſitum certum eſſe debet, veritas facti, quo acquiſitum, evincenda, & demonſtrandum eſt tali facto tale jus acquiri poſſe (§. 442.); *ad deductionem faciendam requiritur & facti plena*, hoc eſt, quoad ſingulas circumſtantias, *notitia*, *& theoriæ juris ſive naturalis*, *ſive poſitivi*, pro diverſitate ſcilicet caſuum, *accurata cognitio & demonſtrandi habitus*.

Quænam ad deductionem faciendam requirantur.

Quod hæc ad deductionem requirantur ſingula, clarius perſpicitur ex iis, quæ paulo ante (*not.* §. 442.), prolixe annotavimus. Qui ſe ſatis inſtructos exiſtimant, ſi ſola hiſtorica facti notitia imbuti fuerint, oppido falluntur, tanto autem falluntur magis, ſi arcana deſit hiſtoria, ubi facti circumſtantiæ omnes nondum in vulgus notæ. Supponuntur illi tali facto tale jus acquiri: id quod ſupponere non licet; niſi fuerit adeo evidens, ut a nemine in dubium vocetur, & nonniſi de facto ſit controverſia. Falluntur qui in ſolo jure omnem fiduciam collocant, ſuperficiaris facti cognitione inſtructi, præſertim ubi jus civile cum naturali, vel Romanum aut naturale cum alio poſitivo miſere confundunt, nec ex genuinis fontibus principia Juris petunt. Falluntur qui jus naturæ tale fingunt, quali ad ſententiam præoccupatam incruſtandam habent opus, quaſi quis voluntate ſua jus naturæ efficere poſſit, ut quod hominum voluntate conſtitui poterat, pro neceſſaria ac immutabili naturæ lege venditent. Falluntur denique tum qui habitum demonſtrandi, quaſi in deductionibus nullius uſus ſit, contemnunt, tum qui externa ejus ſpecie contenti ſibi ac aliis imperitis demonſtraſſe videntur, quod demonſtratum nullo modo dici poteſt, ſive principia ſpectes, quæ partim precaria ſunt, partim manifeſto falſa, ſive formam reſpicias, quæ propter hiatus multiplices, & illationes nulla conſequentia factas a genuina forma procul abeſt. Merentur autem probe expendi, quæ ad ſolidam Juris deductionem requiruntur, inprimis ubi jura armis vindicanda, ne ad tot millium hominum ſtragem & multo adhuc plurium calamitatem concurrans, qui generi humano prodeſſe debebant. Utinam ſingula, quæ de requiſitis demonſtrata ſunt, ad animum revocarent, qui vel oſtentationis, vel lucri cujuſdam gratia nulla officii ratione urgente & deductione jures Principum operam navant, gratiam eorum aucupaturi, & haud raro aſſentationi omnia, conſcientiæ nihil tribuunt aliam prorſus fingentes JCti ideam, quam qualem animo concepit *Ulpianus*, qui, cum JCtum juſtitiæ ſacerdotem eſſe velis, in eo requirit perpetuam & conſtantem voluntatem jus ſuum cuique tribuendi: id quod fieri nequit, niſi tertus ſis via demonſtrationis, jus, quod alicui tribuis, eidem revera competere.

§. 446.

Naturaliter a deductionibus abſtinere debet, qui plena facti notitia, theoria juris competente ac ſufficiente & demonſtrandi habitu inſtructus non eſt, ſeu nonniſi his ſubſidiis inſtructus ad eas accedere debet. Quoniam enim ad deductionem faciendam requiruntur facti plena notitia, theoriæ juris ſive naturalis, ſive poſitivi, pro diverſitate caſuum, accurata cognitio ac demonſtrandi habitus (§. 445.); qui his ſubſidiis inſtructus non eſt, ut illam rite perficiat fieri non poteſt. Enimvero naturaliter obligamur ad actionum rectitudinem, ſeu recte agendum (§. 189. *part.* 1. *Philoſoph. pract. univ.*). Quamobrem naturaliter ad deductiones accedere non debet, niſi plena facti notitia, theoria juris competente ac ſufficiente, & demonſtrandi habitu inſtructus, conſequenter hiſce ſubſidiis non inſtructus ab iis abſtinere debet.

Cuinam naturaliter jura deducere liceat.

Erunt forſan haud pauci, qui mirabuntur, quod jure naturali definire velimus, cuinam deductiones facere liceat, conſequenter ad peccata referamus, ſi quis ſua ſponte huic negotio ſeſe immiſceat, cui deſunt ſubſidia ad recte faciendum neceſſaria (§. 440. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Enimvero hi erunt, qui nondum didicere, quod jus naturæ regat omnes actus humanos, qualeſcunque tandem fuerint, etiam qua tales, & qui conſcientiam cuſtodire vult naturali obligationi ſatisfacturus (§. 610. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), & tranquillæ conſcientiæ fructus percepturus (§. 615. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), ac felicitatem ſuam aucturus (§. 613. *part.* 2. & §. 495 *part.* 1. *Phil pract univerſ.*). Naturalis obligatio multo latius patet, quam vulgo putatur: noſtrum vero eſt, ut hoc oſtendamus, qui jus naturæ ſuæ integritati reſtituere

alla,

allaboramus. Si qui talia rident, per nos hoc faciant, qui non ad pompam philoſophamur auram popularem captaturi, ſed veritati unice litamus, ſive ea placuerit, ſive diſplicuerit.

§. 447.

Jus ad res & actiones nobis competens quodnam certum, quodnam incertum.

Jus, quod nobis competit ex obligatione mutua dandi & faciendi naturali, ſive connata, ad res vel actum alterius incertum eſt; quod vero competit ex illa obligatione, quæ mutuo conſenſu perficitur, ſeu ex contractu, certum eſt. Quodſi enim tibi denegetur, quod ex obligatione mutua dandi connata tibi debetur, hoc ferendum tibi eſt (§. 400.), cumque tibi ad id, ad quod alter tibi dandum vel faciendum obligatur, quando re vel opera ipſius indiges, imperfectum ſit (§. 355.), tibi minime competit jus eum cogendi, ut det vel faciat id, quo indiges (§. 237. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Atque adeo, ſi vel maxime demonſtrare poſſis, eum naturaliter ad dandum vel faciendum id, quo indiges, tibi obligari, quod tamen ſemper non ſuccedit (§. 127. 129.), perinde tamen eſt ac ſi demonſtrare non poſſes, præſertim cum in voluntate alterius tibi acquieſcendum ſit (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero ſi demonſtrari nequit jus aliquod tibi competere, jus hoc incertum eſt (§. 441.). Jus igitur, quod nobis competit ex obligatione mutua dandi & faciendi naturali ſive connata incertum eſt. *Quod erat unum.*

Enimvero quod alter ſuo conſenſu ſeſe tibi obligaverit ad dandum vel faciendum (§. 357.), factum quoddam eſt, quod probari poteſt, cumque id perfecte tibi debeatur (§. 403.), ad id jus perfectum tibi competit (§. 401.), conjunctum cum jure cogendi ad dandum vel faciendum niſi alter dare, vel facere velit (§. 235. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem demonſtrari poteſt, tibi jus ad rem vel actum quendam alterius competere. Quoniam itaque jus certum eſt, quod quod nobis competat demonſtrari poteſt (§. 441.); jus ad res vel actus alterius ex obligatione mutuo conſenſu perfecta, ſeu ex contracta competens certum eſt. *Quod erat alterum.*

Naturaliter tibi obligatus eſt ad dandum vel faciendum id, quo indiges, qui re ſua ipſemet non indiget & cui facere vacat (§. 127. 129.). Hanc obligationem ſi in ſe ſpectes, ea quidem demonſtrabilis eſt, quia alter vel re ſua indiget, vel non indiget, & quia facere vel vacat, vel non vacat. Enimvero quid horum obtineat, tibi ſemper certo conſtare nequit, immo nec ei, qui dare vel facere debet in poſterum. Quamobrem demonſtratio nec in tua poteſtate eſt, nec in alterius. Immo nec tuum eſt de eo judicium, quantum hic valeant vires alterius & quid ferant facultates ejus (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*). Quare nec hac de cauſa demonſtratio in tua poteſtate eſt, qua evincenda obligatio naturalis, cum in moralibus pro impoſſibili habeatur quod non permittendum. Ex obligatione iſta cum oriatur jus tuum, tibi aliquod jus competere ex eadem demonſtrare minime vales, adeoque ſi vel maxime aliquod competat, incertum erit (§. 441.). Aliter vero ſeſe res habet, ſi quis voluntatem ſuam dandi & faciendi ſufficienter tibi declarat. Cum enim id, quod promiſſor ſufficienter indicat, contra ipſum pro vero habeatur (§. 428.); jus tuum, quod ex promiſſo acquiritur, evidens eſt, nec iis difficultatibus implicatur, quibus premitur ex obligatione naturali originem ſuam derivans. Naturalis obligatio non certam reſpicit perſonam, ſed individuum vagum; cum vi legis naturalis tantummodo conſtet, aliquem tibi eſſe obligatum ad dandum vel faciendum, non vero Petrum vel Paulum tibi eſſe obligatum: aſt mutuo conſenſu contracta oſtendit individuum, ſeu perſonam ſingularem, quæ tibi obligata eſt, nempe Petrum vel Paulum. Unde ex iſta oritur tibi jus petendi, ut is, quem putas tibi dare vel facere poſſe, det vel faciat; ex hac vero demum acquiritur jus eum compellendi ad dandum vel faciendum. Hinc naturaliter petere licet, ut quis det vel faciat; ſed ad dandum & faciendum cogere non licet. Ubi vero jus tuum certum eſſe debet, conſtet utique neceſſe eſt, hunc tibi hic & nunc ad hoc dandum vel faciendum perfecte obligari, ut dare vel facere non ſit voluntatis, ſed neceſſitatis. Qui ſingula, quæ hactenus demonſtrata ſunt, animo probe comprehenderit, ei nihil difficultatis vel obſcuritatis ſupererit in iis, quæ hic dicuntur. Ceterum hinc manifeſto apparet, cur jus internum non ſuffecerit, ſed externo opus fuerit, ſiquidem jura hominum certa ac a perpetuis litibus libera eſſe debuerint.

§. 448.

§. 448.

Cur uſus rationis ad promittendum requiratur.

Qui aliquid alteri promittere vult, uſu rationis pollere debet. Promiſſio enim fieri non debet abſque animo deliberato (§. 391.), conſequenter qui promittit probe expendere debet, quid agat, antequam promittat (§. 387.), nimirum num re, quam dare promittit, ipſemet indigeat, & num tunc, quando facere promittit, ſibi vacaturum ſit, ac præterea num hoc dando vel faciendo promiſſario deſit officio cuidam erga ſeipſum, vel erga alios (§. 394.). Nemo negaverit hanc deliberationem inſtitui non poſſe niſi ab eo, qui uſu rationis pollet, adeoque actus ad intuitum nexus veritatum univerſalium neceſſarios elicere valet (§. 452. *Pſych. rat.*); ut adeo prolixa demonſtratione minime ſit opus. Patet adeo, cum, qui alteri aliquid promittere vult, uſu rationis pollere debere.

Non eſt, quod excipias, de animo deliberato non ſtatuendum eſſe promiſſario (§. 424.), conſequenter ſi valeat promiſſio ejus, qui, cum rationis uſu polleat, ejus tamen uſum non facit, ſed animo indeliberato promittit, promiſſionem quoque ejus validam eſſe debere, qui rationis uſu deſtituitur: etenim animus deliberatus promiſſoris non ſupponi poteſt, niſi ubi contrarium manifeſto non apparet (§. 425.). Quoniam itaque animus deliberatus cadere nequit in eum, qui rationis uſu deſtituitur; eum ſupponi, aut ſi mavis, præſumi non poſſe manifeſtum eſt. Quamobrem cum extra omnem dubitationis aleam poſitum ſit, deeſſe requiſitum promiſſionis (§. 391.); nec actus promittendi locum habere poteſt.

§. 449.

Num furioſi, amentes & infantes promittere valide poſſint.

Furioſi durante furore, amentes & infantes valide promittere nequeunt. Etenim nemo eſt, qui dubitet, furioſos durante furore, amentes & infantes uſu rationis minime pollere. Quoniam itaque uſu rationis pollere debet, qui aliquid promittere vult (§. 448.), conſequenter valide promittere nequit, qui rationis uſu deſtituitur, vel quando quis eodem caret; furioſi durante furore, amentes & infantes valide promittere nequeunt.

Furor Medicis mania dici ſolet &, cum adeo manifeſtum ſit ex actionibus furioſorum, quod rationis uſu deſtituantur, in definitione depravationem imaginationis & ratiocinationis generis loco ponunt. Vid. *Sennertus* Pract. lib. 1. part. 2. c. 15. f. 108. b. Tom. 3. Oper. In amentibus non minus facultas imaginatrix & præcipue ratiocinatrix a cauſis præternaturalibus impeditur, ita ut, quemadmodum idem *Sennertus* ait l. cit. c. 5. f. 78. b. imaginatio, ratiocinatio & memoria fere aboleatur, adeoque non magis iiſdem concedatur rationis uſus, quam furioſis, quamvis in iſtis non adſit ea audacia, temeritas & ferocia, quæ in his deprehenditur. Mania etiam inſania appellari ſolet, quamvis *Celſus* inſaniæ nomine omnia deliriorum genera comprehendat, & ab ea diſtinguitur *ſtultitia*, quod actio depravata cum imminuta concurrat, ita ut homo parum & male judicet. Dantur autem ſtultitiæ varii gradus, prouti vel ſola ratiocinatio, vel ſola imaginatio, vel ſola memoria læditur, vel plures ſimul læduntur, notante *Sennerto* loc. cit. f. 78. b. Sed de hiſce diſpiciemus ſuo loco in Phyſicis, quando de ſtatu corporis præternaturali agemus.

§. 450.

Lucida intervalla furioſorum quænam ſint.

Furioſus dicitur *habere lucida intervalla*, quando ad tempus furor omnis ceſſat, nec actus facultatis imaginatricis & ratiocinatricis depravantur: ut adeo *Lucida intervalla furioſi* ſint ea temporis ſpatia, in quibus actus facultatis imaginatricis & ratiocinatricis reliquo tempore depravati rite ſeſe habent. Quamobrem *in intervallis lucidis homo alias furioſus uſu rationis pollet.*

Experientia conſtat furorem non in omnibus eſſe continuum, ſed ſubinde per intervalla remitti: id quod ex actionibus furioſorum patet, præſertim ex ſano, quod ferunt, judicio & re-

cta

Digitized by Google

ſta ratiocinatione; ut adeo in illis temporum ſpatiis ſint ſanæ mentis, atque perinde ac alii homines ſanæ mentis perpendere poſſint, quid agant, & quid ſibi aliiſve conducat; quid noceat, conſequenter animo deliberato agere valeant (§. 387.).

§. 451.

Quando furioſi valide promittere queant. *Furioſi in lucidis intervallis valide promittere poſſunt.* Etenim furioſi in lucidis intervallis uſu rationis pollent (§. 450.), perinde ac alii homines ſanæ mentis (*not. §. cit.*). Enimvero qui uſu rationis pollet, valide promittere poteſt (§. 448.). Quamobrem furioſi; in lucidis intervallis valide promittere poſſunt.

Ceſſat in lucidis intervallis furor, adeoque ratio illa non ſubſiſtit, ob quam durante furore valide promittere nequeunt (§. 449.). Quamobrem nec quicquam amplius obſtat, quo minus valide promittere queant.

§. 452.

An amore inſano laborans valide promittat. *Qui amore inſano laborat, valide promittere nequit, niſi quando forte lucida habuerit intervalla.* Amore enim inſano laborantes privantur uſu rationis (*not.* §. 575. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Unde eodem, quo ſupra (§. 449.), patet, quod valide promittere nequeant. *Quod erat unum.*

Quodſi tamen lucida habuerit intervalla, qui amore inſano laborat, eodem, quo in propoſitione præcedente (§. 451.), modo oſtenditur, quod valide promittere queat. *Quod erat alterum.*

Relegenda hic ſunt, quæ alias de amore inſano annotavimus (*not.* §. 575. *part.* 1. *Philoſ. pract. univ.*).

§. 453.

An promiſſio ebrii ſit valida. *Si quem ebrietas uſu rationis privavit, ejus promiſſio valida non eſt.* Patet ut ſupra (§. 449.).

Ebrietatem, quæ & *temulentia* dicitur, auferre poſſe uſum rationis, aut, ſi non prorſus auferat, eandem tamen impedire, experientia ſatis ſuperque loquitur, ut adeo ebrietas hujus gradus inſania voluntaria appellari ſoleat. Unde temulentia ſi eo uſque proceſſerit, homines agunt, quæ parum decent, & quorum poſtea pœnitet, ubi crapula diſcuſſa vel ſua ſponte meminerint eorum, quæ locuti ſunt ac fecere, vel dicta & facta ab aliis iisdem in memoriam revocantur, manifeſto ſatis judicio, quod animus deliberatus abſit in temulentia, uſu facultatum ſuperiorum impedito.

§. 454.

Idem porro expenditur. *Promiſſio facta ab ebrio, cui uſus rationis adhuc integer erat, valida eſt.* Quoniam enim uſus rationis adhuc integer eſt *per hypoth.* ebrietas minime obſtat, quo minus ebrius promittere valeat (§. 448.). Ab ebrio itaque facta promiſſio hoc in caſu valida eſt.

Potus largior hauſtus non omnium mentem ſtatim offuſcat, ut judicandi & ratiocinandi facultas depravetur: quin potius non deſunt, quibus uſus facultatum harum largiore invitatione redditur expeditior. Quamobrem in genere dici nequit, quod promiſſio ebrii invalida ſit.

§. 455.

Promiſſionis vel obligationis renovatio. *Promiſſionem renovare* dicimur, quando quod promiſimus denuo alio tempore promittimus, vel declaramus, nos promiſſa ſervare velle. Eodem ſenſu *obli-*

gatio

gatio renovari dicitur, quando nos denuo ad id obligamus, ad quod jam antea nos obligaveramus, vel quando denuo declaramus, velle nos eſſe obligatos. Facile apparet, *ſi quis promiſſionem renovat, quod faciat animo deliberato, tanto minus eſſe dubitandum* (§. 387.).

§. 456.

Promiſſio ebrii a ſobrio renovata num ſit valida.

Si quis ſobrius promiſſionem in ebrietate factam renovat, ea valida eſt. Etenim qui ſobrius promiſſionem in ebrietate factam renovat, is, quando ebrietas non amplius uſum rationis impedire valet, denuo promittit, quod per ebrietatem promiſerat (§. 455.). Quamobrem cum ſobrio nil amplius obſtet, quo minus valide promittere poſſit (§. 448.), ſi vel maxime promiſſio per ebrietatem facta non fuerit valida (§. 453.); nulla tamen adeſt ratio, cur promiſſio a ſobrio facta valida eſſe non debeat. Si quis igitur promiſſionem in ebrietate factam renovat, ea valida eſt.

Promiſſio a ſobrio facta valida eſt per ſe; quod nemo non agnoſcit, etiamſi per ebrietatem facta non fuerit. Quamobrem in renovatione, quæ fit a ſobrio, hæc ſpectari poteſt tanquam nulla, quæ per ebrietatem facta fuerat, neque adeo demum inquirendum, num in ebrietate promiſſori adhuc fuerit uſus rationis integer. Quamobrem ſi quis ſponte promiſſionem per ebrietatem factam renovat, id non facit alio fine, quam ne promiſſarius de certitudine promiſſionis dubitet. Et ubi quis alteri promiſſionem per ebrietatem factam in memoriam revocat, ut eandem renovet; id non alio fine facit, quam ut promiſſio extra omnem dubitationis aleam ponatur (§. 453. 454.).

§. 457.

Delirantis promiſſio num ſit valida.

Delirantis promiſſio valida non eſt. Etenim in omni delirio functiones imaginationis & ratiocinationis non rite procedunt, quemadmodum nemini ignotum eſt, qui delirantes vidit. Eodem igitur modo oſtenditur, delirantium promiſſionem invalidam eſſe, quo idem de furioſis ſupra oſtendimus (§. 449.).

Deliriorum multa ſunt genera; omnia tamen in depravatione facultatis imaginatricis & ratiocinatricis conveniunt, & ex dictis ac factis ægrotorum cognoſcuntur, quæ iſtam depravationem aperte loquuntur. Quamobrem in genere delirantibus recte denegatur rectus rationis uſus, conſequenter & promittendi facultas (§. 448.).

§. 458.

Puerorum obligatio quando invalida.

Quamdiu puerorum judicium adeo imbecille eſt, ut, quæ promiſſori expendenda ſunt, antequam promittat, perpendere non poſſint; naturaliter eorum promiſſio valida non eſt. Etenim quamdiu puerorum judicium adeo imbecille eſt, ut quæ promiſſori expendenda ſunt, antequam promittat (§. 394.), perpendere minime poſſint; nec animo deliberato fieri poteſt promiſſio (§. 387.). Quamobrem cum promiſſio fieri debeat animo deliberato (§. 391.); pueris in hypotheſi propoſitionis præſentis deeſt requiſitum ad promiſſionem neceſſarium. Naturaliter igitur eorum promiſſio non magis valida eſſe poteſt quam infantum, cum perinde ac hi in præſenti negotio rationis uſu deſtituantur, conſequenter valida non eſt (§. 449.).

Non omnes pueri eodem tempore ad maturitatem judicii perveniunt, ut ea expendere valeant, quæ ipſis expendenda ſunt, antequam promittant (§. 394.), ut adeo in decidenda maturitate judicii non ad annos ætatis, ſed ad actiones reſpiciendum ſit. Et, ſi vel maxime negotium, quod geritur, ſatis intelligant; ab appetitu tamen ſenſitivo facile in tranſverſum aguntur, ne rationem audiant, quod illius impetus nondum refrænare didicerunt, pro diverſitate inclinationum naturalium diverſos. Ex vero adeo affirmat *Puffendorfius* de J. N. & G.

lib. 3. c. 6. §. 5. p. m. 275. teneram ætatem plerumque inconſulto impetu ferri ac in promiſſa eſſe facilem, ſpei plenam, liberalitatis famam captantem, in amicitiis ambitioſe colendas pronam & diffidere neſciam. Impetus iſti appetitus ſenſitivi non minus ſufflaminant animum deliberatum, ſine quo promiſſio fieri non debet (§. 391.), quam defectus judicii immaturi: Nulla igitur ratio eſt, cur non æque illorum, quam hujus in promittendo habenda ſit ratio, ubi de promiſſione naturaliter valida pronunciandum. Quamobrem ſequentem addimus propoſitionem.

§. 459.

Quando appetitus ſenſitivus invalidum reddat promiſſum. *Si quis naturali quodam affectuum impetu abreptus promiſerit, ejus promiſſio valida naturaliter non eſt.* Affectus enim a ceteris, quæ ſimul percipiuntur, attentionem avocant, vel impediunt, quo minus ad alia animum attendere poſſis (§. 531. *part. 2. Phil. pract. univ.*), ſi actio & ad quam attentio afferenda, fuerit contraria ei, ad quam tendit affectus, vel ab eadem diverſa, hi impediunt attentionem ad eandem afferendam (§. 532. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Immo ſi nihil obſtet, quo minus agamus, vel non agamus, affectuum impetu ad agendum, vel non agendum abripimur (§. 536. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Fieri adeoque minime poteſt, ut naturali quodam affectuum impetu abreptus promittens ea expendat, quæ promiſſori expendenda ſunt, antequam promittat (§. 394.), conſequenter ut animo deliberato promittat (§. 387.). Quamobrem cum ad promiſſionem requiratur animus deliberatus (§. 391.), nec is ſupponi aut præſumi poſſit a promiſſario, ubi manifeſto contrarium apparet (§. 425.); ſi quis naturali quodam affectuum impetu abreptus promittit, ejus promiſſio naturaliter valida eſſe nequit.

Erunt forſan haud pauci, quibus præſens propoſitio paradoxa videbitur, propterea quod attentioni eorum fere ſeſe ſubduxerit, qui de Jure naturæ commentati ſunt. Enimvero cum nemo in dubium vocet promiſſionem per ebrietatem factam eſſe invalidam, ſiquidem ea obſtat, quo minus ratione uti poſſis (§. 453.), ne dicam de furore (§. 449.), & delirio promiſſo vim ſuam detrahente ob rationis uſum impeditum & depravatum (§. 457.); eccur non eadem eſſe debet vis in promiſſum affectibus rationis uſum non minus impedientibus & depravantibus? Immo non omnino verum eſt in validitate promiſſi definienda nullam prorſus impetus ex affectu orti rationem habuiſſe autores: contrarium enim eluceſcit ex iis, quæ modo ex *Puffendorfio* adduximus (*not.* §. 458.), & ſuo tempore conſtabit legiſlatores in ferendis legibus huc non minus reſpexiſſe. Utemur etiam hoc principio, ubi in theoria legum civilium naturali demonſtraturi ſumus, quomodo ex jure naturali efficiatur civile, ut quam minimum ab æquitate naturali recedant.

§. 460.

An promiſſio ex melancholia profecta ſit valida. *Promiſſio ex melancholia profecta valida non eſt.* Etenim in melancholia depravatur ratiocinatio quoad iſtud objectum, circa quod facultas imaginandi & ratiocinatio aberrat. Vid. *Sennertus* Pract. lib. 1. part. 2. c. 8. f. 90. Tom. 3. Oper. Quamobrem eodem, quo ante (§. 346.), modo porro oſtenditur, promiſſionem ex melancholia profectam validam eſſe non poſſe.

E. gr. *Huartus* de ſcrutinio ingeniorum c. 5. narrat, famulum quendam Hiſpanum ſe totius mundi monarcham imaginatum fuiſſe & hinc maxima delectatione ac voluptate fuiſſe affectum. Ponamus hac melancholia laborare hominem admodum divitem & ob falſam hanc perſuaſionem promiſſiones facere liberales, quibus ſervandis ſufficiant opes. Ecquis aſſeveraverit, promiſſis eum ſtare debere & promiſſario competere jus eum ad promiſſum explendum compellendi, quod de Rep. adminiſtranda prudenter diſſerens uſu rationis alias pollentem ſeſe probaverit? Neque enim promiſſio ejus profecta eſt ex recto, qui in aliis ſupereſt, rationis uſu, ſed ex depravata per melancholiam facultate imaginatrice quoad hoc objectum ac pendente hinc ratiocinatione falſa, quam evitare minime potuit. Poteramus addere exempla alia, niſi hoc unum abunde ſufficeret.

§. 461.

Digitized by Google

§. 461.

Promiſſio melancholicorum ex melancholia non profecta valida eſt. Etſi enim melancholicorum circa unam rem falſam aberret ratiocinatio, de reliquis tamen prudenter ac ſapienter ratiocinantur. Vid. *Sennertus* loc. c. Quamobrem quoad reliqua comparandi veniunt cum furioſis, quorum lucida ſunt intervalla (§. 450.). Quoniam itaque furioſi in intervallis lucidis valide promittere poſſunt (§. 451.); eccur non etiam promiſſio melancholicorum ex melancholia minime profectorum valida eſſe debet? *Idem porro expenditur.*

Mercator ille apud *Foreſtum* lib. 10. Obſervat. 15. cujus alias fecimus mentionem (*not.* §. 574. p. 1. *Phil. pract. univ.*), optime ratiocinabatur, niſi quod ad extremam inopiam ſe eſſe redactum falſo ſibi perſuaderet. Ecquis crediderit, ob hanc unam falſam perſuaſionem ac pendentia inde ratiocinia depravata quoad ea, de quibus optime ratiocinabatur, eum ſeſe promittendo valide obligare minime potuiſſe? Contrarium clarius eluceſcet ſuo loco, ubi oſtenderimus, undenam fit ut, qui de ceteris optime ratiocinatur, ejus quoad rem unam falſam depravari poſſit ratiocinatio.

§. 462.

Promiſſio conditionata dicitur, quæ fit ſub certa conditione ſive expreſſa, ſive tacita ex circumſtantiis facile colligenda, hoc eſt, quando promiſſor ſupponit, hoc vel illud eſſe, fuiſſe aut fore. *Pura* vero eſt, quæ nullam conditionem ſupponit. *Promiſſionis conditionatæ ac puræ differentia.*

Ex. gr. Conditionata eſt promiſſio, ſi ſuppono, agnatum meum mortuum eſſe & opimam mihi hæreditatem obtigiſſe, & hoc ſuppoſito tibi me centum aureos daturum promitto. Similiter conditionata promiſſio eſt, ubi dico: dabo tibi centum aureos, ſi munus, quod ambio, nactus fuero. Aſt ſi ſimpliciter dico: dabo tibi centum aureos; promiſſio pura eſt.

§. 463.

Promiſſio conditionata valida non eſt, niſi in ſe certa conditione, hoc eſt, niſi verum ſit, quod tanquam verum a promiſſore ſupponitur, aut illud fit vel fiat, quod eſſe vel fieri poſſe putat. Qui enim conditionate promittit, tibi ſe obligare non vult, niſi quando hoc verum eſt, quod tanquam verum ſupponit, aut quando hoc futurum eſt, quod fieri poſſe putat. Quamobrem ſi hoc verum non ſit, quod tanquam verum ſupponit, aut illud non fit, quod fieri poſſe putabat, nec tibi obligatus eſſe poteſt, cum obligatio non naſcatur niſi mutuo conſenſu (§. 357.), neque adeo præter voluntatem tuam alteri obligari poſſis. Patet itaque promiſſionem conditionatam validam non eſſe, niſi conditione exiſtente. *Promiſſio conditionata quando ſit valida, quando invalida.*

Equidem non ignoro, nonnullos, quos inter etiam eſt *Puffendorfius* de J. N. & G. lib. 3. c. 8. §. 3. exiſtimare, quod adjunctiones, quæ referuntur ad tempus præſens vel præteritum, proprie non ſint conditiones, licet quoad formam verborum grammaticam tales videantur: quoniam tamen diffiteri nequeunt, recte promiſſionis poſſe adjici conditionem, quæ referatur ad tempus præſens, aut præteritum, ſiquidem de illius exiſtentia utrique aut alterutri, quibus invicem negotii eſt, non conſtiterit, neque ſano ſenſu aliter intelligi poteſt conditio ad præſens vel præteritum tempus relata, nulla ratio nos urget, quo minus pro conditione habeamus adjectiones tam ad præſens & præteritum, quam ad futurum tempus relatas ſenſu non grammatico, ſed logico. Præſens itaque propoſitio nulla premitur difficultate.

§. 464.

Quoniam promiſſio conditionata valida non eſt, niſi in ſe certa conditione (§. 463.), *ſi verum non fuerit, quod tanquam verum a promiſſore ſupponitur*, ſeu *Promiſſio conditionata quando nulla.*

Digitized by Google

conditio ad tempus præſens, aut præteritum relata in ſe non certa, promiſſio in ſe nulla eſt.

Nimirum in ſe ſemper certum eſt; num res præſentes non ſint, vel præteritæ non fuerint: de quo nemo dubitat. Cumque futura omnia, etiam ipſæ hominum cogitationes, determinatam habeant veritatem ab æterno (§. 537. *p. 1. Theol. nat.*); in ſe non minus certum eſt, num res futuræ non ſint extituræ. Reſpectu autem noſtri incertum eſſe poteſt, num res præſentes ſint, an non ſint, num præteritæ fuerint, vel non fuerint, & tantum non ſemper incertum eſt, utrum futuræ ſint extituræ, nec ne. Quamobrem ubi validitatem promiſſi ſuſpendis a conditione ſive ad tempus præſens, ſive præteritum, ſive futurum relata; quando in ſe ſpectatur promiſſio, ea ſtatim invalida eſt, ſeu nulla, ſi verum non fuerit, quod tanquam dubium ſumitur, etſi non ſtatim tibi conſtare poſſit, utrum invalida ſit, nec ne, ubi conditio refertur ad tempus futurum, quemadmodum fieri poteſt, ubi ea refertur ad præſens vel præteritum, propterea quod in præſentium & præteritorum notitiam venire, futura autem prævidere non poſſumus. Diſſentit equidem Imperator §. 61. de Verb. Oblig. validam promiſſionem ſtatim tum demum eſſe pronuncians, quando conditio ad tempus præſens, vel præteritum refertur, minime autem, quando refertur ad futurum; non tamen nos a ſententia noſtra dimovet hic diſſenſus. Supponit enim Imperator, res præſentes & præteritas eſſe in ſe certas, ſive natura, quemadmodum ipſe loqui amat, etſi reſpectu noſtri incertæ ſint; futuras autem & natura, & reſpectu noſtri incertas eſſe: id quod fallit. Non minus verum, ſeu natura vel in ſe certum eſt, hoc futurum non eſſe, quam verum, ſeu natura vel in ſe certum eſt, hoc nunc non eſſe, vel non fuiſſe. Quamobrem cum in utroque caſu tantummodo incertitudo adſit ex parte noſtri, eadem ratio, cur promiſſio ſtatim nihil valere debeat, ſubſiſtit, ſive conditio ad tempus præſens, aut præteritum, ſive ad futurum referatur. Hæc tantummodo differentia intercedit, quod conditione ad tempus præſens, aut præteritum relata ſtatim fieri poſſit, ut cognoſcas, eam eſſe invalidam, cum ex adverſo eadem ad tempus futurum relata, id a te minime fieri ſtatim queat, ſed expectandum potius ſit, donec eventus certitudinem adferat. Enimvero cognitio tua invaliditatis promiſſionis non influit in determinationem ejus, adeoque differentia iſta attendenda non venit, ubi definiendum, num conditio promiſſioni adjecta eam infirmet. Qui futurarum contingentium veritatem determinatam & præſcientiam divinam negant, natura certas non eſſe res futuras contendunt. Juxta eorum adeo hypotheſin conditiones ad præſens & præteritum tempus relatæ conditionibus ad tempus futurum relatis reſpectu validitatis promiſſionum recte diſtinguuntur. Enimvero cum hypotheſis iſta falſa ſit, nec eam veritati præferre licuit.

§. 465.

Promiſſio conditionata quem habeat effectum.

Promiſſione conditionata nullum acquiritur jus promiſſario ad id, quod promiſſum eſt, niſi conditione in ſe certa hoc eſt, *niſi verum ſit, hoc eſſe, vel fuiſſe, aut futurum eſſe, quod eſſe, fuiſſe vel fore ſupponitur.* Etenim ſi conditio in ſe certa non eſt, aut ſi hoc non eſt, vel non fuit, vel non futurum eſt, quod eſſe, fuiſſe vel fore ſupponitur, promiſſio valida non eſt (§. 463.). Quamobrem cum ex promiſſione jus nullum ad id, quod promiſſum eſt, promiſſarius acquirat, niſi valida ſit promiſſio, quod per ſe patet; ex promiſſione conditionata nullum quoque acquirere poteſt, niſi verum ſit, hoc eſſe, vel fuiſſe, aut fore, quod eſſe, fuiſſe, vel fore ſupponitur, ſeu conditione in ſe certa.

Valida promiſſio non alio ſenſu dicitur, quam quod promiſſor promiſſario ad præſtandum, quod promiſit, ſit obligatus. Ex hac vero obligatione promiſſoris naſcitur jus promiſſarii. Quamobrem ex conditionata promiſſione jus nullum naſcitur, niſi quando in ſe valida, conſequenter quando conditio in ſe certa eſt, ſi vel maxime incerta ſit, immo de præſenti certa eſſe nequeat promittenti & promiſſario.

§. 466.

Quale jus acquiratur ex promiſſione conditionata.

Jus ex promiſſione conditionata acquiſitum promiſſario tamdiu incertum eſt, donec conſtiterit, quod conditio exiſtat, hoc eſt, illud ſit, vel fuerit, vel evenerit, quod eſſe, vel fuiſſe, vel eventurum ſupponitur. Etenim promiſſario ex promiſſione conditionata nullum acquiritur jus, niſi verum ſit, hoc eſſe, vel fuiſſe, aut fore, quod eſſe, fuiſſe vel fore ſupponitur, ſeu niſi conditio in ſe certa ſit (§. 465.).

(§. 465.). Quamobrem is probare nequit ſibi jus quoddam ex promiſſione conditionata fuiſſe acquiſitum, antequam certo conſtet, hoc eſſe, vel fuiſſe, vel eveniſſe, quod eſſe, vel fuiſſe, vel eventurum fuiſſe ſupponitur, ſeu conditionem exiſtere. Enimvero quamdiu promiſſarius probare nequit, jus aliquod ſibi competere, jus ejus incertum eſt (§. 441.). Jus igitur ex promiſſione conditionata acquiſitum promiſſario tamdiu incertum eſt, donec conſtiterit, quod conditio exiſtat, hoc eſt, illud ſit, vel fuerit, vel evenerit, quod eſſe, vel fuiſſe, vel eventurum ſupponitur.

In ſe ſemper ſtatim certum eſt, num ex promiſſione conditionata jus aliquod fuerit acquiſitum promiſſario, cum in ſe ſemper certum ſit, hoc eſſe, vel fuiſſe, vel eventurum, quod eſſe, vel fuiſſe, vel eventurum ſupponitur, ubi revera eſt, fuit, vel eventurum eſt: aſt idem incertum eſt reſpectu promittentis, vel promiſſarii, vel utriuſque. Quando vero quæſtio eſt de certitudine juris, non quæritur quid in ſe certum ſit, ſed quid certum ſit reſpectu noſtri. Quamobrem quando jus noſtrum ab aliquo eventu pendet, neceſſe eſt ut nobis is ſit certus. Ceterum ex propoſitionis præſentis demonſtratione liquet, jus ex promiſſione conditionata acquiſitum ſemper eſſe incertum, antequam conditionem poni certum ſit, ſive conditio ad tempus præſens, ſive ad præteritum, ſive ad futurum referatur. Nec quoad probationem in caſu ultimo, quando ſcilicet conditio ad tempus futurum refertur, differentia aliqua inde emergit, quod eventum expectare debeamus, antequam de jure quæſito nobis conſtare poſſit: etenim etiam in caſibus ceteris, in quibus conditio ad tempus præſens, vel præteritum refertur, ſubinde diu expectandum eſt, antequam conſtare poſſit conditionem poni, veluti ſi dicam: dabo tibi centum aureos, ſi abſens mortuus ſit; minime autem conſtet, ubinam terrarum is ſit, vel fuerit, qui diu jam abſens fuit.

§. 467.

Num valida ſit promiſſio conditionata non ante conſtare poteſt, quam certum ſit, conditionem poni, hoc eſt, illud eſſe, vel fuiſſe, vel eveniſſe, quod eſſe, vel fuiſſe, vel eventurum eſſe ſupponitur. Etenim promiſſio valida non eſt, niſi exiſtente conditione, hoc eſt, niſi verum ſit, illud eſſe, vel fuiſſe, vel eventurum eſſe, quod eſſe, vel fuiſſe, vel eventurum eſſe ſupponitur (§. 463.). Quamobrem num ſit valida, non ante conſtare poteſt, quam certum ſit conditionem poni, hoc eſt, illud eſſe, vel fuiſſe, vel eveniſſe, quod eſſe, vel fuiſſe, vel eveniſſe ſupponitur. *Quando nam conſtet promiſſionem conditionatam eſſe validam.*

Quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus, præſenti quoque illuſtrandæ inſerviunt. Jus enim promiſſarii naſcitur ex obligatione promiſſoris, quæ promiſſioni validæ ineſt.

§. 468.

Promiſſor promiſſionem conditionatam non ante adimplere tenetur, quam certum ſit conditionem poni. Antequam enim certum ſit, conditionem poni, num valida ſit promiſſio, conſequenter num promiſſor obligetur promiſſario ad quid præſtandum, conſtare nequit (§. 467.), &, ſi vel maxime jus aliquod ex ea acquiſitum promiſſario, hoc tamen tamdiu incertum eſt, quamdiu conditionem poni nondum certo conſtat (§. 466.). Quamdiu vero ignoratur, num promiſſor promiſſario revera obligetur ad aliquid præſtandum, & num promiſſario ad id, quod vi promiſſionis præſtari deberet, jus competat; tamdiu quoque promiſſor ad iſtud præſtandum compelli nequit. Promiſſor igitur promiſſionem conditionatam non ante adimplere tenetur, quam certum ſit conditionem poni. *Quando promiſſio conditionata adimplenda.*

Qui promiſſionem adimplet, ſeu promiſſa ſervat, dat vel facit, ad quod dandum vel faciendum ſeſe alteri obligavit (§. 430. 363.). Antequam igitur tibi quid dare vel facere teneor, conſtare debet num, ad dandum vel faciendum ſim obligatus. Quamdiu adeo de hoc non certo conſtet, nec quicquam a me tanquam tibi debitum exigere vales.

§. 469.

§. 469.

Quamprimum promiſſio ſit adimplenda.

Quamprimum promiſſori conſtat, conditionem poni, quæ promiſſioni conditionatæ ineſt, etiamſi promiſſario nondum conſtet, eandem poni, quæ eidem inſunt, præſtare tenetur. Quamprimum enim promiſſori conſtat, conditionem, quæ ineſt promiſſioni conditionatæ, poni, ad adimplendam promiſſionem tenetur (§. 468.), cumque ipſe adeo norit, ſe promiſſario ad adimplendam promiſſionem obligari, parum refert, utrum hoc etiam promiſſario jam conſtet nec ne, obligatione ipſius a notitia promiſſarii minime pendente. Quamobrem cum promiſſio adimpleatur ſeu promiſſum ſervetur, quando præſtatur, quod promiſſioni ineſt (§. 430.); quamprimum promiſſori conſtat conditionem poni, quæ promiſſioni conditionatæ ineſt, etiam ſi promiſſario hoc nondum conſtet, præſtare eidem tenetur, quæ promiſſioni inſunt.

Lex naturalis jubens ſuum cuicunque eſſe tribuendum (§ 924. p 1. *Jur. nat.*), conſequenter præſtandum, ad quod præſtandum ipſi perfecte obligamur (§ 923. *part.* 1. *Jur. nat*), non habet hanc reſtrictionem, ſi alter norit te ipſi ad hoc præſtandum obligari. Quemadmodum qui rem alienam in poteſtate ſua habet, & novit, cujuſnam ea ſit, eam domino reſtituere debet, ſive hic norit, quod in ipſius poteſtate ſit, & eandem poſcat, ſive ignoret (§. 467. *part.* 2. *Jur. nat.*), nec celandum eſt, quod res aliena ſit in poteſtate tua (§. 469. *part.* 2. *Jur. nat.*); ita etiam qui novit ſe alteri quid debere, id præſtare tenetur, etiam ſi alter non norit, quod hoc ipſi debeat. Debita non incongrue ſpectari poſſunt tanquam res aliena, quæ in noſtra poteſtate eſt: ſunt enim res vel corporales vel incorporales, & quatenus ad ea, quæ debentur, alteri jus competit, ſpectari omnino poſſunt tanquam res alienæ.

§. 470.

Quid incumbat promiſſario promiſſorem ad conditionatum promiſſum ſervandum compulſuro.

Si promiſſarius promiſſorem compellere velit ad adimplendam promiſſionem conditionatam, probare tenetur, quod conditio, quæ eidem ineſt, ponatur. Etenim promiſſor non ante tenetur ad conditionatam promiſſionem adimplendam, quam certus ſit, poni conditionem, quæ eidem ineſt (§. 468.), neque etiam ante jus promiſſarii certum eſt (§. 466.), conſequenter nec ante huic competit jus compellendi promiſſorem ad præſtandum id, quod promiſſioni ineſt. Quando igitur promiſſarius promiſſorem compellere vult ad adimplendam promiſſionem conditionatam, hoc facere non licet (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), niſi ante probaverit, conditionem, quæ eidem ineſt, poni, adeoque is hoc probare tenetur.

Non ſufficit tibi conſtare, conditionem poni, ſub qua quid promiſſum, ſed idem etiam conſtare debet promiſſori: alia enim eſt ratio promiſſoris, alia promiſſarii. Quando promiſſor novit conditionem poni, is etiam novit ſe promiſſario eſſe obligatum ad hoc vel illud præſtandum, nec magis debet præſtare, ubi noverit promiſſarius, illum ſibi revera obligatum eſſe, quam ubi ignoraverit. Enimvero ſi tibi tantummodo conſtiterit, conditionem poni, ſub qua quid promiſſum; tu quidem noſti alterum tibi eſſe obligatum, aſt promiſſor nondum novit. Quamobrem eum ipſe ad præſtandum adigi non poſſit, quod num præſtare teneatur ipſum fugit; tibi omnino probandum incumbit poni conditionem, quæ promiſſioni ineſt. Quomodo vero probandum ſit, ex iis intelligitur, quæ in anterioribus dicta ſunt. Nimirum cum conditio referatur vel ad tempus præſens, vel ad præteritum, vel ad futurum; pro diverſitate caſuum probari debet, hoc eſſe, vel factum fuiſſe, aut eveniſſe, quod eſſe, factum fuiſſe, aut eventurum ſuppoſuiſti, ſiquidem ex promiſſione alteri obligatus eſſe debeas.

§. 471.

Quid ex promiſſione conditiona.

Antequam promiſſario certum eſt, conditionem extare; nonniſi ſpem habet debitum iri. Promiſſario enim conſtare nequit, num valida ſit promiſſio, conſequenter num promiſſor ad dandum vel faciendum tibi ſit obligatus, adeoque

quid

quid debeat (§. 176. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quamdiu certus non eſt conditionem poni, ſive extare (§. 467.). Quoniam tamen conditio impoſſibilis non eſt, quod ſemper ſupponitur, adeoque extare poteſt (§. 132. *Ontol.*); nec impoſſibili habet, ut promiſſor ſibi quid debeat. Enimvero quod nobis repræſentamus tanquam obtentu poſſibile, illud ſperamus (§. 799. *Pſych. empir.*). Promiſſarius igitur nonniſi ſpem habet debitum iri, antequam ipſi certum eſt, conditionem extare.

ta habeat promiſſarius.

Nimirum in ſe quidem ſemper certum eſt, promiſſario quid deberi, vel non deberi; promiſſarius vero cum tantummodo pro poſſibili habeat, ut conditio extet, hoc eſt, quod hoc ſit, vel fuerit, vel eventurum ſit, nonniſi ſpem habere poteſt debitum iri, ac reſpectu ipſius perinde eſt, ac ſi promiſſor ipſi non obligaretur, etiamſi conditione in ſe certa ſtatim ſit obligatus. Equidem juxta principia Juris Romani ſpes debitum iri promiſſario tantummodo tribuenda, quando conditio ad tempus futurum refertur; ſed reſpectu promiſſarii ignorantis, utrum hoc in præſenti ſit, aut præterito tempore fuerit; perinde eſt, ac ſi demum evenire deberet, adeoque tum demum eveniret, quando eſſe, vel fuiſſe certus redditur. Quamobrem etiam experimur non minus ſpe promiſſi obtinendi lætari animum promiſſarii, quando conditio ad tempus præſens, vel præteritum, quam quando ad futurum refertur, & tam in illo caſu eum optare, ut ſit vel fuerit, quod promiſſor ſupponit eſſe vel fuiſſe, ut eidem ſit obligatus, quam in hoc, ut eveniat, quod eadem intentione ab eodem ſupponitur.

§. 472.

Si conditio in ſe certa, ſpes promiſſarii jus continet ad id, quod promiſſum eſt. Etenim ſi conditio in ſe certa ſit, jus promiſſario acquiritur ad id, quod promittitur (§. 465.), quamvis incertum (§. 466.), reſpectu nimirum ipſius (§. 441.). Spes igitur, quam habet, debitum iri (§. 471.), jam in ſe continet jus ad id, quod promiſſum eſt.

Qualis ſit ſpes promiſſarii.

Videmus adeo ſpem promiſſarii differre a ſpe reliqua, cum propter jus, quod continet, quamvis incertum reſpectu promiſſarii, æquipolleat juri: id quod probe notandum ad alia intimius perſpicienda.

§. 473.

Spes ſuo ſcilicet tempore *jus excitatura* dicitur, quæ jus jam continet certum quidem in ſe, ſed incertum reſpectu ſperantis. Unde conſequitur, *ſpem promiſſarii debitum iri eſſe ſpem jus excitaturam, ſiquidem conditio in ſe certa ſit* (§. 472. 466.).

Spes jus excitatura quænam dicatur.

Quando dicimus ſpem promiſſarii continere jus in ſe certum, ſiquidem conditio in ſe certa fuerit; id minime adverſatur definitioni juris certi ſupra dati (§. 441.). Etenim quando conditio in ſe certa eſt, demonſtrari quidem poteſt jus tibi competere; ſed quia tu ignoras, utrum certa ſit conditio, nec ne, tu nondum demonſtrare potes, jus tibi competere. Quamobrem quatenus non repugnat, ut demonſtretur, jus tibi competere, jus quoque in ſe certum eſt: quatenus vero demonſtratio iſta nondum in poteſtate tua eſt, jus reſpectu tui incertum eſt. Nihil hic aſſeritur, quod non alias admittatur tanquam indubiæ veritatis. Etenim quando propoſitio demonſtrabilis vera eſt & in ſe certa: aſt quando tu eandem demonſtrare minime vales, veritas autem nonniſi via demonſtrationis agnoſci poteſt, tu ignoras, utrum vera ſit, nec ne, adeoque reſpectu tui incerta eſt, nec obſtat, quod alii eandem demonſtrare valeant, adeoque ipſis certa ſit. Ceterum jus, quod ſpes promiſſarii continet, quamdiu reſpectu ipſius incertum eſt, ſpe quaſi ſepultum eſt, ubi vero certum evadit, quaſi excitatur, ut adeo ſpe excitetur jus, quando quod ipſi ineſt reſpectu tui incertum in certum abit.

§. 474.

An ſpes jus excitatura invito auferri poſſit.

Spes ſuo tempore jus excitatura nemini invito auferri poteſt. Etenim ſpes ſuo tempore jus excitatura jus continet in ſe certum, quamvis incertum reſpectu tui

tui (§.473.), adeoque qui tibi ſpem iſtam adimit, jus tibi acquiſitum aufert. Enimvero nemo alteri invito jus acquiſitum auferre poteſt (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*). Ergo etiam nemini ſpes ſuo tempore jus excitatura auferri poteſt.

§. 475.

Quando ſpem alteri adimendo committatur injuria.

Qui ſpem ſuo tempore jus excitaturam tibi adimit, injuriam tibi facit. Qui enim ſpem ſuo tempore jus excitaturam tibi adimit, jus acquiſitum tibi adimit (§. 473.), conſequenter jus quoddam perfectum (§. 35. 908. *part.* 1. *Jur. nat.*), adeoque contra jus perfectum tuum hoc fit (§. 239. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque injuriam tibi facit, qui quid contra jus tuum perfectum facit (§. 859. *part.* 1. *Jur. nat.*); qui ſpem ſuo tempore jus excitaturam tibi adimit, injuriam tibi facit.

§. 476.

Quamdiu dubium eſt, utrum ſpes tua jus ſit excitatura, nec ne, eam tibi invito auferre non licet. Quamdiu enim dubium eſt, utrum ſpes tua jus ſit excitatura, nec ne, ignoratur num ſit excitatura, au non ſit excitatura (§. 417. *p.* 2. *Theol. nat.*). Quamobrem dum tibi eandem quis aufert invito, fieri poterat, ut injuriam tibi faciat (§. 475.). Enimvero injuria omnis illicita (§. 911. *part.* 1. *Jur. nat.*), conſequenter nec facere licet, quod cum periculo injuriam inferendi conjunctum. Quamdiu adeo dubium eſt, utrum ſpes tua jus ſit excitatura, nec ne, eam tibi invito auferre non licet.

Quid faciendum in caſu dubio, num ſpes ſit jus excitatura.

Peccare velle peccatum eſt (§. 444. *part.* 1. *Philoſ. pract. univ.*). Quamobrem cum actio lege prohibita naturali peccatum ſit (§. 440. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), injuria alterum afficere peccatum eſt (§. 911. *part.* 1. *Jur. nat.*). Qui ſe ſciens periculo peccandi committit, peccare vult. Quamobrem qui ſeſe committit periculo injuriam inferendi, peccare vult, adeoque etiam peccat. Videmus adeo adeſſe obligationem internam nemini auferendi ſpem ſuam, quæ num jus ſit excitatura dubium eſt. Si vero etiam obligationem externam & jus, quod eidem reſpondet, externum reſpicias, hoc minime permittit, ut ſpes alicui dematur, quamdiu adhuc dubium eſt, annon jus ſit excitatura. Eadem enim facilitate fieri poteſt, ut jus excitet, quam ut non excitet. Quodſi poſterius contingat, evidens eſt, injuriam tibi eſſe factam, quod adempta ſpe, cui jus jam inerat, propter ignorantiam invincibilem tibi quoque jus fuit ademtum. Eccur ergo hoc tibi ferendum, nulla profecto ne fingi quidem poteſt ratio? Quamobrem in caſu dubio ferendum non eſt, ut ſpes jus forſan excitatura alicui dematur.

§. 477.

An ſpes ex promiſſione promiſſario adimi queat.

Spes, quam habet promiſſarius ex promiſſione conditionata, invito adimi nequit. Quando enim conditio in ſe certa eſt, ſpes, quam habet promiſſarius ſuo tempore, conditione nimirum certa reſpectu ipſius, jus excitatura eſt (§. 473.), adeoque eadem auferri ipſi nequit (§. 474.). Quamdiu autem incertum eſt, utrum conditio jam extet, vel aliquando extitura ſit, nec ne; dubium eſt, utrum ſpes ex promiſſione concepta ſuo tempore jus ſit excitatura, nec ne, adeoque etiam tamdiu invito ſpem auferri eidem minime licet (§. 476.). Sive igitur conditio in ſe certa ſit, ſive minus, ſub qua quid promittitur, adeoque nullo in caſu ſpes, quam habet promiſſarius ex promiſſione conditionata, invito adimi poteſt.

Oſtendimus in anterioribus (§. 471.), antequam promiſſario certum eſt conditionem extare, eum promiſſi ſpem habere debitum iri. Enimvero qui ſpem habet debitum iri, is etiam ſpem habet id obtinendi, quod debitum iri ſperat. Quamobrem promiſſarius habet ſpem obtinendi id, quod ſibi promiſſum eſt, cum debitum vi exigi queat a debitore. Hanc adeo ſpem promiſſario adimere non licet.

§. 478.

§. 478.

Quid efficiat promiſſio conditionata.

Conditio & promiſſori, & promiſſario incerta certitudinem obligationis illius ac juris hujus differt in tempus, quo de conditione extante conſtiterit. Etenim num valida ſit promiſſio conditionata non ante conſtare poteſt, quam certum ſit conditionem poni, ſeu extare (§. 467.), conſequenter nec ante conſtare poteſt, num promiſſor ſit obligatus: jus vero promiſſarii tamdiu incertum eſt, conſequenter probari nequit quod eidem competat (§. 441.), quamdiu non conſtat, conditionem extare (§. 467.). Conditio igitur & promiſſori, & promiſſario incerta certitudinem obligationis illius ac juris hujus differt in tempus, quo de conditione extante conſtiterit.

Atque in hoc differt promiſſio conditionalis a pura, cum in pura ſtatim certum ſit promiſſorem promiſſario obligatum eſſe ad dandum vel faciendum, & promiſſario competere jus ad id, quod promiſſum eſt.

§. 479.

Quid hinc ſequatur.

Quoniam conditio & promiſſori, & promiſſario incerta certitudinem obligationis illius ac juris hujus differt in tempus, quo de obligatione extante conſtiterit (§. 478.); *antequam conditionem extare certum eſt, nec promiſſarius dicere poteſt, ſibi aliquid deberi, nec promiſſor eidem jus ullum ad id, quod promiſſum eſt, concedere tenetur.*

Valet hoc, ſive conditio ad præſens, aut præteritum, ſive ad futurum tempus referatur: id quod attendenti ſtatim manifeſtum eſt.

§. 480.

Obligatio incerta qualis ſit; quale jus incertum externum.

Quamdiu obligatio externa incerta eſt, habetur pro nulla, & quamdiu jus externum incertum eſt, pro nullo itidem habetur. Obligatio enim externa ſpectatur inter homines, atque adeo inter eos effectum quendam juris ſortitur (§. 656. p. 1. *Jur. nat.*), ſcilicet ut inde naſcatur debitum (§. 170. *part. 1. Jur. nat.*). Sed quamdiu ea incerta eſt, dici nequit, te alteri eſſe obligatum (§. 564. *Log.*), conſequenter te alteri quid debere (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*), adeoque nec effectum juris inter homines ſortitur, ut alteri aliquid ſolvere tenearis (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Perinde igitur eſt, ac ſi ipſi non eſſes obligatus. Patet itaque obligationem externam incertam tamdiu haberi pro nulla, quamdiu incerta eſt. *Quod erat unum.*

Jam cum jus externum ex obligatione externa (§. 396.), adeoque incertum, quod tibi competere demonſtrare non potes (§. 441.), ex obligatione incerta oriatur; ſi obligatio externa pro nulla habetur, jus etiam inde ortum pro nullo haberi debet. Quoniam itaque obligatio externa tamdiu habetur pro nulla, quamdiu incerta eſt, *per demonſtrata*; jus etiam externum tamdiu pro nullo habetur, quamdiu incertum eſt. *Quod erat alterum.*

Poſterius etiam oſtenditur hoc modo. Si jus tuum incertum eſt, demonſtrare haud quaquam vales, id tibi competere (§. 441.). Quamobrem nullum quoque inter homines effectum ſortiri poteſt, ſcilicet ut quid tanquam debitum ab altero exigere poſſis. Enimvero ſi jus externum nullum inter homines effectum ſortitur, ut ſcilicet ab altero tanquam debitum quid exigere poſſis, pro nullo habendum. Cum perinde ſit, ac ſi jus nullum tibi competeret. Jus igitur externum tamdiu pro nullo habetur, quamdiu incertum eſt.

Obligationes hominum, quibus ſibi invicem ad dandum & faciendum tenentur, certæ eſſe debent, ut conſtet revera quid deberi: jura hominum certa eſſe debent, ut conſtet revera

 quid

quid exigi poſſe. Quamdiu adeo obligatio mea incerta eſt, tu quoque dicere nequis, quod tibi quid debeam, conſequenter ſi vel maxime tibi ſim obligatus, nihil tamen a me exigere vales; quamdiu obligatio mea & exinde ortum jus tuum incerta ſunt. Ecquis non agnoſcit, obligationem externam incertam inutilem eſſe, ac inutile eſſe jus ex ea natum, conſequenter externum (§. 396.), cum non plus valeat obligatio incerta, quam nulla, nec jus incertum plus valeat, quam nullum. Ac ideo recte tamdiu & obligatio pro nulla habetur; & jus itidem habetur pro nullo, quamdiu & illa incerta eſt, & hoc pariter incertum. Ceterum *incertitudo obligationis ac juris vel manifeſta* eſt, ut in dubium vocari minime poſſit, vel *non manifeſta*, ut dici nondum poſſit, utrum incerta ſint jus & obligatio, nec ne: quod diſcrimen notaſſe proderit ſuo loco. Hic potiſſimum de manifeſta loquimur, quamvis propoſitio ſuo etiam modo applicari poſſit ad non manifeſtam: ſed de eo dicere non eſt hujus loci.

§. 481.

Quid efficiat conditio in promiſſione. *Conditio promiſſori & promiſſario incerta in promiſſione conditionata obligationem externam ſuſpendit, donec certum fuerit eam extare.* Si enim incerta fuerit conditio, quæ in promiſſione conditionata ſpectatur, tam promiſſori, quam promiſſario, certitudo obligationis differtur in tempus, quo de conditione extante conſtiterit (§. 478.), conſequenter antequam hoc fiat, incerta eſt obligatio. Enimvero quamdiu obligatio externa incerta eſt, pro nulla habetur (§. 480.). Quamobrem conditio promiſſori & promiſſario incerta in promiſſione conditionata obligationem externam ſuſpendit, donec certum fuerit eam extare.

Quoniam in Jure civili non agitur niſi de obligatione externa, ideo in eo ſimpliciter dicitur, obligationem ſuſpendi. Notandus tamen eſt diſſenſus ſupra notatus (*not.* §. 464). Ceterum nec alia eſt intentio promiſſori, quam quod non ante obligatus eſſe velit promiſſario, quam certum ſit, conditionem extare, conſequenter nec ante ex ea jus quoddam conſequi poteſt externum, antequam hoc certum ſit. Hinc & *promiſſio conditionata* definiri poterit ad eum modum, quo ſtipulationem ſub conditione factam definit Imperator §. 4. Inſtit. de V. O. quod ſit ea, qua obligatio in caſum aliquem differtur, ſeu in eventum quendam incertum, nempe ſi hoc ſit, vel fuerit, vel eventurum ſit, quod omnino contingens eſt.

§. 482.

Quid efficiat promiſſio, ſi conditio promiſſori certa. *Si promiſſarius novit, conditionem, ſub qua promittitur, extare, dum promittitur; promiſſor eidem ſtatim obligatur, & ipſi ſtatim competit jus promiſſum exigendi.* Etenim ſi promiſſarius novit, conditionem, ſub qua promittitur, extare, dum promittitur, conditio reſpectu ipſius non amplius incerta eſt. Quamobrem cum conditio certitudinem obligationis ac juris differre nequeat niſi in tempus, quo de conditione extante conſtiterit (§. 478.); hoc in caſu reſpectu promiſſarii non differtur, adeoque is ſtatim ſibi habet obligatum promiſſorem, & jus ad id, quod promiſſum eſt, ſtatim competit, conſequenter jus habet promiſſum exigendi.

Promiſſarii intereſt, ut promiſſio ſit valida, conſequenter ut promiſſor ipſi ſit obligatus, adeo quid debeat. Quamobrem nil obſtat, quo minus ſtatim validam dicas obligationem, quamprimum promiſſario conſtet conditionem extare, utut nondum norit promiſſor, ſed dubius ſit, utrum extet, nec ne. Quando enim promiſſarius debitum exigere vult, probare tenetur conditionem extare (§. 470.), atque adeo tum ipſi quoque promiſſori certa eſt conditio, ne amplius dubitare poſſit ſe revera eſſe promiſſario obligatum. Incertitudo adeo conditionis reſpectu ſolius promiſſoris obligationem atque inde pendens jus ſuſpendere nequit. Ceterum nemo non intelligit, hunc caſum dari inprimis poſſe, quando conditio ad tempus præſens vel præteritum referatur. Quamobrem raro promiſſio ſtatim valere poteſt, niſi quando conditio ad tempus præſens, vel præteritum refertur. Non tamen id obtinere naturaliter in omni hoc caſu ex antea demonſtratis patet. Non minus autem liquet, fieri non poſſe, conditionem certam eſſe ſoli promiſſori, ſub qua promittitur. Quodſi enim promiſſor norit, hoc eſſe, vel fuiſſe, abſurdum foret dicere dabo vel faciam, ſi hoc ſit, vel fuerit. Quoniam novit hoc eſſe, vel fuiſſe, etiam dare vel facere vult, adeoque niſi jocetur, (id, quod tamen in promittendo non admittitur), pure promittere debet. Quamobrem quæri non poteſt, quid efficiat promiſſio conditionata, ſi conditionem extare noverit promiſſor.

§. 483.

§. 483.

Conditio impoſſibilis quænam ſit.

Conditio impoſſibilis eſt, quæ extare non poteſt, ſeu quæ conſiſtit in eo, quod per rerum naturam fieri minime poteſt, vel quia tales cauſæ minime exiſtunt, quarum vires eidem producendo ſufficiunt, vel quia tali cauſæ tribuuntur, quæ eidem repugnant, aut ejus vires excedunt.

Ex.gr. Conditio, ſi menſe Majo poma ſint matura, impoſſibilis eſt, quia nullæ dantur cauſæ, quæ in noſtro climate poma ad maturitatem menſe Majo perducere poſſint. Similiter conditio, ſi pondus mille librarum elevaveris manu tua, abſque ullius machinæ ope, impoſſibilis eſt, quia hoc vires tuas ſuperat. Per ſe patet, nos hic tantummodo loqui de impoſſibilitate phyſica.

§. 484.

Promiſſio ſub conditione impoſſibili facta qualis ſit.

Promiſſio ſub conditione impoſſibili facta nulla eſt. Qui enim ſub conditione tibi quid promittit, ſe tibi hoc dare vel facere velle declarat, ſi hoc ſit vel eveniat, hoc eſt, ſi conditio extet (§.462.). Enimvero conditio extare nequit, quæ impoſſibilis eſt (§.483.). Ergo etiam nunquam fieri poteſt, ut tibi quid dare vel facere velit. Promiſſio igitur nulla eſt.

Nimirum ſi quis ſub conditione impoſſibili tibi quid promittit, perinde eſt ac ſi diceret, ſe nolle tibi quid dare vel facere, quia nunquam velle poteſt. Non ante promiſſor promiſſionem conditionatam adimplere tenetur, quam certum ſit conditionem poni ſeu extare (§.468.). Conditio impoſſibilis nunquam extare poteſt (§.483.). Ergo etiam promiſſor nunquam tenetur adimplere promiſſum. Promiſſio igitur quin nulla ſit, extra omnem dubitationis aleam poſitum. Erunt forſitan, qui exiſtimaturi ſunt, propoſitionem præſentem nullius eſſe utilitatis, cum nemo adeo abſurdus fuerit, ut ſub conditione impoſſibili quid promittat. Enimvero ſæpe poſſibilia videntur, quæ non ſunt. Quamobrem nec impoſſibile, ut quis ſerio ſub conditione impoſſibili promittat.

§. 485.

Poſſibilis conditio quænam ſit.

Conditio poſſibilis eſt, qualem extare non repugnat, ſeu quæ tale quidpiam eſt, quod per rerum naturam fieri poteſt, vel quia tales cauſæ exiſtunt, quarum vires eidem producendo ſufficiunt, vel quia tali cauſæ tribuuntur, quæ vires ejus minime excedunt.

Ex.gr. Conditio, ſi Cajus ſit mortuus, poſſibilis eſt, quia non repugnat hominem mori. Similiter conditio, ſi domi manſeris, poſſibilis eſt, quia non repugnat te domi manere. Etiam conditio, ſi hoſtis victus fuerit, vel ſi dies craſtinus fuerit ſerenus, conditio poſſibilis eſt, quia in ſe nullam contradictionem involvit, hoſtem vinci, vel diem eſſe ſerenum. Nemo non videt, quando de poſſibilitate conditionis ſermo eſt, poſſibilitatem extrinſecam intelligi, ſed in genere ſpectatam, non in dato caſu ſingulari. Quod enim in dato caſu ſingulari extrinſece poſſibile eſt, id etiam eſt, vel fuit, vel venturum eſt, adeoque in ſe certum, quemadmodum ex principiis coſmologicis abunde conſtat: aſt quod in genere ſpectatum extrinſece poſſibile eſt, illud in dato caſu ſingulari etiam natura impoſſibile eſſe poteſt. Atque ideo accidit, ut, quod in genere ſpectatum poſſibile intelligitur, in dato caſu in ſe certum eſſe poſſit, reſpectu noſtri autem incertum.

§. 486.

Unde intelligatur poſſibilis.

Quoniam poſſibilis eſt conditio, qualem extare non repugnat (§. 485.); *ſi conditio fuerit res talis, quam fieri in hoc univerſo obſervamus, poſſibilis ea eſt.*

Poſſibilitatem conditionis a poſteriori cognoſcere ſolent homines, recte ſumentes id poſſi-

Digitized by Google

bile eſſe, quod exiſtere ſeu fieri experiuntur (§. 170. *Ontol.*). Videmus quotidie homines mori, nec ulla eſt ætas, cui mors parcat. Quamobrem pro poſſibili habetur, hominem quemvis hodie mori, vel abſentem mortuum eſſe; non tamen habetur pro certo, quemadmodum certum eſt hominem quemvis aliquando moriturum. Quodſi integrum rerum nexum in univerſo penitus perſpiceremus, poſſibile non diceremus, niſi quod certo extiturum eſt, vel exiſtit, vel extitit, cetera fieri non poſſe; nec potuiſſe pronunciaremus. Tum autem omnia in ſe certa quemadmodum ſunt, forent etiam certa reſpectu noſtri, nihil autem reſpectu noſtri eſſet incertum, neque adeo daretur promiſſio, quæ certitudinem obligationis ſuſpenderet, ſed ex promiſſione qualibet quilibet tibi ſtatim obligatus intelligeretur, & jus tuum ſtatim eſſet certum.

§. 487.

Conditio caſualis, poteſtativa & mixta quænam.

Conditio caſualis eſt, quæ a caſu vel fortuna, aut arbitrio hominis juri noſtro minime ſubjecti tota pendet. *Poteſtativa* eſt, quæ ab arbitrio promiſſarii, vel promittentis etiam ſubinde dependet. Appellatur etiam *Promiſcua* l. 11. ff. de cond. & dem. *Mixta* denique *conditio* eſt, quæ ut extet; partim ab arbitrio promiſſarii, vel promiſſoris etiam, partim a caſu dependet.

Conditio poſſibilis dividitur in caſualem, poteſtativam & mixtam. Caſualem omnes in eodem ſignificatu accipiunt: aſt poteſtativa vulgo confertur in arbitrium promiſſarii, *Grotius* vero in arbitrium promiſſoris confert, quod poſterius tamen ſubinde inutiliter fit. Nihil obſtat, quo minus utrumque ſignificatum combinemus. Nimirum ſi conditio poſſibilis eſſe debet, neceſſe eſt ut dentur cauſæ iſtiuſmodi, quarum viribus effici poteſt, ut extet. Quodſi ergo a promiſſario, vel promiſſore fieri poſſit id, ſub quo quid promittitur, tale factum poſſibile intelligitur, atque adeo conditionem poteſtativam conſtituit, veluti ſi dixero: dabo tibi libros omnes a me conſcriptos, ſi Matheſi ac philoſophiæ ſtudio te dederis; dabo tibi centum aureos, ſi uxorem duxeris; vel etiam dabo tibi centum aureos, ſi ego uxorem duxero. Conditio caſualis eſt, ſi hac hyeme non fuerit frigus intenſum, ſi Mævius ſit mortuus, ſi Titius profecturus ſit ad nundinas, dabo vel faciam. Mixtæ denique conditionis exemplum eſt, ſi Sybillam uxorem duxeris; ſi commendatione tua effeceris, ut huic muneri præficiar, dabo vel faciam.

§. 488.

Conditio ſuſpenſiva & ſolutiva quænam.

Conditio ſuſpenſiva eſt, quæ actus perfectionem differt, donec certum fuerit, eam exiſtere. Aſt *conditio reſolutiva* eſt, quæ actus jam perfecti durationem ad illud tempus reſtringit, quo re eam extare certum eſt.

Ita conditio ſuſpenſiva eſt, quando dicitur, ſi Titius in prælio occubuerit, Mævius tutor eſto: Mævius enim adminiſtrationem tutelæ ſuſcipere nequit, niſi poſtquam Titius in prælio occubuit. Sed reſolutiva conditio eſt, quando dicitur, Mævius tutor eſto, donec Titius ex militia domum redierit: Mævius enim tutelæ adminiſtrationem ſtatim ſuſcipit, ſed tutor eſſe deſinit, quamprimum Titius domum redit. Exempla conditionis ſuſpenſivæ plura adfuerunt in anterioribus. Quamobrem tantummodo adhuc addimus aliquod conditionis reſolutivæ: tale nimirum eſt, quando dicitur: vendo tibi hortum meum, ſi pretium intra ſeptem hebdomades non ſolveris & interea pinguiorem emtorem fuerim nactus, emtus non ſit. Hic contractus emtionis venditionis ſtatim perfectus eſt; ſed ubi intra ſeptem hebdomades emtor pinguior ſeſe obtulerit, tu vero pretium non ſolveris; iterum reſolvitur.

§. 489.

Conditio negativa quænam.

Conditio negativa eſt, quæ ſupponit aliquid non eſſe, vel non fuiſſe, vel non eventurum.

Ex gr. Conditio negativa eſt: dabo tibi, ſi non feceris, vel ſi Titius non mortuus ſit; ſi nullos nummos a Mævio accipere potes.

§. 490.

§. 490.

Quoniam conditio negativa ſupponit aliquid non eſſe, vel non fuiſſe, vel non eventurum (§. 489.); *conditio negativa extat, ſi id non ſit, vel non fuerit, vel non evenit.*

Quando exiſtat.

Ex. gr. Conditio negativa eſt, quando dicitur: dabo tibi centum aureos, ſi Mæviam uxorem non duxeris. Quodſi ergo Cajus eam duxerit, ut jam certum ſit, te animum eam non ducendi mutare non poſſe; conditio negativa exiſtit. Similiter quando dicitur: ſi cras non pluet, mittam ad te plantas in horto tuo ponendas, conditio negativa eſt. Quando igitur non pluit, ſed cœlum ſerenum eſt, conditio negativa exiſtit. Conditio etiam negativa eſt, quando dico: ſi Cajus in prælio non occubuerit, dabo tibi centum. Quando igitur nuncius affertur, eum adhuc vivere, vel ab ipſo accipiuntur literæ, conditionem extare certum eſt.

§. 491.

Conditio turpis eſt, quæ ſupponit a te fieri debere, quod lege prohibetur. Dicitur etiam *moraliter impoſſibilis* & ſub impoſſibili comprehendi ſolet, quatenus pro moraliter impoſſibili habetur, quod fieri minime debet.

Conditio turpis quænam ſit.

Ita turpis eſt conditio, quando dicitur: dabo tibi centum aureos, ſi Mævium occideris: homicidium enim tam lege naturali, quam civili prohibitum. Similiter turpis eſt conditio, quando dicis puellæ: dabo tibi aureum, ſi corporis tui copiam mihi feceris: coitus enim omnis cum innupta, ſeu ſcortatio lege naturali prohibetur. Turpis etiam eſt conditio, quando dicitur: Eris mihi amiciſſimus, ſi famam Sempronii laceſſiveris. Hoc enim lege naturali fieri prohibetur.

§. 492.

Ex adverſo *honeſta* eſt *conditio*, quæ ſupponit a te fieri debere, quod lege non prohibetur, ſeu quod licitum eſt, ſeu breviter: Quæ in facto honeſto conſiſtit.

Conditio honeſta quænam.

Facile apparet, diviſionem conditionis in turpem & honeſtam reſpicere conditionem poteſtativam. Conditio enim tam turpis, quam honeſta eſt factum aliquod, quod ab arbitrio ejus dependet, qui conditionem adimplere debet (§. 491. 492.). Factum autem iſtiuſmodi conditionem poteſtativam conſtituit (§. 487.).

§. 493.

Omnis promiſſio ſub conditione poſſibili fieri debet. Conditio enim omnis aut impoſſibilis eſt, aut poſſibilis (§. 483. 485.). Quæ ſub conditione impoſſibili fit promiſſio nulla eſt (§. 484.), adeoque perinde eſt, ac ſi facta non fuiſſet. Quamobrem promiſſio omnis nonniſi ſub conditione poſſibili fieri debet.

Qualis conditio adeſſe debeat in promiſſione conditionata.

Quamobrem patet, promiſſorem ante expendere debere, quam promittat, num conditio, ſub qua quid promittere vult, poſſibilis ſit, an impoſſibilis. Quodſi enim ſub conditione impoſſibili quid per ignorantiam vincibilem promittat, cum hic actus ipſi imputari poſſit (§. 549. p. 1. *Phil. pract. univ.*); facit quod vi propoſitionis præſentis fieri minime debet, adeoque licitum naturaliter non eſt (§. 170 p. 1. *Phil. pract. univ.*). Iſtiuſmodi promiſſio, qua ſub conditione impoſſibili quid promittitur, aut ſit a ſciente ac volente, conſequenter doloſe (§. 705. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), aut, ubi ignorantia fuerit vincibilis, conſequenter eam evitare potuiſſet promiſſor, modo voluiſſet (§. 28. *p.* 1. *Phil. pract univ.*), defectu quodam facultatis cognoſcitivæ contingit, atque adeo culpa promiſſoris (§. 717. *part.* 1. *Philoſ. pract. univ*). Culpam vero omnem evitare debemus, multoque magis dolum (§. 610. 637. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Non deerunt fortitan, qui nimiam ſubtilitatem accuſabunt, quod hominem naturaliter obligari ſtatuamus ad non promittendum, niſi ſub conditione poſſibili. Enimve-

ro

Digitized by Google

ro hi erunt, qui ſibi perſuadebunt, quæ in foro externo non attenduntur, ea nec attendenda eſſe in foro conſcientiæ, obligationem externam cum interna confundentes (§. 656. *p.* 1. *Jur. nat.*), nec obligationem naturalem ad faciendum omnium facultatum noſtrarum uſum, qui ad ſervandum leges naturæ requiritur (§. 172. *part.* 1. *Jur. nat.*), & ad recte agendum (§. 189. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), penitus perſpicientes, aut ad animum prorſus non revocantes. Immo nec perpendunt, omnem actum temerarium eſſe illicitum (§. 278.), qualis omnino eſt promiſſio ſub conditione impoſſibili facta (§. 484.).

§. 494.

Promiſſio ſub conditione turpi illicita.

Sub conditione turpi nihil promittendum, nec promiſſum ſub turpi conditione acceptandum, ſeu ***promiſſio, quæ fit ſub conditione turpi, illicita eſt tam ex parte promiſſoris, quam promiſſarii***. Quæ enim ſub conditione turpi fit promiſſio, ſupponit a te fieri debere, quod lege prohibetur (§. 491.). Si ergo tu fueris promiſſor, factum iſtud, ſub quo alteri quid promittis, omittere debes, ubi tuum eſt adimplere conditionem (§. 163. *part* 1. *Phil. pract. univ.*), neque alterum inducere debes ad legem naturæ transgrediendam (§. 701. *part.* 1. *Jur. nat.*); ubi ejus eſt adimplere conditionem, neque etiam ullo modo ad actum vitioſum alterius concurrere licet (§. 720. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quodſi tu fueris promiſſarius, ſimiliter factum iſtud, ſub quo tibi quidpiam promittitur, omittere debes, cum tuum ſit adimplere conditionem (§. 163. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Promiſſor adeo ſub conditione turpi nihil promittere, promiſſarius ſub eadem nihil acceptare debet, inprimis cum acceptatio non fieri poſſit ſine animo adimplendi conditionem (§. 462.), velle autem peccare peccatum ſit (§. 444. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter promiſſio, quæ fit ſub conditione turpi, illicita eſt tam ex parte promiſſoris, quam ex parte promiſſarii (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Ex. gr. Si quis dixerit: Dabo tibi decem aureos, ſi Titium injuria affeceris; cum injuria omnia naturaliter prohibita ſit (§. 911. *part.* 1. *Jur nat.*), promiſſio fit ſub conditione turpi. Promiſſor te ſeducere vult ad alterum injuria afficiendum, adeoque ad actum vitioſum: quod facere illicitum (§. 720. *part.* 1. *Jur. nat.*), tu, ſi promiſſum acceptes ſub ea conditione, prodis animum alterum injuria afficiendi: id quod denuo illicitum (§. 911. *part.* 1. *Jur. nat.*), etiamſi non actu afficias (§ 444. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Conditionata igitur hæc promiſſio tam ex parte promiſſoris, quam promiſſarii illicita.

§. 495.

An ſub conditione turpi promiſſio facta valida fieri poſſit.

Quoniam ſub conditione turpi nihil promittendum, nec quod ſub ea promiſſum acceptari poteſt (§. 494.); *promiſſio ſub conditione turpi facta ſtatim invalida eſt*, adeoque *ex ea nulla naſci poteſt obligatio promiſſoris, neque etiam jus ullum conſequi poteſt promiſſarius, conditione licet extante, ſeu facto turpi commiſſo*, conſequenter *nec in præſenti naturaliter ſpem debitum iri habet promiſſarius*.

Nimirum lege naturali prohibitum eſt ſub conditione turpi aliquid promittere (§. 494.): ea igitur dare nequit validitatem actui, quem prohibet. Obligatio adeo ſervandi promiſſum ſub conditione turpi factum naturaliter nulla adeſſe poteſt.

§. 496.

Merces ob factum illicitum commiſſum num ſit præſtanda.

Quoniam qui ſub conditione turpi, adeoque ob factum illicitum ſeu turpe committendum (§. 491.), quid promiſit, conditione extante, ſeu facto turpi commiſſo, non obligatur (§. 495.); *nec mercedem promiſſam ob factum turpe præſtare tenetur promiſſor, etiamſi promiſſarius commiſerit*.

Probe notandum eſt, nos non affirmare, quod lege naturali prohibeatur ſolutio mercedis ob factum turpe promiſſæ, ſed tantummodo, quod ad eam præſtandam non obligetur pro-

promiſſarius; adeoque non peccet contra juſtitiam, ſi non ſolvat. Cum enim dominus etiam gratis dominium rei ſuæ in alterum transferre poſſit, quidni dare liceat ubi juſtitiam externam ſpectas, etiam quando nihil debet? Diſſentit *Grotius* lib. 2. c. 11. §. 9. qui donec patratum fuerit crimen promiſſionis efficaciam in pendenti eſſe, crimine vero perpetrato jam obligationis vim exeri ſtatuit, quæ ab initio non extrinſecus defuerit, ſed ab accedente vitioſa fuerit impedita. Falſo nimirum ſibi perſuadet, crimine perpetrato ceſſare vitioſitatem promiſſionis, quod ea non amplius illex mali ſit. Enimvero promiſſio adhuc manet vitioſa, quatenus promiſſor vi ejuſdem factus eſt particeps criminis, cujus adeo vitioſitas crimine perpetrato ipſam promiſſionem labe afficit. Quodſi ergo prior vitioſitas impletionem promiſſi labe quadam inficit, ut promiſſioni nulla ineſſe poſſit vis obligandi: eccur non etiam poſterior invalidam promiſſionem efficere debet, quatenus ſcilicet ab ea dependet actualitas criminis perpetrati, quæ labes nunquam abſtergi poteſt? Si dicas: ergo nec mercedem ſine peccato poſſe ſolvi, quemadmodum tamen modo admiſiſſe videmur; non difficilis eſt reſponſio. Quod promiſſum eſt ob factum turpe, ſolvi nequit tanquam merces promerita, dari tamen poteſt tanquam gratuitum. Illud peccato non caret, cum mercedis ſolutione approbetur factum; hoc vero caret, quatenus datur in deteſtationem criminis perpetrati & ſui ad idem concurſus, dum quis non vult hoc eſſe in bonis ſuis, quod fuit mali illex. Sed de hoc plura dicentur ſuo loco. Provocat *Grotius* ad exemplum Judæ, Jacobi filii, qui Thamari, quam meretricem putabat, promiſſam mercedem tanquam debitam perſolvit, *Gen.* XXXV. 11. Enimvero ſumitur, quod probatum non eſt, recte feciſſe Judam. Præterea conſtat, illo tempore pro re licita fuiſſe habitam, ut fœmina quæſtum corporis ſui faceret: quo errore inductus Judas mercedem meretriciam eſſe tanquam debitam pro re licita ſolvendam. Rectius itaque JCti Romani promiſſioni ſub conditione turpi factæ omnem validitatem ſtatim detrahunt.

§. 497.

Factum illicitum tertii qualis ſit conditio.

Factum turpe tertii, qui in agendo nullo modo dependet ab iis, quos inter negotium aliquod geritur, conditio mere caſualis, non turpis eſt. Etenim quia tertius in agendo nullo modo dependet ab iis, quos inter negotium geritur, nec juri eorum ſubjectus eſſe poteſt in agendo, ut factum ejus ab iis impediri poſſet. Quamobrem etſi turpe fuerit, ſeu illicitum, quatenus tamen ſpectatur tanquam conditio, conditionem conſtituere nequit niſi caſualem (§. 487.). *Quod erat primum.*

Et quoniam neuter eorum, quos inter negotium geritur, quicquam facere debet, quod in ſe turpe ſeu illicitum, conditio etiam, quæ ſupponit factum tertii in agendo ab iis, quos inter negotium geritur, nullo modo dependentis, pro turpi haberi nequit (§. 491.).

Ex. gr. Quando dicitur, ſi Titius in duello fuerit occiſus, vel vulneratus, dabo: conditio mere caſualis eſt, quia nec tu, nec ego ad cædem vel vulnerationem Titii quicquam conferimus, nec eam impedire a noſtra poteſtate pendet. Tanto clarius eſt, conditionem nihil vitioſi ex parte tui & mei ſupponere, quando refertur ad tempus vel præſens, vel præteritum ob factum adhuc incertum.

§. 498.

Quando promiſſio ſub turpi facto tertii facta non ſit invalida.

Quando ſub facto turpi tertii, qui in agendo a promiſſore & promiſſario nullo modo dependet, quid promittitur; promiſſio non eſt invalida. Neque enim factum iſtud conditio turpis eſt, ſed mere caſualis (§. 497.), conſequenter quod ſub hac conditione promittitur, non promittitur ſub conditione turpi, ſed mere caſuali. Quoniam itaque conditio turpis promiſſionem ſtatim invalidam reddit (§. 495.), minime autem mere caſualis, quemadmodum ex antea demonſtratis abunde conſtat; quando quid ſub turpi facto tertii, qui in agendo a promiſſore & promiſſario nullo modo dependet, promittitur, promiſſio invalida non eſt.

Quid faciant alii, ipſorum conſcientiæ relinquendum (§. 157 *p. 1. Jur. nat.*), quando tu nec impedire potes, nec debes. Facta igitur aliorum, ad quæ nullo modo concurrimus, ſpectantur tanquam meri caſus. Quemadmodum igitur conditio, ſi Turca victus fuerit, promiſſionem non labefactat ac infirmat, quamvis ex parte ipſius ſit juſtitia belli, conſequenter jure naturali

ſali illicitum ſit bellum ex parte ejus, qui arma adverſus eum movet, adeoque etiam illicita ſint, quæ in bello fiunt; ita etiam vitio caret promiſſio in exemplo, quod modo dedimus (*not.* § 497), nec conditio eandem infirmare valet. Atque hinc apparet, cur in definitione caſuali ſuppoſuerimus hominem; cujus factum conditionem ſubit, juri tuo ſubjectum eſſe non debere, ne te ad idem ullo modo concurrere pateat, cum per ſe manifeſtum ſit eum ceteroquin independenter a voluntate tua agere.

§. 499.

Reus promittendi, ſtipulandi, debendi quinam dicatur. *Reus promittendi* dicitur, qui alteri promittit: *Reus ſtipulandi*, qui quid ſibi promitti petit: *Reus denique debendi*, qui alteri quod debet, ſeu ad dandum vel faciendum obligatus eſt. Quamobrem patet, *Reum promittendi eundem eſſe cum promiſſore* (§. 362.); *reum debendi eundem cum debitore* (§. 96.).

Promiſſarius non idem eſt cum reo ſtipulandi: neque enim ſemper is, cui quid promittitur, conſequenter promiſſarius (§. 362.), ſibi aliquid promitti petit, cum etiam ultro promittere quis alteri quid poſſit. Ceterum termini hi occurrunt in Jure Romano, adeoque non inconſultum duximus, eoſdem hic explicare, præſertim cum etiam Autores, qui de Jure naturæ commentati ſunt, iiſdem uti ſoleant.

§. 500.

Promiſſio in diem facta quænam ſit. *Promiſſio* dicitur *in diem facta*, quando quid dare vel facere promittis certo die.

Ex. gr. in diem fit promiſſio, quando dicitur: Die ſexta Januarii dabo, vel faciam. Determinatur adeo tempus, quo quid dare vel facere vis. Promiſſio in diem facta perinde opponitur in Jure Romano promiſſioni puræ, quemadmodum conditionata, §. 2. de V. O. ut adeo pura excludat tam adjectionem conditionis, quam diei. Hoc quidem inde eſt, quia Romani pro conditione non habuerunt niſi rem reſpectu eorum, quos inter negotium geritur incertam, immo etiam per errorem in ſe incertam, (*not* §. 464.). Si autem conditionem ſumas in ſenſu logico, adjectio etiam diei poterat haberi pro conditione, quatenus ſcilicet alteri non ante obligatus eſſe velis ad promiſſum præſtandum niſi illo die, quem determinas, adeoque ſub hac conditione ne alter exigat promiſſum antequam dies iſte venerit. Sed circa verba nemini litem moveri convenit, præſertim cum non inutiliter per ea quædam a ſe invicem diſtinguantur.

§. 501.

Promiſſio in diem facta qualem habeat effectum juris. *Quod in diem promittitur, ſtatim debetur; ſed exigi non poteſt, niſi die iſto prætерlapſo.* Quando enim in diem fit promiſſio, promiſſor ſe certo die quid daturum vel facturum promittit (§. 500.), adeoque in te non transfert jus promiſſum exigendi, niſi quando iſto die non dederit, vel fecerit (§. 361.). Quamobrem cum nonniſi die iſto præterlapſo conſtare poſſit, utrum ſua ſponte daturus vel facturus ſit, quod daturum, vel facturum ſe promiſit, nec ne; quod promiſit exigere nequit promiſſarius, niſi die iſto, in quem facta eſt promiſſio, præterlapſo. *Quod erat unum.*

Enimvero cum promiſſor perfecte ſeſe obliget (§. 363.), & quidem, quando in diem fit promiſſio ad certo die quid dandum vel faciendum (§. 500.), atque certum ſit diem iſtum adventurum; nulla ſane adeſt ratio, cur non tibi ſtatim eſſe debeat obligatus. Quamobrem quod in diem promittitur, ſtatim debetur (§. 170. *part. 1. Phil pract. univ.*). *Quod erat alterum.*

Nimirum quamprimum facta eſt promiſſio, promiſſarius novit, velle promiſſorem iſto die, veluti quinta Januarii, quid dare vel facere, eum hic ad hoc dandum vel faciendum iſto die ſeſe obligaverit. Non plus acquirit juris, quam reus promittendi in ipſum transferre voluit; atque adeo debitum exigi non poteſt ante illud tempus, immo integer dies adhuc tribuendus arbitrio ſolventis, quia non determinavit horam diei, ſed eam arbitrio ſuo reſervavit. Quoniam vero non repugnat, eſſe in præſenti obligatum ad certo tempore quid faciendum, vel dan-

dandum, cum ſtatim conſtare poſſit de ejus certitudine, nec demum expectandum ſit tempus, quo præſtatio fieri debet; ideo nemo non videt, promiſſionem in diem factam ſtatim validam eſſe.

§. 502.

Conditio, quam certo extituram novimus, tempus deſignat, quo quid fieri debet. Cum enim in tempore fiat, quicquid fit; ubi conditionem certo extituram novimus, certum eſt, adventurum tempus, quo ea exiſtet. Dum autem exiſtit, intelligitur tempus iſtud adeſſe, quo quid fieri debet. Perinde igitur eſt, five dicas quinta Januarii hoc fieri debere, five ſi hoc exiſtet, quod certo extiturum conſtat. Patet adeo conditionem certo extituram deſignare tempus, quo quid fieri debet.

Conditio certo extitura quid deſignet.

Ex. gr. ponamus te ſponſalia contraxiſſe cum Seja: certum itaque eſt te etiam nuptias celebraturum. Quodſi ergo dicas: Dabo, ſi nuptias celebravero, non alium ſenſum habent verba tua, quam quando nuptias celebravero, ut adeo deſignetur tempus, quo daturus es. Temporis actualis partes nullæ ſunt, niſi quæ per exiſtentias rerum actu deſignantur (§. 583. *Ontol.*). Quamobrem abſonum non eſt tempus deſignare per id, quod in rerum natura contingit. Immo dum dicimus quintam Januarii, ſi notionem hujus diei in diſtinctam reſolvere velimus, exemplo patebit, hoc etiam in caſu tempus deſignari per eventum aliquem naturalem, quem certo adfuturum novimus nimirum per ſitum quendam ſolis in Ecliptica, ut adeo qui dicit quinta Januarii quid fieri debere, reipſa affirmet fieri id debere, ſi ſol hunc ſitum habuerit in Ecliptica. Cum multa in rerum natura ſimul contingant; unum idemque tempus per diverſarum rerum exiſtentiam deſignari poteſt, utus non ſemper appareas, per diverſas exiſtentias unum idemque tempus deſignari, quando nempe non conſtas, res iſtas, quas quidem certo extituras novimus, coextituras. Ex. gr. die quinta Novembris anni proxime inſtantis Mercurius in ſole videbitur. Sive igitur dicas: dabo die quinta Novembris, five dabo, ſi Mercurius in ſole comparuerit; unum idemque eſt, etſi ignores, tranſitum Mercurii per diſcum ſolis contingere die quinta Novembris, modo noveris, quod anno proximo Mercurius in ſole ſis compariturus. Eodem menſe, die nempe ſecunda Novembris eclipſis Lunæ totalis erit. Quamobrem ſi dicas: dabo ſi eclipſis Lunæ fuerit totalis & Mercurius in ſole viſus; idem eſt ac ſi diceres: menſe Novembri dabo.

§. 503.

Promiſſio ſub conditione, quam certo extituram novimus, facta ſtatim valet, ſeu quod ſub ea promittitur ſtatim debetur, exigi tamen nequit, niſi conditio extiterit. Conditio enim, quam certo extituram novimus, tempus deſignat, quo quid fieri debet (§. 502.). Quod adeo ſub hac conditione promittitur, in diem promittitur (§. 500.). Enimvero quod in diem promittitur, ſtatim debetur, ſed exigi non poteſt, niſi die iſto præterlapſo (§. 501.). Quamobrem quod ſub conditione, quam certo extituram novimus, promittitur, ſtatim debetur, exigi tamen nequit, niſi jam extiterit conditio.

Promiſſio ſub conditione certo extitura facta quem habeat juris effectum.

Ex. gr. Si nuptias certo celebraturus dixerit: dabo, ſi nuptias celebravero; ſtatim debet, ſed exigere id non potes, niſi nuptiis celebratis. Similiter ſi hodie dicas: dabo, ſi Mercurius in ſole videbitur, quem anno proximo in ſole viſum iri noſti ex ephemeridibus; ſtatim debes; ſed id exigi non poteſt, niſi Mercurio in Sole viſo, hoc eſt, die quinta Novembris præterlapſa.

§. 504.

Conditio vel res quæcunque alia dicitur *cauſam dare promiſſo*, ſi ea contineat rationem unicam, cur promiſſio facta fuerit, alias non facta fuiſſet.

Conditio quando cauſam det promiſſo.

Ex. gr. Si quis dicit: Dabo, ubi nuptias celebravero, & hæc cauſa fuerit unica promiſſi liberalis, propterea quod dotem largam te accepturum ſperaſti, nuptiis celebratis; conditio cauſam dat promiſſo.

§. 505.

Quid operetur conditio, quam certo exituram putamus, ſi cauſam det promiſſo.

Si conditio, quam certo extituram putas, det cauſam promiſſo, ea non ſolum tempus deſignat, quo dare vel facere vis; ſed eadem etiam influit in validitatem promiſſi, ſeu hæc tota ab eadem pendet. Etenim cum conditio omnis, quam certo exstituram novimus, deſignet tempus, quo quid fieri debet (§. 502.); qui putat conditionem certo extituram eſſe, ea ipſa quoque deſignat tempus, quo dare vel facere velit, quod ſub ea promittit. Enimvero ſi eadem conditio det cauſam promiſſi, rationem unicam continet, cur tibi hoc promittat, alias non promiſſurus, niſi eam certo exstituram putaret (§. 504.). Quamobrem cum nonniſi poſita ratione ſufficiente, qualis eſt ratio unica (§. 56. *Ontol.*), ponatur id, quod propter eam potius eſt, quam non eſt (§. 118. *Ontol.*); nec promiſſi validitas ponitur niſi poſita conditione, ob quam promittitur, adeoque promiſſor non vult obligari promiſſario, niſi quia conditio iſta ponitur. Quoniam itaque non alia datur ratio, cur ille huic obligatus eſſe velit; validitas promiſſi ab iſta conditione tota pendet (§. 851. *Ontol.*).

Ex. gr. Si nuptiæ, quas celebraturus es, cauſam dent promiſſo, & tu dicis: dabo, ſi nuptias celebravero; verborum horum hic ſenſus eſt: Promitto tibi dare, quia nuptias celebraturus ſum, & dabo, quando eas celebravero. Quando autem conditio det cauſam promiſſi, ex promiſſi materia, ex verbis tam rei promittendi, quam rei ſtipulandi, & ex circumſtantiis colligendum. Ex. gr. Si quis gaudio perfuſus, quod ſponſalia contraxerit cum virgine divite dicat amico: dabo tibi decem aureos, ſi nuptias celebravero; nemo non ex hiſce circumſtantiis colligit, quod nuptiæ dent cauſam promiſſo, conſequenter quod non tantummodo indigitare velit tempus, quo daturus eſt, ſed ſignificare etiam, qua de cauſa dare velit. Similiter ſi ſermo fuerit factus de divitiis virginis, cum qua nuptias celebraturus es, & tu ſponſum interrogaveris: dabiſne mihi nummum aureum, ſi nuptias celebraveris; ex verbis colligitur, nuptias cauſam dare promiſſo, non vero tantummodo indigitare tempus, quo nummus aureus dari debeat. Nimirum perinde eſt, ac ſi is, qui nummum quendam aureum ſibi dari ſtipulatur, diceret: dabiſne mihi hunc nummum, quando celebraveris nuptias, quia nuptias celebras cum virgine tam divite, adeoque eundem mihi ſine incommodo tuo dare potes? Neque enim aliam eſſe poſſe mentem rei ſtipulantis, non minus verba, quæ miſcentur, quam circumſtantiæ loquuntur.

§. 506.

Quando conditio, quam certo extituram putas, non exiſtit.

Si conditio, quam certo extituram putas, non exiſtat, ea vero non det cauſam promiſſo; promiſſio valida eſt, & quod promiſſum exigi poteſt, ab eo tempore, quo certo conſtiterit, eam non extitiſſe: quodſi vero cauſam det promiſſo, nec valida eſt promiſſio. Quodſi putes, conditionem certo exstituram, etiamſi nunquam exstitura ſit, reſpectu tamen tui in promittendo perinde eſt, ac ſi aliquando exiſteret, quando ea non dat cauſam promiſſo, adeoque eadem non eſt ratio unica, cur promittas (§. 504.), ſed tantummodo tempus deſignat, quo dare vis (§. 502.). Quoniam itaque obligatio nullo modo dependet ab iſta conditione (§. 851. *Ontol.*); nihil omnino obſtat, quo minus obligeris, etiamſi conditio iſta nunquam exstitura ſit (§. 361.). Quamobrem ſi conditio, quam certo exstituram putas, non exiſtat, ea vero non det cauſam promiſſo; valida eſt promiſſio. *Quod erat primum.*

Quodſi conditio extaret, quam certo extituram putabas, ab eo tempore, quo exiſtit, exigi poterat (§. 501.). Quando vero certum evadit, eam non exstituram, perinde eſt ac ſi tempus adveniſſet, quo exſtitura putabatur. Quamobrem ab eo tempore, quo certo conſtiterit, eam non extitiſſe, ſeu non exstituram quod promiſſum eſt, exigi poteſt. *Quod erat ſecundum.*

Enimvero ſi conditio, quam certo exstituram putas, det cauſam promiſſo; ea ratio unica eſt, cur promittas, alias non promiſſurus (§. 504.), atque tum non ſolum tempus deſignat, quo dare vel facere vis, ſed validitas etiam promiſſi

miſſi tota ab eadem pendet (§. 505.). Quare ſi conditio illa non exiſtit, nec valida eſſe poteſt promiſſio. *Quod erat tertium.*

Nil refert, quod, qui conditionem certo exituram putat, credat ſe promiſſario eſſe ad dandum vel faciendum obligatum, & ex adverſo promiſſarius ſibi perſuadeat, quod reus promittendi ſibi quid debeat; eventus autem contrarium doceat. Quoniam enim & reo promittendi conſtabat, ſe non velle alteri eſſe obligatum, niſi quis conditionem exituram pro certo habet, & promiſſarius non minus novit, ea ſola de cauſa, quod conditio certo exitura credatur, ſibi quid deberi; non minus ille alteri obligatus eſſe non vult, ſiquidem conditio non exiſtat, quam hic intelligere poteſt, nec ſibi quid deberi, ubi non extiterit. Uterque enim ſupponit tacite, ſi revera certum ſit, quod pro certo ſumitur; actum hunc validum eſſe debere, &, ſi vel maxime noſſet promiſſarius illud certum eſſe, jus tamen ipſius metiendum non eſt niſi ex voluntate rei promittendi. Neque etiam dubium aliquod ſupereſſe poteſt, quod quid debeatur, etiam ſi terminus ſolutionis non rite fuerit deſignatus. Si enim promiſſio valida eſt, ſolutio fieri debet. Quodſi in diem facta fuerit, qui certo adventurus credebatur; ex circumſtantiis probabiliter judicandum, quinam ſit ille dies, ubi de eo certo non conſtat. Quamobrem ubi dato die innoteſcit, an recte fuerit ſuppoſitum conditionem exituram, an non; ille pro termino ſolutionis habendus.

§. 507.

Si promiſſio fiat in diem, quem nunquam adventurum certo conſtat, aut in diem, quem vivendo attingere non poſſe tam promiſſorem quam promiſſarium evidens eſt; ea valida non eſt. Quodſi enim promiſſio fiat in diem, quem nunquam adventurum certo conſtat, aut in diem, qnem vivendo attingere nec promiſſorem, nec promiſſarium poſſe evidens eſt; nemo non intelligit, promiſſorem nunquam velle eſſe obligatum ad dandum, vel faciendum. Cum adeo abſque ſua voluntate alteri obligari minime poſſit (§. 357.); nec valida erit promiſſio in caſu propoſitionis præſentis.

Promiſſio in diem nunquam adventurum facta num ſit valida.

† Ex. gr. Si quis dicat, ſe tibi daturum vel facturum ad calendas Græcas; cum nullæ ſint calendæ Græcæ, ecquis dubitet, ejus verba non alium habere ſenſum, quam quod nunquam dare vel facere velit. Similiter ſi quis dicat, ſe tibi daturum vel facturum, quod petis, poſt mille annos, ſeu ſæculo abhinc tertio; nonne hæc verba ita accipienda ſunt, quod dare vel facere nolit? Patet adeo non ſerio loqui, ſed jocari, qui promittit in diem, quem nunquam adventurum certum eſt, aut quem nemo vivendo attingere poteſt.

§. 508.

Si promiſſio fiat in diem, qui adventurus putatur, adventurus tamen non eſt; promiſſio valida eſt, & quod promiſſum exigi poteſt, eo die elapſo, quem falſo deſignaſſe videtur reus promittendi. Oſtenditur eodem prorſus modo, quo paulo ante idem oſtendimus de promiſſione ſub conditione facta, quam certo exituram putabamus, ſed quæ extitura non eſt, quando non dat cauſam promiſſo (§. 506.).

Promiſſio facta in diem, illo die adveniente qui, falſo adventurus putabatur, quem habeat effectum.

Ex. gr. ponamus me hodie dicere: Dabo tibi dominica quinta poſt Epiphanias. Cum anno proxime inſtanti nulla ſit quinta dominica poſt Epiphanias; non ideo tibi nihil debeo: quin potius quis dominica quinta poſt Epiphanias ea eſt, quæ ſequitur quartam, quarta autem eſt proximo eſt dominica ſeptuageſimæ. Ea igitur adveniente, promiſſum exigi poterit, obſervatis nempe iis, quæ de promiſſione in diem facta in genere diximus (§. 501.). Eodem modo intelligitur, quod promittitur per errorem die trigeſimo primo Aprilis, ſolvendum ultimo Aprilis, ſeu eo præterlapſo exigi poſſe.

§. 509.

Præſtatio dicitur *continuari*, ſi per certum temporis intervallum non interrupta durat. Eadem dicitur *repeti*, ſi certo tempore denuo fieri debet. Unde

Continuatio & repeti-

 etiam

tio præſtationis quid ſit. etiam intelligitur, quando *repetitio continuetur*, nimirum ſi præſtatio, quæ certo tempore iterum iterumque fieri debet, per aliquod temporis intervallum durare debet, vel ſi præſtatio iteranda per certum tempus continuanda.

* Ita præſtatio continua eſt, ſi quis tibi concedit ad dies vitæ, vel quamdiu vixeris in Academia, habitationem in ædibus ſuis, vel ſi ad dies vitæ, aut quamdiu cælebs fueris, promittit victum atque amictum. Repetitur autem præſtatio, ſi ſingulis annis dentur decem aurei. Et repetitio continuatur, ſi præſtatio durat ad dies vitæ, aut per decennium, aut quoad vixeris in Academia & ſtudio philoſophiæ operam naves.

§. 510.

Obligatio quando perpetuetur. *Obligatio perpetuari* dicitur, quæ toto aliquo temporis intervallo ſe exerit, ita ut toto illo tempore tibi competat jus alterum cogendi, ut eidem ſatisfaciat, niſi eidem ſatisfacere ſponte ſua velit.

Nimirum quando perpetuari dicitur obligatio reſpicitur ad exercitium juris cogendi. Unde quando in diem fit promiſſio, quod promittitur ſtatim debetur (§. 501.), conſequenter obligatum tibi habes reum promittendi (§. 170. *part. 1. Philoſ. pract. univ.*); quoniam tamen illud exigi nequit, niſi die, in quem debetur, præterlapſo (§. 501.), obligatio perpetuari minime dicitur, cum effectus obligationis non ante ſe exerat, quam illo die, in quem promiſſio facta, conſequenter antequam is præterierit, nullum tibi competit jus cogendi alterum ut præſtet, quod debet.

§. 511.

Qualis ſit præſtationis continuatio & repetitio. *Si præſtatio, quam continet promiſſio, fuerit continua, aut per certum tempus repetenda, ſeu ejus repetitio continuanda; obligatio perpetuatur, nec ante perimitur, quam tempore præterlapſo, ad quod continuatio reſtringitur.* Etenim ſi præſtatio, quam continet promiſſio, fuerit continua, eadem per certum temporis intervallum durat (§. 509.), adeoque toto illo tempore dandum, vel faciendum, quod promiſſum eſt. Quamobrem ſi reus debendi præſtationem interrumpere velit, ſtatim id exigere potes, conſequenter vi eundem ad præſtationem adigere, atque adeo jus coactivum toto illo tempore tibi competit, quo præſtatio durat. Enimvero obligatio perpetuatur, quæ toto aliquo temporis intervallo ita ſe exerit, ut tibi competat jus alterum vi ad præſtationem adigendi, niſi ſua ſponte præſtare velit, quod debet (§. 510.). Quamobrem ſi præſtatio fuerit continua, obligatio perpetuatur. *Quod erat primum.*

Quodſi obligatio, quam promiſſio continet, repetenda fuerit; quod certo die præſtitum fuit, id alio die iterum præſtari debet, v. gr. ſingulis menſibus, annis ſingulis (§. 509.). Quamobrem etſi ſemel præſtitum fuerit, quod promiſſum, reus promittendi tibi adhuc manet obligatus, &, niſi die revertente, quo præſtatio iteranda, idem denuo præſtetur, tibi adhuc competit jus alterum cogendi, ut præſtet. Et hoc valere intelligitur, toto illo tempore, quo repetitio præſtationis continuanda (§. *cit.*). Enimvero perpetuatur obligatio, quæ per totum aliquod tempus ita ſe exerit, ut tibi toto iſto tempore competat jus alterum cogendi ad præſtandum, quod debet, ſiquidem eam intermittere velit (§. 510). Quamobrem ſi præſtatio, quam continet promiſſio, per certum tempus repetenda, ſeu ejus repetitio continuanda; obligatio perpetuatur. *Quod erat ſecundum.*

Quodſi præſtatio, quam continet promiſſio, fuerit continua, per totum illud tempus, ad quod reſtringitur continuatio, ad præſtandum, quod promiſit, reus promittendi tenetur (§. 509.). Et, ubi eadem per certum temporis intervallum repetenda, idem non minus liquet (§. *cit.*). Quamobrem ab obligatione ſua liberari nequit, qui promiſit, niſi toto illo tempore, quo obligatio perpetuatur *per demonſtrata*, præſtiterit, quod præſtandum fuerat. Fieri adeo nequit, ut

obli-

obligatio perimatur, antequam tempus fuerit præterlapſum, per quod præſtatio continuanda, aut repetenda. *Quod erat tertium.*

Loquimur hic de obligatione, qualis fluit ex promiſſo, neque enim negamus, quod ea per pacta imputari poſſit, quemadmodum ſuo loco oſtendemus, veluti ſi præſtatio continuanda, aut repetenda conſenſu tuo certo pretio redimatur, ut una præſtatione perimatur obligatio. Ceterum exempla, quæ paulo ante dedimus (*not.* §. 509.), propoſitionem præſentem illuſtrant. Ita ſi quis tibi promiſit victum, quamdiu ſtudiorum gratia in Academia vixeris; toto illo tempore eum ita tibi obligatum habes, ut, quamprimum deneget, eum vi adigere poſſis, ut det, nec liberatur ab hac obligatione; niſi quando ex Academia diſceſſeris, aut ibidem non amplius ſtudiis operam naves. Similiter ſi quis tibi promiſerit duodecim aureos annuos, quoad vixerit; per totum vitæ ſuæ tempus ſingulis annis duodecim aureos tibi dare tenetur. Quodſi dare amplius detrectet, eum ſtatim vi adigere potes ad dandum, nec niſi morte ſua ab obligatione iſta liberatur, aut etiam morte tua, ſiquidem ad perſonam tuam reſtrinxerit promiſſum; de quo deinceps diſertius dicemus.

§. 512.

Qualis ſit promiſſio præſtationem repetendam continens.

Si promiſſio continet præſtationem certo tempore repetendam, ea æquipollet promiſſionibus pluribus in diem factis; quatenus vero repetitio per certum temporis intervallum continuanda, præſtatio æquipollet continuæ. Quodſi enim promiſſio continet præſtationem certo tempore repetendam, quod ſemel præſtatur, alio tempore iterum, & adhuc alio denuo præſtandum (§. 509.), conſequenter perinde eſt, ac ſi toties certo tempore quid præſtandum promitteretur, quoties iteranda præſtatio. Quando vero quid præſtari promittitur certo die, promiſſio in diem fit (§. 500.). Patet itaque, promiſſionem quæ certo tempore repetendam præſtationem continet, æquipollere promiſſionibus pluribus in diem factis. *Quod erat unum.*

Enimvero quatenus repetitio præſtationis per certum tempus continuanda, ea per certum aliquod temporis intervallum durare intelligitur, quod ſcilicet conſtat iſtis diebus, quibus præſtatio repetenda (§. 509.). Quoniam itaque præſtatio continua eſt, quæ per certum temporis intervallum non interrupta durat (§. *cit.*); quatenus repetitio præſtationis per certum temporis intervallum continuanda, præſtatio continuæ æquipollet.

Ex. gr. Si quis tibi promiſerit per decennium in fine cujuslibet anni dare duodecim aureos: duodecim aurei debentur in fine anni primi, totidem in fine ſecundi & ita porro. Perinde igitur eſt ac ſi tibi promiſiſſet duodecim aureos proxima ultima die Decembris ſolvendos, totidem poſt biennium, totidem poſt triennium & ita porro. Promiſſio itaque æquipollet decem promiſſionibus in diem factis. Quodſi jam ex diebus decem, quæ ſunt ultima Decembris in annis decem proxime ſeſe inſequentibus, componatur aliquod temporis intervallum; toto hoc tempore durat præſtatio, atque hoc reſpectu continua eſt.

§. 513.

Præſtatio annua prima quando ſtatim exigi poſſit.

Si præſtatio annua nulli certo diei alligatur, fit autem in uſum anni cujuslibet; quod anno primo præſtandum, ſtatim exigi poteſt, conſequenter promiſſio quoad annum primum in diem non fit. Quodſi enim præſtatio annua nulli certo diei alligatur, fit autem in uſum cujuslibet anni; promiſſor, quod præſtare promittit tibi præſtare vult, quando eodem habueris opus, adeo cum ſtatim eodem indigeas, ſtatim quoque præſtare vult. Quamobrem patet, quod tibi in hypotheſi propoſitionis præſentis ad præſtandum, quod debetur pro anno primo, ſtatim debeatur, conſequenter ſtatim idem exigi poteſt. *Quod erat unum.*

Quoniam vero in diem promiſſio non fit, quando quod præſtandum non ſtatim exigi poteſt (§. 501.); ſi præſtatio annua nulli certo diei alligatur, fit autem in uſum anni cujuslibet; promiſſio quoad annum primum in diem non fit. *Quod erat alterum.*

Google

Sunt qui affirmant ſimpliciter, promiſſionem annuæ præſtationis quoad annum primum eſſe puram, adeoque quod annuatim debetur, anno primo ſtatim exigi poſſe. Enimvero perſpicaciores facile vident, iis ab oculos verſatos fuiſſe nonniſi caſus propoſitionis præſentis. Quodſi tentaſſent demonſtrationem, aut tentare potuiſſent; eam generaliter minime procedere intellexiſſent. Exemplum in hypotheſi propoſitionis præſentis tale eſt. Si in Academiam profecturo promitto, me ipſi daturum ſingulis annis duodecim aureos, quamdiu ſtudiorum gratia ibidem vixerit; nemo non intelligit id fieri eo fine, ut in Academiis habeat, unde commode vivat, ſeu ne deſint neceſſarii ſtudiorum ac vitæ ſumtus. Quamobrem duodecim aurei pro anno primo ſtatim exigi poſſunt, ceteris annis ſolvendi debentur in diem. Hoc autem minime dici poſſe de præſtatione annua in exemplo ante dato, quo ſolutio duodecim aureorum confertur in diem ultimam Decembris (*not.* §. 512.); quivis facile perſpicit.

§. 514.

Præſtatio continua quomodo aſſimuletur in diem factæ promiſſioni.

Præſtatio continua æquipollet ſingulis diebus repetendæ, conſequenter *ejus promiſſio promiſſioni in ſingulos dies factæ*. Etenim ſi continua fuerit præſtatio, per certum temporis intervallum non interrupta durat (§. 509.), adeoque quod præſtatur die præſente, idem etiam præſtandum ſequente, ac ita porro. Perinde igitur eſt, ac ſi præſtatio ſemel facta alio tempore certo denuo fieri deberet, utut nullo tempore interrumpatur. Quamobrem cum repetatur præſtatio, quæ certo tempore iterum fieri debet (§. *cit.*); præſtatio continua æquipollet ſingulis diebus repetendæ. *Quod erat primum.*

Enimvero ſi promiſſio continet præſtationem certo tempore repetendam, ea æquipollet pluribus promiſſionibus in diem factis (§. 512.). Quamobrem promiſſio, quæ continet præſtationem continuam, æquipollet promiſſioni in ſingulos dies factæ.

Ita ſi dixero: convictu meo uti debes, quamdiu in Academia vixeris; perinde eſt, ac ſi dicerem: promitto tibi victum hodie, promitto eundem cras & ita porro: quatenus adeo reſpiciuntur dies futuri, cum in eos ſingulos conferatur promiſſio, totidem habet promiſſiones in diem factas, quot tempus uſque ad terminum ad quem dies continet, atque adeo eadem præſtatio toties quoque repetitur. Ceterum non inutile eſt ſubinde præſtationem continuam revocare ad eam, quæ certo tempore repetenda, quemadmodum ex adverſo ſubinde utiliter hanc ad illam revocamus (§. 512.).

§. 515.

Quomodo exigenda præſtatio continua & repetenda.

Si præſtatio, quam continet promiſſio, certo tempore fuerit repetenda, vel ſi continua fuerit, futurorum temporum debitum exigi non poteſt, niſi tempore, quo præſtatio fieri debet, præterlapſo. Etenim ſi præſtatio, quam continet promiſſio, certo tempore fuerit repetenda, promiſſio uniuſcujuslibet præſtationis futuræ æquipollet promiſſioni in diem factæ (§. 512.). Quoniam itaque quod in diem promittitur exigi non poteſt, niſi die iſto præterlapſo (§. 501.); ubi præſtatio, quam continet promiſſio, certo tempore fuerit repetenda, futurorum etiam temporum debitum exigi non poteſt, niſi tempore, quo præſtatio fieri debet, præterlapſo. *Quod erat alterum.*

Jam ſi continua fuerit præſtatio, cum ea æquipolleat promiſſionibus pluribus in ſingulos dies factis (§. 514.), eodem, quo ante, modo patet, quod ſingulis diebus debetur, exigi non poſſe niſi die iſto præterlapſo. *Quod erat alterum.*

Quando de die dicimus, quodvis etiam aliud tempus intelligitur, veluti hora diei, ſi certæ cuidam horæ præſtatio fuerit alligata. Ita ſi præſtatio debetur hora duodecima meridiana, ea præterlapſa ſtatim exigi poteſt debitum, ſi quidem ſua ſponte debitor præſtare recuſet, quod debet.

§. 516.

Quomodo præſtationes multiplicari poſſint in promiſſione.

Si promiſſio continet præſtationem repetendam, non neceſſe eſt ſemper eandem repeti, ſed præſtationes diverſorum temporum quocunque modo variari poſſunt. Etenim ſi promiſſio contineat præſtationem certo tempore repetendam, ea æquipollet pluribus promiſſionibus in diem factis (§. 512.), conſequenter ſi præſtationes fuerint trium diverſorum temporum, pro tribus diverſis promiſſionibus habenda eſt promiſſio, quarum unaquæque propriam ſibi continet præſtationem, nec una ab alia ullo modo dependet, præſtationibus quippe ſingulis voluntate promiſsoris definiendis. Neceſse igitur non eſt, ut eadem ſemper repetatur præſtatio, ſed præſtationes diverſorum temporum pro lubitu, adeoque modo quocunque variari poſsunt.

Nimirum quando præſtatio in promiſſione multiplicatur, uno actu plura diverſa ſimul promittuntur, quæ cum diverſo tempore præſtanda ſint, ipſam quoque promiſſionem multiplicant. Quemadmodum itaque nil obſtat, quo minus uno eodemque actu tibi promittam & veſtimentum, & centum aureos, ſi pura fuerit promiſſio; ita etiam nil impedit, quo minus idem fiat in promiſſionibus præſtationem repetendam continentibus. Ex. gr. Promitto me tibi daturum anno primo, quo fueris in Academia, quinquaginta aureos; ſecundo totidem aureos & veſtem, tertio centum aureos, vel ſecundo anno duplum, tertio triplum ejus, quod anno primo dandum.

§. 517.

Qualis ſit promiſſio, quando præſtatio debiti commodioris ſolutionis gratia per tempora diſtribuitur.

Si præſtatio unius debiti commodioris ſolutionis gratia per plura tempora diſtribuitur; pars quælibet debiti nonniſi ſuo tempore exigi poteſt, promiſſio tamen nonniſi ſimplex eſt, nec pluribus in diem factis æquipollet. Etenim ſi unum tantummodo fuerit debitum, unum quoque tantummodo eſt, ad quod præſtandum ſeſe obligavit promiſsor, conſequenter quod ſemel præſtitum eſt, id alio tempore non denuo fieri debet, conſequenter nec repetenda præſtatio eſt (§. 509). Quamobrem promiſſio quoque nonniſi ſimplex eſt, nec pluribus æquipollet. *Quod erat unum.*

Quoniam tamen commodioris ſolutionis gratia debiti unius præſtatio per plura tempora diſtribuitur, adeoque pars debiti quælibet certo die præſtanda venit; promiſſio in diem facta intelligitur (§. 500.), conſequenter cum quod in diem promittitur exigi nequeat niſi eo præterlapſo (§. 501.), pars debiti quælibet ſuo tempore præſtanda exigi eodem elapſo poteſt, conſequenter cum nonniſi unica, ſeu ſimplex ſit promiſſio *per demonſtrata*, etſi ea in diem facta ſit *per demonſtrata*, non tamen pluribus in diem factis æquipollet. *Quod erat alterum.*

Ex. gr. Si tibi dare promitto centum aureos in annos quatuor ſolvendos: debitum nonniſi unum eſt, centum nimirum aureorum. Sed eum id præſtare non promiſerim, niſi intra quatuor annos, ita ut ſingulis ſolvantur viginti quinque; nec ante tu partem quamlibet exigere potes, niſi anno, quo ea debetur, præterlapſo. A voluntate enim promiſſoris pendet, quomodo ſeſe tibi obligare voluerit, nec aliud jus ex promiſſione acquirere potuiſti, quam quod ille in te transferre voluit. Etſi autem ſingulis annis ſolvantur totidem aurei; non tamen eadem præſtatio repetitur, cum pars ſemel ſoluta non ſolvatur denuo, quemadmodum idem, quod ante fuerat præſtitum, tanquam debitum peculiare præſtatur; ubi eadem præſtatio repetitur (§ 509). Ceterum non inanis ſubtilitatis gratia promiſſio, quæ præſtationem unius debiti per plura tempora diſtribuit, diſtinguitur a promiſſione, quæ præſtationem multiplicat; ſuo enim loco conſtabit, occurrere caſus, in quibus hæc differentia omnino attendenda venit. Præterea notandum eſt, nihil referre; utrum promiſſio in diem facta præſtationem debiti totius conferat in unum tempus, an vero ratam partem aſſignet temporibus diverſis: modus enim, quo quod debetur præſtandum, non multiplicat præſtationem, adeoque nec multiplicem facit promiſſionem.

§. 518.

Digitized by Google

§. 518.

Quando præſtationem per plura tempora diſtributam ſimul exigere liceat.

Si præſtatio unius debiti per plura tempora diſtribuitur; nec reus debendi ſtatis temporibus præſtitit, quod præſtandum fuerat; totum debitum ab eo ſimul exigi poteſt. Etenim ſi præſtatio unius debiti per plura tempora diſtribuitur, pars quælibet debita ſuo tempore exigi poteſt (§. 517.), conſequenter elapſo tempore, quo pars prima debiti præſtari debebat, tibi competit jus exigendi eandem. Eodem modo patet quod præterito tempore, quo pars altera debiti præſtari debebat, tibi competere jus eandem exigendi & ita porro. Quod ergo ſtatuto tempore non præſtitum quod præſtandum erat; elapſo toto tempore, per quod præſtatio diſtributa fuerat, tibi competit jus præſtationem totam exigendi, atque adeo debitum totum ſimul exigi poteſt.

Toto igitur tempore elapſo non licet amplius provocare ad particularem præſtationem: jus enim differendi præſtationem exſpirat, quam primum dies venit, quo præſtatio aliqua fieri debet, quippe quod cum jure exigendi eandem, quæ parti adverſæ competit, minime conſiſtit. Nimirum jus differendi præſtationem reo debendi non competit niſi ad ea tempora, per quæ illa diſtributa, adeoque ultra ea durare nequit: dum enim promiſſor præſtationem diſtribuit per certa tempora, eo ipſo in promiſſarium contulit jus in fine cujuslibet temporis ratam præſtationis exigendi, adeoque ſeſe obligavit ad eandem non ultra hunc terminum differendam. Qui adeo obligatus eſt ad præſtationem non differendam, eidem competere nequit jus eam ulterius differendi; id quod ex ipſis obligationis atque juris notionibus ſtatim liquet (§. 118. 156 *part. 1. Phil. pract. univerſ.*). Totum adeo debitum præterito tempore, per quod diſtributa fuerat præſtatio, purum eſt, adeoque perinde ac ſi in fine illius temporis promiſſio totius, quod debetur, ſimul ac ſtatim præſtandi facta fuiſſet.

§. 519.

Quando præſtationes repetendæ ſimul exigi poſſint.

Si præſtatio repetenda fuerit, nec ſtatutis temporibus præſtitum, quod præſtandum erat; elapſo toto tempore, quo præſtatio repetenda fuerat, quod promiſſione continebatur, ſimul exigi poteſt. Quoniam promiſſio præſtationem certo tempore repetendam continens æquipollet pluribus promiſſionibus in diem factis (§. 512.), adeoque ſuo tempore quælibet præſtatio exigi poteſt (§. 501.); propoſitio præſens eodem modo demonſtratur, quo præcedens.

Ex. gr. Si tibi promitto quotannis decem aureos in duodecim annos, ſingulis autem annis non ſolvo, quos debeo; poſt annum duodecimum 120. aurei ſimul exigi poſſunt, ſeu jus tibi eſt me vi adigendi; ut ſimul ſolvam: Quæ ad propoſitionem præcedentem annotata ſunt, ad præſentem quoque applicari poſſunt.

§. 520.

Promiſſio in nudam promittentis voluntatem collata qualis ſit.

Si tibi quid promitto ſub hac conditione, ſi mihi placuerit; promiſſio nulla eſt, ſeu breviter: Promiſſio in nudam promittentis voluntatem collata nulla eſt, ſeu inutilis. Etenim qui dicit v. gr. ſe tibi daturum decem aureos, ſi ſibi placuerit, is omnino affirmat, in arbitrio ſuo poſitum eſſe debere, utrum tibi aliquando decem aureos dare velit, nec ne. Nullum igitur in te transfert jus eos exigendi, ſi non dederit. Enimvero nulla eſt promiſſio, qua in alterum non confertur jus id, quod promittitur, exigendi (§. 361.), cumque exigi non poſſit, quod promiſſum putatur, iſtiuſmodi promiſſio inutilis eſt. Quamobrem ſi quid tibi promitto ſub hac conditione, ſi mihi placuit, promiſſio nulla eſt atque inutilis.

Quoniam hæc conditio; ſi placuerit mihi, poteſtativa eſt & quidem in voluntatem promittentis collata (§. 487.); hinc quidam inferunt, ex parte promittentis conditionem poteſtativam locum non habere in promiſſionibus, quippe quæ per eam inutiles efficiantur.

Enim-

Enimvero non omnes conditiones poteſtativæ ex parte promiſſoris æquipollent huic: ſi mihi placuerit, quemadmodum deinceps clarius conſtabit.

§. 521.

Quia vero promiſſio termino præſtationis in arbitrium promiſſoris collata.

Si quid tibi promitto ſub hac conditione, ut dem quando placuerit, quod promiſſum eſt, ſtatim debetur, ſed ante mortem promiſſoris exigi nequit. Etenim ſi dico: promitto tibi dare decem aureos, quando mihi placuerit; conditio deſignat tempus, quo præſtatio fieri debet, conſequenter promiſſio in diem fit (§. 500.), atque adeo quod promittitur, exigi non poteſt, niſi die iſto elapſo (§. 501.). Quoniam vero determinatio iſtius diei pendet a voluntate promiſſoris, ubi is ante obitum non dederit, terminum ſolutionis diem mortis ſtatuiſſe cenſendus eſt. Quamobrem quod promiſſum ante mortem promiſſoris exigi nequit. Quia tamen promiſſor ſeſe tibi obligat ad dandum decem aureos (§. 363.); quod promittitur, ſtatim debetur (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Equidem JCti Romani conditionem ſumunt in ſenſu reſtrictiori pro eventu a caſu aut arbitrio humano pendentem, adeoque adjectionem temporis, in quod differtur præſtatio, pro conditione non habent, præſertim ſi hoc fuerit certum, ac ideo promiſſionem conditionatam a promiſſione in diem facta diſtinguunt, nec eam pro ſpecie illius habent, unde etiam porro promiſſionem puram conditionatæ ac in diem factæ opponunt; in ſenſu tamen philoſophico, quo in Logica uſi ſumus, adjectio etiam temporis, quo terminus præſtationis deſignatur, pro conditione haberi poteſt, quatenus ſcilicet promiſſor obligari non vult promiſſario ad præſtationem, niſi ſub hac conditione, ut promiſſum non præſtetur niſi die ſtatuto. Et quoniam inde nihil detrimenti patitur veritas, nulla ſane ratio eſt, cur in Jure naturæ ſignificatum conditionis immutemus. Hæc tamen monenda eſſe duximus, ne qui argutentur, quaſi a veritate aliena protulerimus, cum de vi ac poteſtate verborum ſtatuere nequeant.

§. 522.

Obligatio promiſſoris ſub conditione poteſtativa ex parte ſui.

Si conditio poteſtativa fuerit ex parte promiſſoris, is eam protrahere non debet eo fine, ne quod promiſſum præſtare teneatur: ad eam tamen adimplendam promiſſarius promiſſorem adigere nequit. Promiſſor enim obligatur ad ſervandum promiſſum (§. 431.), conſequenter nil quicquam facere debet, quod obſtat, quo minus ſervet (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*), conſequenter præſtet, quod promiſſum (§. 430.). Quoniam itaque promiſſor promiſſionem conditionatam non ante adimplere tenetur, quam certum ſit conditionem poni (§. 468.), conſequenter ea extante, quando autem conditio poteſtativa ex parte promiſſoris eſt, ab arbitrio ejuſdem pendet, ut extet (§. 487.); evidens omnino eſt promiſſorem hanc protrahere non debere eo fine, ne quod promiſſum præſtare teneatur. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam vi promiſſionis promiſſario non competit niſi jus exigendi promiſſum conditione extante (§. 467. 468.), conditionem vero ab arbitrio ſuo pendere voluit promiſſor (§. 487.); promiſſario nullum competit jus promiſſorem ad conditionem adimplendam adigendi, conſequenter hoc facere nequit. *Quod erat alterum.*

Ex. gr. Si quis tibi dare promittit viginti aureos, ſi uxorem duxerit; non eo fine matrimonium differre debet, ne eos dare cogatur: tu tamen ipſum cogere nequis ut uxorem ducat. Similiter ſi quis tibi veſtem ſuam dare promittit, quando novam ſibi confici curaverit; non debet hoc differre eo fine, ne dare cogatur, dum ea maxime indiges, & ne det niſi valde detritam: tu tamen ipſum vi adigere haud quaquam potes, ut veſtem novam ſibi fieri curet. Equidem ſunt qui conditionem poteſtativam hoc in caſu tantummodo pro adjectione temporis habent, quando dandum, quod fuit promiſſum, ut adeo promiſſio in ſenſu JCtorum Romanorum non habeatur pro conditionata, ſed pro facta in diem: per ea tamen, quæ ante diximus (*not.* §. 521.), hoc minime obſtat, quo minus eam pro conditionata habeamus quamvis accederent, quæ ſtante ſignificatu ſtrictiori conditionis adhuc opponi poſſent. Ceterum me tacente intelligitur, obligationem, de qua hic loquimur, non eſſe externam, ſed mere internam (§. 656. *part.* 1. *Jur. nat.*).

§. 523.

Ea ulterius exponitur. Quoniam *ſub conditione poteſtativa ex parte ſui promittens* eam protrahere non debet *eo fine, ne quod promiſſum præſtare teneatur* (§. 522.); *multo minus efficere debet, ne extet conditio*, eodem fine.

Quodſi quis illationem propoſitionis præſentis ex præcedente per modum corollarii admittere nolit: is eam demonſtrare poterit eodem modo, quo partem primam præcedentem demonſtravimus. Ex. gr. Si dico: dabo tibi triginta aureos, ſi Doctor ex Academia rediero; non ſine hoc gradu diſcedendum ex eadem, ne illos tibi dare minime tenear, poſt hac deinde gradum iſtum petiturus.

§. 524.

Num promiſſor implere teneatur conditionem poteſtativam ex parte ſui. *Si conditio poteſtativa fuerit ex parte promittentis, is quicquid poterit facere non tenetur ut ea impleatur, niſi & hoc promiſerit.* Etenim qui ſub conditione quid promittit, is promiſſario ad dandum vel faciendum ſeſe non obligat niſi quando conditio extitura (§. 462. 463.), non vero ſeſe obligat ad faciendum, quantum in ſe eſt, ut conditio extet. Quamobrem nec neceſſe eſt, ut faciat, quicquid poſſit, quo extet conditio (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *Quod erat unum.*

Quodſi vero quis præterea promiſit, ſe nihil eorum prætermiſſurum, quod facere poſſit, cum promiſſa ſint ſervanda (§. 431.); is omnino facere tenetur, quicquid poterit, ut extet conditio. *Quod erat alterum.*

Ex. gr. Si quis promittit, ſe omnes cauſas alterius in foro acturum, ſi ſtudio Juris operam navaverit; non ideo tenetur omni diligentia huic incumbere, ut ad cauſas illius in foro agendas ſit aptus. Secus eſt, ſi promiſeris ſe, ut hoc facere poſſit, eidem ſedulam operam navaturum. Exemplum in caſu poſteriori clarius eſt ſequens. Promitto tibi dare librum quendam, ſi eodem potiri potuero. Tum omnino obligor ad operam pro virili dandum, ut eodem potiar: hoc enim promiſſum in promiſſo meo continetur. Ceterum ex hactenus demonſtratis abunde patere arbitror, non omnem promiſſionem ſub conditione in arbitrium promittentis collata factam eſſe inutilem, præſertim ſi cogitemus, dari etiam homines honeſtos, qui in ſervandis promiſſis ſunt tenaces, neque adeo faciunt, quod honeſtati adverſum, etiamſi deſit obligatio extrinſeca (§. 522. 523.). Patet etiam ex demonſtratione propoſitionis præſentis, cum veritate non conſentire *Grotium* de J. B. & P. lib. 2. c. 11. §. in genere aſſerentem, quod in hypotheſi propoſitionis præſentis promiſſor facere tenetur, quicquid moraliter æquum, ut conditio impleatur, cum enim hoc repugnet libertati naturali (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*), jure hoc ſe abdicaſſe dicendus non eſt, niſi ex verbis, quibus animum ſuum promiſſario declaravit, probari poſſit. Sane qui tibi quid promittit, ſi uxorem duxerit, non ideo quoad hunc actum non vult amplius eſſe ſui juris, adeoque particulam quandam libertatis ſuæ alienat. Peculiaris omnino obligatio eſt, qua ad faciendum teneris, ſi omnem operam dare debes, ut nuptias contrahas, quo promiſſarius quod promiſſum accipiat. Obligatio dandi ſub iſta conditione minime involvit obligationem hanc faciendi: ſunt duæ obligationes diſtinctæ, quarum una ab altera minime pendet.

§. 525.

Quonam promittantur ſub conditione reſolutiva. *Sub conditione reſolutiva præſtanda quæ promittuntur, aut continuam habent præſtationem, aut repetendam.* Quoniam enim conditio reſolutiva actus jam perfecti durationem ad illud tempus reſtringit, quo eam extare certum eſt (§. 488.) promiſſio, quæ fit ſub conditione reſolutiva, ſtatim valida eſt, præſtatio vero, quam continet, tamdiu durat, donec conditio exiſtat. Patet adeo præſtationem, quam continet promiſſio ſub conditione reſolutiva facta unico actu abſolvi minime poſſe, ſed vel per certum temporis intervallum durare interruptam, vel certis temporis articulis ſemel factam denuo fieri debere. At at continua eſt præſtatio, ſi per certum intervallum non interrupta durat; repetitur

eadem

eadem, ſi certo tempore denuo fieri debet (§. 509.). Quæ adeo ſub conditione reſolutiva præſtanda promittuntur, aut continuam habent præſtationem, aut repetendam.

Si tibi habitationem in ædibus meis promitto, quamdiu cælebs fueris; promiſſio fit ſub conditione reſolutiva. Hæc igitur promiſſio ſtatim valida eſt. Enimvero quamprimum matrimonium contrahis, præſtatio, quam continet, nimirum ut tibi concedam habitationem in ædibus meis, deſinit, adeoque ad hoc usque tempus durat, conſequenter continua eſt. Similiter ſi tibi promitto quotannis viginti aureos, quamdiu improles fuero; eodem modo, quo ante, patet præſtationem, quæ continetur promiſſione ſub conditione reſolutiva facta, ſingulis annis repetendam eſſe. Erit enim promiſſio ſub conditione reſolutiva facta, ubi dixero: uti debes convictu meo, quamdiu uxorem non duxero, aut donec uxorem ducam. Conditio hæc poteſtativa eſt & pendet a voluntate, ſeu arbitrio promittentis. Hic vero evidens eſt, conditionem poteſtativam, quæ pendet ab arbitrio rei promittendi, ſi reſolutiva fuerit, promiſſionem nunquam efficere poſſe inutilem. Quamobrem cum conditio reſolutiva inter conditionum ſpecies numeratur; vel hoc nomine in promiſſionibus quoque admittenda erit conditio poteſtativa in arbitrio rei promittendi poſita.

§. 526.

Si conditio reſolutiva nunquam exiſtit, promiſſio ſub ea facta æquipollet huic: quamdiu vivam. Quoniam enim quod ſub conditione reſolutiva promittitur, tamdiu præſtari debet, donec ea exiſtat (§. 488.), ubi nunquam exiſtit, tamdiu idem promiſſor præſtare voluiſſe cenſendus eſt, donec vixerit. Quamobrem ſi conditio reſolutiva nunquam exiſtit, promiſſio ſub ea facta æquipollet huic: quamdiu vivam.

Quinam effectus promiſſionis ſub conditione reſolutiva nunquam exſtitura.

Ex. grat. Si dico; convictu meo uti debes, quamdiu cælebs fueris, tu vero nunquam uxorem duxeris, nemo dubitabit, præſtationem tamdiu durare debere, quamdiu vixero. Quodſi enim ex me quæreres, an victum dabis, quamdiu vives, ſi te vivente uxorem non duxero, utique reſpondebis, ſe daturum. Verba tua non aliam recipiunt interpretationem. Similiter ſi dico: dabo tibi quotannis duodecim aureos, quamdiu improles fuero: nemo non hinc colliget, me tibi, quoad vixero, decem aureos dare velle, ſi nulla mihi extiterit proles. Nimirum actus, qui conditione exiſtente reſolvi debet, ipſa promiſſio eſt, adeoque illa non exiſtente perdurat, conſequenter præſtatio a promiſſore fieri debet, quamdiu durat. Secus ſe res habet, ſi alii actus celebrentur ſub conditione poteſtativa, qui perpetuam durationem non admittunt, ſed ſtatuto tempore per ſe finiuntur, quale exemplum occurrit in tutela, quod ſupra dedimus (*not.* §. 488.); vel etiam ſi actus in præſens abſolvuntur, nec in futurum prominent, qui conditione non exiſtente, in perpetuum validi permanent, quale exemplum ſupra dedimus in lege commiſſoria (*not.* § *cit.*). Sed de hiſce actibus nobis non ſermo eſt, quando de promiſſionibus agitur, verum de præſtationibus in futurum, quod nemo non intelligit, qui vel promiſſionis definitionem perpenderit (§. 361.). Ita ſi dico: Habitabis in ædibus meis, quamdiu filius meus non redierit, filius autem meus abſens moritur, ut redire nunquam poſſit, conditio reſolutiva non exiſtit. Habitabis ergo in ædibus meis, quoad vixero, ſi ſcilicet tamdiu mihi ſint ædes, quæ conditio tacite ineſt promiſſioni, reſolvens eandem, etiamſi filio adhuc vivo, ſed nondum reduce, ædes mihi non amplius fuerint. In caſibus particularibus facile perſpicitur, quænam conditiones tacite inſint promiſſo, ne tibi promiſſorem ultra id obligatum eſſe ſumas, ad quod tibi obligatus eſſe voluit. Quodſi homines caſus omnes futuros proſpicerent, in declaranda voluntate ſua circumſpectiores forent: quoniam vero ad eos animum non advertunt, qui de futuro voluntatem ſuam declarant, ideo tacite haud raro quædam ſupponunt, quæ æqua interpretatione ſuppleri debent. Atque ideo lex naturæ de hac interpretatione etiam præcipit ſuo loco expendenda.

§. 527.

Si quod promittis nunc non eſt in poteſtate tua, ſed aliquando eſſe poſſit; promiſſio fit ſub tacita hac conditione, ſi res in poteſtatem veneris. Etenim ſi promittis, quod nondum eſt in poteſtate tua; per ſe patet te dare non poſſe, quod non habes, conſequenter nec in alterum transferre potes jus hoc a te ſtatim exigendi, neque adeo etiam ad ſtatim dandum te obligas (§. 361. 363.). Quoniam

Qualis eſt promiſſio eorum, quæ nunc in poteſtate non

ſunt, aliquando tamen eſſe poſſunt.

niam vero aliquando in poteſtatem tuam venire poteſt, quod promittis, *per hypoth.* cum bonum obtentu poſſibile ſpem gignat (§. 806. *Pſych. empir.*), eidem in poteſtatem tuam venturum ſperas, conſequenter promittis, quod in poteſtate tua aliquando futurum ſperas. Quamobrem patet promiſſionem non fieri poſſe, niſi ſub hac conditione, ſi res in poteſtatem venerit: quam cum diſertis verbis non exprimis, tacite ea promiſſioni ineſt.

Ex. gr. Si promittis fructus in horto tuo futura æſtate naſcendos, vel vinum quod proximo anno feret vinea tua; evidens eſt, promiſſioni ineſſe tacite hanc conditionem, ſi arbores proxima æſtate fructus ferant, vel ſi vinum feret vinea tua anno proximo. Similiter ſi ædes emere conſtitui & tibi habitationem in iiſdem promitto; tacite promiſſioni ineſt hæc conditio, ſi eas emero, vel niſi venditor eas alii emtori vendere malit, prouti caſus tulerit: plures enim dantur rationes, cur ædibus, quas emere conſtituiſti, potiri non potueris.

§. 528.

Qualis obligatio ex iſta promiſſione naſcatur.

Si quod promittis nunc non eſt in poteſtate tua, ſed aliquando eſſe poſſit; promiſſionem non ante adimplere teneris, quam ubi in poteſtatem tuam venerit, quodſi non veniat, promiſſio nulla eſt. Etenim ſi quod promittis nunc non eſt in poteſtate tua, ſed aliquando eſſe poſſit; promiſſio fit ſub tacita hac conditione, ſi res in poteſtatem venerit (§. 527.), adeoque conditionata eſt (§. 462.). Enimvero promiſſionem conditionatam non ante adimplere tenetur promiſſor, quam tibi certum fuerit extare conditionem (§. 468.). Ergo ſi quod promittis nunc non eſt in poteſtate tua, ſed aliquando eſſe poſſit, promiſſionem non ante adimplere teneris, quam ubi id in poteſtatem tuam venerit. *Quod erat primum.*

Jam vero promiſſio valida non eſt, niſi conditio in ſe certa ſit (§. 463.), nec num valida ſit, ante cognoſci poteſt, quam certum ſit eam extare (§. 467.). Quamobrem ſi quod in poteſtatem tuam venturum ſperas, in eam non venerit; nec valida eſſe poteſt promiſſio, adeoque nulla eſt.

Ita ſi tibi promiſi fructus in horto meo futura æſtate naſcendos, non ante tibi dare teneor, quam donec ad maturitatem nati pervenerint. Quodſi naſcantur nulli, nullos quoque dare teneor: neque enim exiſtit conditio, quæ tacite inerat promiſſioni, ſi fructus futura æſtate in horto meo naſcantur. Similiter ſi vinum, quod proxima æſtate feret vinea mea, promiſero; non ante dare teneor, quam donec illud fuerit in cella vinaria mea ex uvis proxima æſtate natis in vinea mea. Quodſi proxima æſtas fuerit ſterilis, ut uvas nullas ferat vinea, non exiſtente conditione nihil tibi debeo. Idem valet in exemplo habitationis promiſſæ in ædibus, quas emere volui, ſed non emi quacunque de cauſa impeditus (*vct*. §. 527.). Enimvero ſi promitto ceraſa futura, non expreſſo tempore, quo naſci debent, nec tacite ſubintellecto; licet proxima æſtate hortus tuus ceraſa nulla ferat, danda tamen adhuc ſunt, ſi alia inſequente feret. Conditio enim tacita, quæ tunc ineſt promiſſioni tempus adjectum non habenti, hæc eſſe intelligitur, quando hortus ceraſa feret: id quod ex conditione generali, quæ promiſſis iſtiuſmodi ineſt (§. 527.), liquido conſtat. Idem intelligitur de amphora vini, quod feret vinea tua, promiſſis. In iſtiuſmodi adeo promiſſionibus expectandum eſt, donec promiſſio vel ceſſat, vel valeat. Ceterum cum eædem conditionatæ ſint, per ſe patet, ad eas omnia applicanda eſſe, quæ de promiſſione conditionata demonſtrata ſunt, ut adeo opus non ſit eſſe prolixioribus.

§. 259.

Quando promiſſio conditionata aut in diem facta abeat in puram.

Quamprimum conditionem extare certum eſt, vel in ſpecie dies, in quem facta promiſſio, venit; promiſſio conditionata, aut in ſpecie in diem facta æquipollet puræ. Etenim quamprimum certum eſt poni, ſeu extare conditionem, promiſſionem validam eſſe conſtat (§. 467.). Perinde igitur eſt, ac ſi tum abſque ulla conditione promitteres, quod ſub eadem promiſſum fuerat. Similiter cum, quod in diem promiſſum eſt, exigi poſſit, ubi dies venit (§. 501.); idem eo-

dem

dem modo intelligitur de promiſſione in diem facta. Quamobrem cum pura ſit promiſſio, quæ nullam conditionem in ſenſu ſcilicet latiori (*not.* §. 522.), adeoque nec adjectionem temporis, in quod præſtatio differtur, habet (§. 462.); promiſſio conditionata, ac in ſpecie in diem facta puræ æquiparatur, quamprimum certum eſt extare conditionem, aut in ſpecie dies venit, in quem facta promiſſio.

Hanc propoſitionem ideo apponere libuit, ut conſtet, quæ de promiſſione pura demonſtrata ſunt, ad conditionatam quoque & in diem factam applicari poſſe ac debere, quamprimum certum eſt extare conditionem, aut diem, in quem facta promiſſio, veniſſe: id quod exempla clare loquuntur. Ex. gr. Si tibi 20. aureos promitto, ſiquidem patruus meus, qui gravi morbo laborat & me hæredem inſtituit, moriatur; hic autem diem ſupremum obiit; omnino perinde eſt ac ſi tibi, quamprimum obit, aut de obitu conſtat, pure promitterem viginti aureos: conditione enim, quæ ante ſuſpenderat obligationem meam & jus tuum, nullus amplius eſt effectus, conſequenter nec ulla amplius in promiſſo ejus habenda ratio eſt.

§. 530.

Quamprimum certum eſt conditionem reſolutivam extare, præſtatio ejus, quod ſub ea promiſſum, ſtatim ceſſat, & in genere jus ſub ea quæſitum ſtatim tollitur. Etenim conditio reſolutiva actus jam perfecti durationem reſtringit ad illud tempus, quo eam extare certum eſt (§. 488.), conſequenter præſtationem ejus, quod ſub ea promiſſum eſt, & in genere jus tibi ſub ea quæſitum tamdiu durare debere patet, donec eam extare certum ſit. Quamprimum adeo certum eſt conditionem reſolutivam extare, ſtatim ceſſat ejus, quod ſub ea promiſſum eſt, præſtatio, & in genere jus tibi ſub ea quæſitum ſtatim tollitur.

Effectus conditionis reſolutivæ extantis.

Nimirum extante conditione reſolutiva perinde eſt, ac ſi tibi nihil promiſſum fuiſſet, & in genere ac ſi nullum tibi jus quæſitum fuiſſet. Ita ſi habitare debes in ædibus meis, donec filius, qui peregre abeſt, domum redierit; eo adveniente ceſſat habitatio in ædibus meis tibi hactenus conceſſa, adeoque ab eo tempore perinde eſt, ac ſi habitationem in ædibus meis tibi non promiſiſſem. Idem valet, ſi ſub eadem conditione tibi promiſerim, ut convictu meo utaris. Similiter ſi tutor eſſe debes, donec Titius ex militia redierit; jus adminiſtrandi tutelam ſtatim exſpiret, ubi is redit. Si ædes venditæ fuerint ſub ea conditione, ut, ſi tu intra anni dimidium non ſolveris pretium, interea vero pinguior emtor ſeſe offeret, ædes ſint inemtæ, tu vero ſtatuto tempore pretium non ſolveris & pinguior emtor ſe interea obtulerit; ædes tuæ eſſe deſinunt, ac perinde eſt ac ſi tibi venditæ non fuiſſent. Quæ hic exempli loco in medium afferuntur, de iis ſuo loco ex inſtituto agatur.

§. 531.

Si plures conditiones copulative adjiciantur promiſſioni, ea non valet, niſi omnes ſimul extent, nec ante valet, niſi omnes extare certum eſt. Quodſi enim plures conditiones copulative adjiciantur promiſſioni, promiſſor tibi ſeſe ad præſtandum obligare non voluit, niſi conditiones omnes exiſtant, nequaquam vero ſi una aut altera exiſtat (§. 462.). Quamobrem cum præter voluntatem ſuam tibi obligari minime poſſit (§. 357.); promiſſio quoque non valet, niſi omnes ſimul extent. *Quod erat unum.*

Quando valeat promiſſio, pluribus conditionibus copulative adjectis.

Enimvero num valida ſit promiſſio conditionata non ante conſtare poteſt, quam certum ſit poni conditionem (§. 467.). Quamobrem cum conditionata promiſſio non ſit valida, niſi conditiones omnes copulative adjectæ extent *per demonſtrata*; promiſſio ſub conditionibus pluribus copulative adjectis non ante valet, quam certum ſit, eas omnes extare. *Quod erat alterum.*

Ex. gr. promitto tibi duodecim aureos, ſi patruus meus mortuus ſit & me hæredem inſtituerit. Quamvis ergo certum ſit, eum mortuum eſſe, duodecim tamen aureos tibi nondum debeo, niſi & compertum ſit me ab ipſo hæredem eſſe inſtitutum. Similiter ſi dicam: dabo tibi centum aureos, ſi ſtudio Medicinæ operam dederis & Mæviam uxorem duxeris; nondum valet promiſſio, quamvis Medicinæ Doctor ex Academia redis, niſi & Mæviam uxorem ducas.

§. 532.

ſunt, aliquando tamen eſſe poſſunt. niam vero aliquando in poteſtatem tuam venire poteſt, quod promittis, *per hypoth.* eum bonum obtentu poſſibile ſpem gignat (§. 800. *Pſych. empir.*), eidem in poteſtatem tuam venturum ſperas, conſequenter promittis, quod in poteſtate tua aliquando futurum ſperas. Quamobrem patet promiſſionem non fieri poſse, niſi ſub hac conditione, ſi res in poteſtatem venerit: quam cum diſertis verbis non exprimis, tacite ea promiſſioni ineſt.

Ex. gr. Si promittis fructus in horto tuo futura æſtate naſcendos, vel vinum quod proximo anno feret vinea tua; evidens eſt, promiſſioni ineſſe tacite hanc conditionem, ſi arbores proxima æſtate fructus ferant, vel ſi vinum feret vinea tua anno proximo. Similiter ſi ædes emere conſtitui & tibi habitationem in iiſdem promitto; tacite promiſſioni ineſt hæc conditio, ſi eas emero, vel niſi venditor eas alii emtori vendere malit, prouti caſus tulerit: plures enim dantur rationes, cur ædibus, quas emere conſtituiſti, potiri non potueris.

§. 528.

Qualis obligatio ex iſta promiſſione naſcatur. *Si quod promittis nunc non eſt in poteſtate tua, ſed aliquando eſſe poſſit; promiſſionem non ante adimplere teneris, quam ubi in poteſtatem tuam venerit, quodſi non veniat, promiſſio nulla eſt.* Etenim ſi quod promittis nunc non eſt in poteſtate tua, ſed aliquando eſse poſſit; promiſſio fit ſub tacita hac conditione, ſi res in poteſtatem venerit (§. 527.), adeoque conditionata eſt (§. 462.). Enimvero promiſſionem conditionatam non ante adimplere tenetur promiſsor, quam tibi certum fuerit extare conditionem (§. 468.). Ergo ſi quod promittis nunc non eſt in poteſtate tua, ſed aliquando eſse poſſit, promiſſionem non ante adimplere teneris, quam ubi id in poteſtatem tuam venerit. *Quod erat primum.*

Jam vero promiſſio valida non eſt, niſi conditio in ſe certa ſit (§. 463.), nec num valida ſit, ante cognoſci poteſt, quam certum ſit eam extare (§. 467.). Quamobrem ſi quod in poteſtatem tuam venturum ſperas, in eam non venerit; nec valida eſse poteſt promiſſio, adeoque nulla eſt.

Ita ſi tibi promiſi fructus in horto meo futura æſtate naſcendos, non ante tibi dare teneor, quam donec ad maturitatem nati pervenerint. Quodſi naſcantur nulli, nullos quoque dare teneor: neque enim exiſtit conditio, quæ tacite inerat promiſſioni, ſi fructus futura æſtate in horto meo naſcantur. Similiter ſi vinum, quod proxima æſtate feret vinea mea, promiſero; non ante dare teneor, quam donec illud fuerit in cella vinaria mea ex uvis proxima æſtate natis in vinea mea. Quodſi proxima æſtas fuerit ſterilis, ut uvas nullas ferat vinea, non exiſtente conditione nihil tibi debeo. Idem valet in exemplo habitationis promiſſæ in ædibus, quas emere volui, ſed non emi quacunque de cauſa impeditus (*not.* §. 527.). Enimvero ſi promitto ceraſa futura, non expreſſo tempore, quo naſci debent, nec tacite ſubintellecto; licet proxima æſtate hortus tuus ceraſa nulla ferat, danda tamen adhuc ſunt, ſi alia inſequente feret. Conditio enim tacita, quæ tunc ineſt promiſſioni tempus adjectum non habenti, hæc eſſe intelligitur, quando hortus ceraſa feret: id quod ex conditione generali, quæ promiſſis iſtiuſmodi ineſt (§. 527.), liquido conſtat. Idem intelligitur de amphoris vini, quod feret vinea tua, promiſſis. In iſtiuſmodi adeo promiſſionibus expectandum eſt, donec promiſſio vel ceſſet, vel valeat. Ceterum cum eædem conditionatæ ſint, per ſe patet, ad eas omnia applicanda eſſe, quæ de promiſſione conditionata demonſtrata ſunt, ut adeo opus non ſit eſſe prolixioribus.

§. 259.

Quando promiſſio conditionata, aut in diem facta abeat in puram. *Quamprimum conditionem extare certum eſt, vel in ſpecie dies, in quem facta promiſſio, venit; promiſſio conditionata, aut in ſpecie in diem facta æquipollet puræ.* Etenim quamprimum certum eſt poni, ſeu extare conditionem, promiſſionem validam eſse conſtat (§. 467.). Perinde igitur eſt, ac ſi tum abſque ulla conditione promitteres, quod ſub eadem promiſsum fuerat. Similiter cum, quod in diem promiſsum eſt, exigi poſſit, ubi dies venit (§. 501.); idem eodem

Digitized by Google

dem modo intelligitur de promiſſione in diem facta. Quamobrem cum pura ſit promiſſio, quæ nullam conditionem in ſenſu ſcilicet latiori (*not.* §. 522.), adeoque nec adjectionem temporis, in quod præſtatio differtur, habet (§. 462.); promiſſio conditionata, ac in ſpecie in diem facta puræ æquiparatur, quamprimum certum eſt extare conditionem, aut in ſpecie dies venit, in quem facta promiſſio.

Hanc propoſitionem ideo apponere libuit, ut conſtet, quæ de promiſſione pura demonſtrata ſunt, ad conditionatam quoque & in diem factam applicari poſſe ac debere, quamprimum certum eſt extare conditionem, aut diem, in quem facta promiſſio, veniſſe: id quod exempla clara loquuntur. Ex. gr. Si tibi 20. aureos promitto, ſiquidem patruus meus, qui gravi morbo laborat & me hæredem inſtituit, moriatur; hic autem diem ſupremum obiit; omnino perinde eſt ac ſi tibi, quamprimum obit, aut de obitu conſtat, pure promitterem viginti aureos: conditionis enim, quæ ante ſuſpenderat obligationem meam & jus tuum, nullus amplius eſt effectus, conſequenter nec ulla amplius in promiſſo ejus habenda ratio eſt.

§. 530.

Quamprimum certum eſt conditionem reſolutivam extare, præſtatio ejus, quod ſub ea promiſſum, ſtatim ceſſat, & in genere jus ſub ea quæſitum ſtatim tollitur. *Effectus conditionis reſolutivæ extantis.* Etenim conditio reſolutiva actus jam perfecti durationem reſtringit ad illud tempus, quo eam extare certum eſt (§. 488.), conſequenter præſtationem ejus, quod ſub ea promiſſum eſt, & in genere jus tibi ſub ea quæſitum tamdiu durare debere patet, donec eam extare certum ſit. Quamprimum adeo certum eſt conditionem reſolutivam extare, ſtatim ceſſat ejus, quod ſub ea promiſſum eſt, præſtatio, & in genere jus tibi ſub ea quæſitum ſtatim tollitur.

Nimirum extante conditione reſolutiva perinde eſt, ac ſi tibi nihil promiſſum fuiſſet, & in genere ac ſi nullum tibi jus quæſitum fuiſſet. Ita ſi habitare debes in ædibus meis, donec filius, qui peregre abeſt, domum redierit; eo adveniente ceſſat habitatio in ædibus meis tibi hactenus conceſſa, adeoque ab eo tempore perinde eſt, ac ſi habitationem in ædibus meis tibi non promiſiſſem. Idem valet, ſi ſub eadem conditione tibi promiſerim, ut convictu meo utaris. Similiter ſi tutor eſſe debes, donec Titius ex militia redierit; jus adminiſtrandi tutelam ſtatim exſpirat, ubi is redit. Si ædes venditæ fuerint ſub ea conditione, ut, ſi tu intra anni dimidium non ſolveris pretium, interea vero pinguior emtor ſeſe offerat, ædes ſint inemtæ, tu vero ſtatuto tempore pretium non ſolvaris & pinguior emtor ſe interea obtulerit; ædes tuæ eſſe deſinunt, ac perinde eſt ac ſi tibi venditæ non fuiſſent. Quæ hic exempli loco in medium afferuntur, de iis ſuo loco ex inſtituto agatur.

§. 531.

Si plures conditiones copulative adjiciantur promiſſioni, ea non valet, niſi omnes ſimul extent, nec ante valet, niſi omnes extare certum eſt. *Quando valeat promiſſio, pluribus conditionibus copulative adjectis.* Quodſi enim plures conditiones copulative adjiciantur promiſſioni, promiſſor tibi ſeſe ad præſtandum obligare non voluit, niſi conditiones omnes exiſtant, nequaquam vero ſi una aut altera exiſtat (§. 462.). Quamobrem cum præter voluntatem ſuam tibi obligari minime poſſit (§. 357.); promiſſio quoque non valet, niſi omnes ſimul extent. *Quod erat unum.*

Enimvero num valida ſit promiſſio conditionata non ante conſtare poteſt, quam certum ſit poni conditionem (§. 467.). Quamobrem cum conditionata promiſſio non ſit valida, niſi conditiones omnes copulative adjectæ extent *per demonſtrata*; promiſſio ſub conditionibus pluribus copulative adjectis non ante valet, quam certum ſit, eas omnes extare. *Quod erat alterum.*

Ex. gr. promitto tibi duodecim aureos, ſi patruus meus mortuus ſit & me hæredem inſtituerit. Quamvis ergo certum ſit, eum mortuum eſſe, duodecim tamen aureos tibi nondum debeo, niſi & compertum ſit me ab ipſo hæredem eſſe inſtitutum. Similiter ſi dicam: dabo tibi centum aureos, ſi ſtudio Medicinæ operam dederis & Mæviam uxorem duxeris; nondum valet promiſſio, quamvis Medicinæ Doctor ex Academia redis, niſi & Mæviam uxorem ducas.

§. 532.

§. 532.

Quando valeat con-ditionibus pluribus disjunctive adjectis.

Si promiſſioni conditiones plures disjunctive adjiciantur earum una extante, ſtatim valet promiſſio, etiamſi ceteræ non ſint exſtituræ. Etenim ſi promiſſioni conditiones plures disjunctive adjiciantur, promiſſor tibi ad præſtandum obligatus eſſe voluit ſub earum una, quæcunque tandem illarum exſtiterit (§. 462.). Quamobrem cum obligatio non naſcatur niſi ex mutuo conſenſu (§. 357.), adeoque hæc metienda ſit ex voluntate promiſſoris; ubi conditionum disjunctive adjectarum una exſtiterit, ſtatim valere debet promiſſio, etiamſi ceteræ non ſint exſtituræ.

Nimirum quamprimum conditio una exiſtit, ceteræ pro non adjectis habentur, cum vis obligandi non pendeat niſi ab una. Exemplum eſto tale. Dabo tibi ſumtus ſtudiorum, ſi aut Juri, aut Medicinæ operam dederis. Hic electioni tuæ relinquitur, utrum Juri, an Medicinæ operam dare velis. Quamobrem ſive Juri, ſive Medicinæ operam des ſumtus ſtudiorum a me tibi dandi. Similiter ſi dicam: dabo tibi quotannis viginti aureos, ſi aut avus meus mortuus fuerit, aut Tanaquilla mihi nupſerit, ſtatim debeo promiſſum annuum, ubi horum alterutrum contigerit, v. gr. ſi avus meus moriatur, etiamſi Tanaquilla mihi non nubat.

§. 533.

Item ſi conditiones plures copulative & disjunctive adjiciantur.

Si conditiones plures partim copulative, partim disjunctive adjiciantur promiſſioni; valebit promiſſio, ſive quæ copulantur omnes exſtiterint, ſive una earum, quæ disjunguntur. Etenim ſi plures copulative adjectæ ab aliis disjunguntur, in oppoſitione ad disjunctivas habentur pro disjunctiva una. Quamobrem cum promiſſio valeat, ſi disjunctivarum una exiſtat (§. 532.), ubi autem plures copulantur non valida ſit promiſſio, niſi omnes extent (§. 531.), valebit promiſſio, cui conditiones plures partim copulative, partim disjunctive adjiciuntur, ſi vel omnes, quæ copulantur, exſtiterint, vel una earum, quæ disjunguntur.

Nimirum ſi conditiones plures disjunctive adjiciantur, aut omnes ſunt ſimplices, aut quædam earum, vel etiam omnes compoſitæ, quæ adeo inter ſe copulantur. Quamobrem ſi disjunctive adjecta exiſtere debet, ubi ea conſtet ex pluribus, hæ omnes extare debent, antequam dici poſſit extare conditionem disjunctive adjectam. Exemplum tale eſto. Si agnatus meus Sempronius mortuus ſit & me hæredem inſtituerit, vel Mævia mihi nupſerit, dabo tibi Medicinæ operam in Academia navaturo quotannis quinquaginta aureos. Quatuor huic promiſſioni inſunt conditiones, nimirum agnatum meum eſſe mortuum, eundem me hæredem inſtituiſſe, Mæviam mihi nupturam, te Medicinæ operam navaturum. Prima, ſecunda & quarta, itemque tertia & quarta copulantur, ſed prima, ſecunda & quarta copulatæ disjunguntur a tertia & quarta copulata. Quamobrem ſi valere debet promiſſio, aut neceſſe eſt agnatum meum mortuum eſſe & me hæredem inſtituiſſe & te Medicinæ operam navare in Academia, aut Mæviam mihi nubere & te Medicinam colere in Academia.

§. 534.

Quando promiſſio conditionata evaneſcat.

Quamprimum certum eſt deficere conditionem, promiſſio pro non facta habenda, ſeu evaneſcit. Conditio enim valida eſſe nequit, niſi conditio exſtiterit (§. 463.). Quando ergo certum eſt, eam non extitiſſe, aut exiſtere non poſſe, conſequenter eam deficere, nec valida fieri poteſt promiſſio, atque adeo perinde eſt, ac ſi nihil promiſſum fuiſſet. Patet itaque quamprimum certum eſt deficere conditionem, promiſſionem pro non facta habendam, ſeu evaneſcere.

Oſtenditur etiam hoc modo. Quamprimum certum eſt deficere conditionem, evidens eſt fieri non poſſe ut extet, atque adeo perinde eſt ac ſi ſub conditione impoſſibili promiſſio facta fuiſſet (§. 483.). Sed promiſſio ſub conditione impoſſibili facta nulla eſt (§. 484.), adeoque pro non facta habenda. Ergo etiam pro non facta haberi debet promiſſio, quamprimum certum eſt conditionem deficere.

Po-

Poſterioris demonſtrationis vim ſtatim percipiet, qui ad animum revocaverit ea, quæ de conditionum certitudine in ſe ſpectata ſupra annotavimus (*not.* §. 464), præſertim ubi determinatam veritatem contingentium (§. 107. *Coſm.*), earumdemque neceſſitatem hypotheticam habuerit perſpectam (§. 102. *Coſm.*) ac probe conſideraverit, in mundo extrinſece poſſibile non eſſe, niſi quod vel extitit, vel actu præſens eſt, vel olim exiſtet (§. 112. *Coſmol.*).

§. 535.

Quoniam deficiente conditione promiſſio pro non facta habenda (§. 534.), promiſſio autem poteſtativa deficit, quamprimum certum eſt eam non fuiſſe impletam, aut impleri non poſſe; *promiſſio ſub conditione poteſtativa facta pro non facta habenda, quamprimum certum eſt, eam non fuiſſe impletam, aut impleri non poſſe.* *Quando evaneſcat ſub conditione poteſtativa facta.*

Ex. grat. Dabo tibi quotannis, quamdiu ſtudiorum gratia in Academia vixeris, quinquaginta aureos, ſi Medicinæ operam naves. Quodſi ſtudium theologicum eligis, nec Medicinæ operam dare velis, certum eſt, conditionem poteſtativam non fuiſſe impletam. Promiſſio itaque pro non facta habenda, neque adeo ego tibi teneor annuos quinquaginta aureos præſtare. Similiter dabo tibi centum aureos, ſi Mæviam, quæ tibi oubere vult, uxorem ducas. Quodſi tu matrimonium contrahas cum Tanaquilla, certum eſt, te conditionem adimplere haud quaquam poſſe. Promiſſio itaque evaneſcit, nec ego tibi nuptias celebranti dare cogor centum, quos promiſeram, aureos.

§. 536.

Quamprimum certum eſt conditionem deficere, ſpes debitum iri ſtatim evaneſcit. Etenim quamprimum certum eſt conditionem deficere, promiſſio pro non facta habenda (§. 534.). Sed ſpem debitum iri promiſſarius habet ex promiſſione conditionata, quamdiu nondum certum eſt conditionem extare (§. 471.). Quamobrem quamprimum certum eſt, conditionem deficere, ſpes debitum iri ſtatim evaneſcit. *Spes debitum iri quando evaneſcat.*

Ex promiſſione conditionata promiſſarius non habet niſi ſpem debitum iri (§. 471.). Illa igitur deficiente, hæc evaneſcit, & ſpe ſua ſe fruſtratum expetitur promiſſarius.

§. 537.

Promiſſio perſonalis eſt, quæ reſtringitur ad perſonam promiſſarii, ita ut promiſſor nemini obligatus eſſe velit niſi promiſſario. Confertur autem promiſſio in perſonam promiſſarii vel expreſſe, vel tacite, quando ex materia promiſſi aliiſque circumſtantiis colligitur, quod promiſſor nemini niſi promiſſario ad præſtationem velit eſſe obligatus. *Promiſſio perſonalis quænam ſit.*

Ex. gr. Dabo tibi centum aureos, quando in Academiam profecturus es. Quoniam centum aurei promittuntur, ne deſint neceſſarii ſtudiorum ſumtus in Academia, vel ut tanto commodius ibidem degere ac ſtudiis operam dare poſſis; nemo non intelligit, promiſſionem reſtringi ad perſonam tuam.

§. 538.

Quoniam vi promiſſionis jus exigendi, quod promittitur, in promiſſarium transfertur (§. 361.), quando vero promiſſio perſonalis eſt, promiſſor nemini obligatus eſſe vult niſi promiſſario (§. 537.); *in promiſſione perſonali jus exigendi quod promittitur ad perſonam promiſſarii reſtringitur, ita ut nemo alius præſtationem promiſſi ſuo nomine exigere poſſit*, conſequenter *& jus ad id, quod promittitur, ad ſolam promiſſarii perſonam reſtringitur.* *Quid in ea fiat.*

Digitized by Google

Ita ſi tibi promitto centum aureos, quando in Academiam profecturus es; nec frater tuus, ſi tu vel maxime velis, eos exigere poteſt, quando in Academiam proficiſcitur. Vel ſi tibi promittuntur in quatuor annos centum aurei; non tu per annos duos, frater tuus itidem per biennium eos exigere valet.

§. 539.

Jus perſonale quid ſit.

Jus perſonale eſt, quod ad perſonam, cui competit, ita reſtringitur, ut ab ea in aliam transferri non poſſit.

Hinc dici ſolet, jus perſonale non egredi perſonam, cui inhæret. Ita ſi tibi competit jus perſonale habitandi in meis ædibus, jus hoc nullomodo, quicunque tandem fuerit, in alium transferre potes, adeoque ſi tu in iis habitare nolis, tuo nomine non alius in iiſdem habitare poteſt. Similiter ſi tu convictu meo uti debes, non alium in locum tui ſubſtituere potes.

§. 540.

Quale jus acquiratur ex promiſſione perſonali.

Jus, quod ex promiſſione perſonali acquiritur, perſonale eſt. Etenim jus, quod ex promiſſione perſonali acquiritur, ita reſtringitur ad perſonam promiſſarii, ut alii competere nequeat (§. 538.). Quoniam itaque jus, quod ad perſonam, cui competit, ita reſtringitur, ut nullo modo ab ea in aliam transferri poſſit, perſonale eſt (§. 539.); jus, quod ex promiſſione perſonali acquiritur perſonale eſt.

Ita ſi tibi promittuntur, quandiu in Academia vixeris, centum quotannis aurei; jus, quod acquiris, eos exigendi nonniſi perſonale eſt.

§. 541.

Jus perſonale inalienabile.

Jus perſonale alienari nequit, ſeu in ſe inalienabile eſt. Neque enim a perſona, cui competit, in aliam transferri poteſt (§. 539.); conſequenter ipſa de eo, tanquam re ſua incorporali, pro arbitrio ſuo diſponere nequit, adeoque nec jus iſtud in dominio habet (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum alienatio in translatione dominii conſiſtat (§. 662. *part. 2. Jur. nat.*), adeoque quod in dominio noſtro non eſt, alienari non poſſit; jus perſonale alienari nequit, conſequenter in ſe inalienabile eſt.

Res incorporales in dominio eſſe poſſe demonſtravimus alias (§. 216. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem ſi cui dubium quoddam circa propoſitionem præſentem ſuboriatur; is non modo demonſtrationem loco citato datam perpendat, verum etiam relegat, quæ ibidem annotavimus.

§. 542.

Jus perſonale quando deſinat.

Jus perſonale cum ipſa perſona extinguitur, ſeu morte ejus exſpirat. Etenim a perſona, cui competit, in aliam non transferri poteſt (§. 539.). Quando igitur is, cui competit, moritur, nemo eſt, cui competere amplius poſſit. Atque adeo patet, morte ejus, cui competit, idem exſpirare, ſeu idem cum ipſa perſona extingui.

§. 543.

Perſonale in genere quid dicatur.

Perſonale in genere dicitur, quod perſonæ cuidam ita inhæret, ſeu competit, ut ab ea in aliam nullo modo transire poſſit.

Quo-

Quoniam hoc termino ſubinde utemur, placuit eundem in genere definire, ne definitionum numerus præter neceſſitatem ſit multiplicandus.

§. 544.

Qualis ſpes ex conditionata promiſſione perſonali oriatur.

Si promiſſio conditionata fuerit perſonalis, ſpes debitum iri etiam perſonalis eſt. Ex promiſſione conditionata promiſſarius nonniſi ſpem habet debitum iri, quamdiu incertum eſt, conditionem extare (§. 471.), quæ in jus erigitur, conditione extante (§. 469. 473.). Enimvero jus hoc perſonale eſt, ſi promiſſio fuerit perſonalis (§. 540.). Quamobrem & ſpes debitum iri perſonalis eſſe debet, ſi promiſſio conditionata perſonalis fuerit.

Sane ſpes debitum iri foret tibi inutilis, quæ excitat jus, quo uti non potes (§. 528.). Nemini niſi promiſſario quid deberi poteſt, ubi conditio extiterit. Quamobrem nec alii niſi promiſſario ſpes debitum iri competere poteſt. Si tibi in Academiam profecturo promitto centum aureos, nemo habere poteſt ſpem eos obtinendi ubi in Academiam proficiſcitur, præter te.

§. 545.

An ea in alium transferri, vel tranſmitti poſſit.

Quoniam ſpes debitum iri ex promiſſione conditionata perſonali orta perſonalis eſt (§. 544.); quicquid autem perſonale eſt, nullo modo in perſonam aliam tranſire poteſt (§. 543.); *ſpes* quoque *debitum iri, quam ex promiſſione conditionata perſonali habet promiſſarius, in alium transferri aut tranſmitti nequit.*

Eſt nimirum non minus, quam ipſum jus, quod excitare valet, conditione extante, inalienabile (§. 541.).

§. 546.

Quando evaneſcat promiſſio conditionata perſonalis.

Si promiſſio conditionata fuerit perſonalis & promiſſarius, antequam exiſtat conditio, moriatur; hoc mortuo illa evaneſcit. Etenim antequam conditio exiſtit, promiſſarius non habet niſi ſpem debitum iri (§. 471.), quæ demum in jus erigitur conditione extante (§. 469. 473.), ſed perſonale (§. 540.). Enimvero ſpem debitum iri, quam habet promiſſarius ex promiſſione conditionata perſonali, in alium transferre vel tranſmittere nequit (§. 545.), nec jus, quod ex ea oriri poterat, in alium tranſire poteſt (§. 538.). Quamobrem cum morte promiſſarii evaneſcit ſpes debitum iri, quam ex promiſſione conditionata perſonali habet, nec ſi poſt mortem ejus exiet conditio jus quoddam oriri poteſt ad id, quod promiſſum eſt, alii cuidam perſonæ competens. Patet adeo promiſſionem evaneſcere, ſi promiſſarius moriatur, antequam conditio exiſtit, ubi ea perſonalis fuerit.

Ex. gr. Promitto tibi, ſi filius meus iter ſuſceperit, habitationem in ædibus meis, conſuetudine tua uſurus. Nemo non intelligit, promiſſionem eſſe perſonalem (§. 538.). Quodſi ergo moriaris ante illud tempus, quo filius meus in oras peregrinas proficiſcitur, frater tuus, qui tibi hæres exiſtit, habitationem in ædibus meis prætendere nequit; ſed morte tua ſtatim extinguitur promiſſio. Similiter promitto tibi proxima æſtate gradum Doctoris petituro centum aureos. Tu moreris, antequam gradum iſtum petere poſſis; promiſſio evaneſcit, nec quicquam hæres tuus a me exigere poteſt.

§. 547.

Promiſſio realis quænam ſit.

Promiſſio realis dicitur, quæ perſonalis non eſt, conſequenter quæ ad perſonam promiſſarii non ita reſtringitur, ut promiſſarius nemini ad præſtationem obligatus eſſe velit, niſi promiſſario, rei magis, quam perſonæ habita ratione (§. 537.).

Vulgo dicitur; promiſſionem realem eſſe, quæ in rem concipitur; ſed cum obſcurius dictum ſit in rem concipi, niſi diſtincte intelligatur, quid in rem concipi ſignificare debeat; ideo malumus dicere, quod promiſſio realis ſit, quæ perſonalis non eſt. Quando nimirum expreſſe non dicitur, me nemini niſi tibi velle eſſe obligatum ad præſtationem ejus, quod promittitur, nec ex materia promiſſi, nec aliis circumſtantiis ſaltem probabiliter hoc colligi poſſit; realis erit promiſſio. Ex. gr. Si quando de reditu filii mei ſermo fuerit, nil magis in votis habens quam ut ſalvus & incolumis redeat, tibi promitto quatuor aureos ſub hac conditione, ſi ſalvus ac incolumis redierit filius meus; nemo non intelliget, in hac promiſſione magis rei, quæ promittitur, quam perſonæ cum tationem haberi, adeoque non perſonalem, ſed realem eſſe promiſſionem.

§. 548.

An ſpes ex promiſſione conditionata reali in alium tranſmitti poſſit.

Spes debitum iri, quam promiſſarius ex promiſſione conditionata reali habet, in alium transferri aut tranſmitti poteſt. Etenim cum promiſſio conditionata realis non ſit perſonalis, adeoque non ita reſtringatur ad perſonam promiſſarii, ut promiſſor nemini niſi ipſi obligatus eſſe velit ad præſtationem promiſſi (§. 548.); promiſſori perinde eſt, ſive promiſſario, ſive alii præſtet promiſſum, conſequenter cum tranſlationem, vel tranſmiſſionem juris a te acquirendi in alium non prohibuerit, a te quoque ſpes debitum iri, ejus conditione exiſtente jus excitatura, in alium transferri aut tranſmitti poteſt.

Ita in exemplo propoſito ſpem debitum iri quatuor aureos, ſi filius meus ſalvus ac incolumis redierit, pro lubitu tuo in alium transferre potes; nec quicquam obſtat, quo minus hoc facias. Nimirum ſpes illa debitum iri eum jus excitet, conditione extante, æquiparatur juri acquiſito; unde etiam a nonnullis *jus conditionale* appellari ſolet. Ex iis autem, quæ paulo ante quoad promiſſionem perſonalem demonſtrata ſunt (§. 545.), abunde liquet, ſine ulla reſtrictione affirmari minime poſſe, quod jus conditionale omne in alium transferri aut tranſmitti poſſit, conſequenter quando Imperator dicit, ſpem debitum iri in hæredem tranſmitti, ſi priuſquam conditio extet mors nobis obtigerit §. 3. l. de V. O id citra injuriam intelligi non poſſe niſi de promiſſione conditionata reali, minime autem de perſonali.

§. 549.

An ipſa promiſſio evaneſcat.

Quoniam *ſpes debitum iri, quam habet promiſſarius ex promiſſione conditionata reali*, in alium transferri ac tranſmitti poteſt (§. 548.), ea *morte promiſſarii non extinguitur*, *neque* adeo etiam *promiſſio ipſo mortuo, antequam extet conditio, evaneſcit*.

Quodſi futura prævidere poſſemus, quemadmodum ea prævidet Deus, nihil promitteremus niſi ſub conditione certo extitura, ſi quid vero promitteretur ſub conditione non extitura, hæc pro impoſſibili haberetur. Atque adeo in caſu priori promiſſio conditionata foret promiſſio in diem facta (§. 501.); in poſteriori foret nulla (§. 484.). In priori igitur caſu conditionaliter promiſſum ſtatim deberetur, ſed exigi non poſſet niſi extante conditione (§. 503.), atque ea de cauſa jus ad id, quod promittitur, ſtatim tibi competeret, non vero tantummodo ſpes debitum iri. Quamobrem cum eo ipſo momento, quo quid promittitur, in ſe certum ſit, licet incertum ex parte promiſſoris & promiſſarii, quæ incertitudo veritati nullum affert præjudicium, conditionem vel extituram, vel non extituram; tanto clarius inde perſpicitur, ſpem debitum iri in eo caſu jam eſſe jus quoddam, quando extitura conditio, atque adeo recte vocari jus: quatenus tamen ignoras, num ea revera jus ſit, ideo jus conditionale appellatur.

§. 550.

Qualis obligatio inſit conditioni poteſtativæ ex parte promiſſarii.

Conditioni poteſtativæ ex parte promiſſarii ineſt obligatio eam adimplendi conditionata, ſi nempe volueris, ut valeat promiſſio. Etenim ſi conditio fuerit poteſtativa, ea ab arbitrio promiſſarii pendet (§. 487.). Quamobrem cum promiſſor nullum promiſſario jus ad id concedere teneatur, quod promiſſum eſt, niſi certum ſit extare conditionem (§. 479.); ſi promiſſarius velit, ut valeat promiſſio, neceſſe eſt, ut conditionem poteſtativam adimpleat. Hæc agendi neceſſi-

Digitized by Google

ceſſitas cum obligatio ſit (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*); evidens omnino eſt conditioni poteſtativæ, quæ reſpicit promiſſarium, ineſſe obligationem adimplendi eandem conditionem, nempe ſi voluerit, ut valeat promiſſio.

Ex. gr. Si tibi promitto, quamdiu in Academia vixeris, quinquaginta aureos annuos, ſi ſtudio Theologiæ operam dederis: huic conditioni ineſt obligatio ſtudio Theologiæ operam navandi conditionata, ſi nempe volueris, ut tibi in Academia viventi dem quotannis 50. aureos.

§. 551.

Qualis ſit obligatio adimplendi conditionem poteſtativam perſonalem.

Si conditio poteſtativa ex parte promiſſarii fuerit perſonalis; ea adimpleri nequit niſi ab ipſo promiſſario, ſeu obligatio eam adimplendi perſonalis eſt. Etenim ſi conditio poteſtativa ex parte promiſſarii perſonalis eſt, ea ita confertur in perſonam promiſſarii, ut in aliam perſonam migrare minime poſſit (§. 543.). Quoniam itaque conditioni poteſtativæ ex parte promiſſarii ineſt obligatio eam adimplendi condionata, nempe ſi voluerit, ut valeat promiſſio (§. 550.); hæc quoque obligatio ita inhæret perſonæ promiſſarii, ut conditionem poteſtativam nonniſi ipſe adimplere debeat, ſiquidem velit, ut valeat promiſſio, nec alius ejus nomine hoc facere poſſit. Quamobrem patet, conditionem adimplendi conditionem poteſtativam adimpleri non poſſe niſi ab ipſo promiſſario, ſi fuerit perſonalis, conſequenter & obligationem adimplendi conditionem poteſtativam perſonalem eſse (§. 543.).

Non adeo in hoc caſu par ſe feciſſe putatur, quod quis per alium facit. Ex. gr. Dabo tibi centum aureos, ſi uxorem duxeris, ſi ſtudio Medico operam navaveris, ſi gradum Doctoris petieris. Tu uxorem ducere, ſtudio Medico operam navare, gradum Doctoris petere debes, ubi adimplenda conditio; nec ea pro adimpleta habetur, ſi tui loco frater tuus hæc fecerit voluntate tua. Similiter dabo tibi decem aureos, ſi MSC. deſcripſeris propria manu, aut, ſi MSC. deſcripſeris, & ex circumſtantiis intelligitur, velle me, ut propria manu deſcribas. Non igitur adimpletur conditio, ſi idem per alium deſcribi cures, etſi perinde videri poſſit, utrum a te, vel ab alio fuerit deſcriptum. Poſſunt enim mihi eſſe rationes ſingulares, ob quas a te, non ab alio id deſcribi velim.

§. 552.

Quando per alium adimpleri poſſit.

Si conditio poteſtativa ex parte promiſſarii non fuerit perſonalis; promiſſarius eam per alium adimplere poteſt. Etenim ſi non fuerit perſonalis, nec ita in perſonam promiſſarii confertur, ut ab ipſo præciſe fiat, quod fieri debet (§. 543.), ſed hoc magis intenditur, ut fiat, quod fieri debet, conſequenter in arbitrium promiſſarii tacite confertur, utrum ipſe, an per alium hoc facere velit, quod æque per alium, ac per ſe facere eum poſſe palam eſt. Quamobrem conditio adimpleta eſt, etiamſi promiſſarius per alium faciat, quod ab eo fieri debet. Atque adeo patet, conditionem poteſtativam non perſonalem a promiſsario per alium quoque adimpleri poſſe.

Ex. gr. Dabo aureum, ſi Mævio perſuaſeris, ut mecum MSC. quoddam deſcribendum communicet. Nemo non videt, mea non referre, utrum ipſe hoc feceris, an feceris per alium: neque enim alio fine tibi dare volo aureum, quam ut MSC. a Mævio accipiam, & ipſius conſenſu deſcribere valeam. Conditio igitur adimpleta, ſive tu Mævio perſuaſeris hoc, ſive te autore hoc fecerit alius. Ex ipſo autem facto, quod conditionis locum ſubit, aliiſque circumſtantiis colligitur, utrum conditio poteſtativa perſonalis ſit, nec ne.

§. 553.

Quando in forma ſpecifica, quan-

Conditio poteſtativa adimpleri dicitur *in forma ſpecifica*, ſi præciſe hoc fiat, quod promiſſor a promiſsario fieri vult, ſeu in genere ſi is, qui eam adim-

do per æquipollens conditio poteſtativa adimpleatur.

plere debet, præciſe hoc faciat, quod fieri debere dicitur. Eadem vero *per æquipollens adimpleri* dicitur, ſi quid aliud fiat, quod ei, cujus intereſt adimpleri conditionem, æque aut magis utile, habito reſpectu ad finem, quem intendit.

E. gr. Si dico: dabo ducentos aureos, ſi Mæviam uxorem duxeris; ubi tu hoc feceris, conditio poteſtativa in forma ſpecifica adimpleta. Similiter ſi dico: dabo decem aureos, ſi ad nundinas Lipſienſes mecum proficiſcaris; ubi mecum profectus fueris, conditio poteſtativa in forma ſpecifica adimpleta. Quodſi vero dicam: dabo tibi quinquaginta aureos, ſi effeceris, ut Mævia mihi obtingat uxor, & ego eam ducere velim, quia dives eſt, tu vero efficias, ut alia virgo ditior & pulchrior mihi obtingat uxor; conditio poteſtativa adimpleta eſt per aliud æquipollens. Etenim Mævia in hac conditione tantummodo ſpectatur tanquam virgo dives, cui adeo ſi ſubſtituitur alia ditior ac præterea pulchrior, conditio in ſe non mutatur, ſed eadem manere intelligitur, ſi eam metiaris ex fine promittentis, quem is intendit.

§. 554.

Quando conditionem poteſtativam adimplere liceat per aliud æquipollens, quando neceſſario in forma ſpecifica adimplenda.

Si finis, quem intendit promiſſor per conditionem poteſtativam a promiſſario adimplendam æque obtineatur, ſive ea in forma ſpecifica, ſive per æquipollens adimpleatur; per aliud æquipollens eam adimplere poteſt promiſſarius: ſi non, in forma ſpecifica adimplenda. Quoniam promiſſor promiſſario obligari nequit niſi voluntate ſua (§. 357. 386.); quando quæritur, num conditio poteſtativa a promiſſario in forma ſpecifica ſit adimplenda, an per æquipollens eandem adimplere liceat, ſpectanda potiſſimum eſt mens promiſſoris, an eam in forma ſpecifica adimpleri voluerit, an vero in arbitrio promiſſarii poſitum reliquerit, utrum eam in forma ſpecifica, an per aliud æquipollens adimplere velit, obligatione eam adimplendi metienda ex voluntate promiſſoris, unde oritur jus eandem per aliud æquipollens adimplendi (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi ergo non expreſſe conſtet de voluntate promiſſoris, in quo caſu nulla eſt difficultas, nec eam explorare detur, quod nemo non conſultum judicabit; mens quænam fuerit promiſſori, aliunde colligendum. Quamobrem ubi conſtat de fine, ex circumſtantiis aut ipſo facto, quod conditionem ſubit, haud difficulter colligendo; nemo non videt adimpletionem conditionis ſpectari debere tanquam medium finem iſtum conſequendi (§. 937. *Ontol.*). Perinde igitur eſt ac ſi promiſſor dixiſſet: dabo vel faciam, ſi effeceris, ut hoc fine potiar. Quamobrem cum promiſſor fine ſuo potiatur, ubi conditionem poteſtativam per aliud æquipollens adimpleverit promiſſarius (§. 553.); eandem quin per aliud æquipollens adimplere poſſit dubitandum non eſt. Atque adeo patet, conditionem poteſtativam a promiſſario per aliud æquipollens adimpleri poſſe, ſi finis, quem intendit promiſſor per eandem adimplendam æque obtineatur, ſive in forma ſpecifica, ſive per æquipollens adimpleatur, in caſu autem oppoſito in forma ſpecifica neceſſario eſſe adimplendam.

Patet hoc in exemplo, quod ante dedimus (*not.* §. 553.). Etenim ſi ego intendam ducere uxorem divitem, ac ideo mecum conſtitui ducere Mæviam, ſiquidem ea mihi uxor obtingere poſſet; matrimonium cum Mævia contrahendum ſpectatur tanquam medium divitias acquirendi abſque labore ac ſudore & quidem ſtatim. Quamobrem cum matrimonium cum alia virgine ditiore, quæ præterea magis adhuc aliis dotibus ſeſe commendat, ineundum ſit etiam medium finem a me intentum conſequendi; intentioni meæ æque ſatisfacit promiſſarius, ſive effecerit, ut Mævia mihi obtingat uxor, ſive alterius ditioris, & ob alias dotes magis adhuc commendabilis favorem mihi conciliet, ut in matrimonium mecum ineundum conſentiat. Ecquur igitur non perinde conditionem poteſtativam æque adimpleviſſe dicendus eſt, ſi poſterius, quam ſi prius fecerit? Perinde nimirum eſt, ac ſi promiſſario ſub hac conditione generali promiſiſſem: ſi effeceris, ut tantas vel majores conſequar opes, quantæ ſunt Mæviæ, ducendo uxorem. Dixi tamen conſultius eſſe, ſi fieri poſſit, ut ante mentem promiſſoris explores, num conditionem poteſtativam per aliud æquipollens adimpleri velit, tum ut tanto certius conſtet intentioni promiſſoris eſſe ſatisfactum, quia ſubinde præter finem primarium alii ſubeſſe poſſunt fines ſecundarii, quos ille una intendit, minime autem conſequitur, niſi in forma ſpe-

ſpecifica conditio poteſtativa adimpleatur, tum ne evitentur lites, ſi forſan, adimpleta conditione per æquipollens, promiſſorem pœniteat promiſſionis factæ & ut eam eludat, conditionem non adimpletam eſſe contendat, quia non adimpleta fuit in forma ſpecifica, cum homines ad promittendum, quam ad præſtandum, quod promiſſum eſt, haud raro ſint faciliores. Ea de cauſa conſultius quoque eſt, niſi de expreſſa promiſſoris voluntate conſtet, quamdiu fieri poteſt, conditionem adimplere in forma ſpecifica, quam per aliud æquipollens; quamvis ſi tu eſſes promiſſoris loco eandem per æquipollens adimpleri malles. Quemadmodum enim non eadem æque placent omnibus, circa idem res nec eadem eſt omnium voluntas. Metienda autem eſt obligatio adimplendi conditionem poteſtativam ex promiſſoris, non ex promiſſarii voluntate. Et prudentia ſuadet, ut eligatur, quod tutius: tutius autem omnino eſt, quod arcet lites de adimpleta conditione movendas.

§. 555.

Quando valida ſit promiſſio, ſi conditio poteſtativa impleri nequit ob impedimentum inſuperabile.

Si impletio conditionis poteſtativæ fuerit medium, per quod finis a promiſſore intentus obtinetur, & promiſſarius impeditur, quo minus eam adimplere poſſit, utut maxime velit, promiſſio valida non eſt; in caſu oppoſito valida eſt. Etenim ſi impletio conditionis poteſtativæ fuerit medium, per quod finis a promiſſore intentus obtinetur; promiſſio non fit niſi finis conſequendi gratia, nec promiſſor in promiſſarium ullum transferre vult jus exigendi quod promittitur, niſi ubi eundem fuerit conſecutus (§. 361. 462.). Conditio adeo poteſtativa ſine ulla reſtrictione adjecta intelligitur, nec ea dici poteſt eſſe voluntas promiſſoris: dabo adhuc ſi, ubi habueris animum conditionem implendi, in poteſtate tua non fuerit, eam implere, conſequenter implendi animus pro ipſo facto haberi nequit, etiamſi per promiſſarium, qui impedimento tollendo non par fuit, minime ſteterit, ut conditionem impleret. Patet itaque nonniſi impleta conditione validam eſse poſse promiſſionem, conſequenter ſi impletio conditionis poteſtativæ fuerit medium, per quod finis a promiſſore intentus obtinetur, & promiſſarius quocunque modo impeditur, quo minus eam adimplere poſſit, utut maxime velit, promiſſionem validam non eſſe. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi impletio conditionis poteſtativæ non fuerit medium, per quod finis a promiſsore intentus obtinetur, promiſſio non tam fit intuitu hujus conditionis, quam perſonæ promiſsarii, adeoque in ea potiſſimum ſpectatur animus conditionem implendi. Voluntas igitur promiſsoris hæc fuiſse intelligitur: dabo, ſi hoc feceris, & dabo adhuc, ſi habueris animum faciendi, in poteſtate autem tua non fuerit, ut facias. Atque adeo voluntati promiſsoris, qua promiſsario ad aliquod præſtandum ſeſe obligavit (§. 363.), conſentaneum eſt, ut animus implendi conditionem habeatur pro ipſa impletione. Quamobrem ſi impletio conditionis poteſtativæ non fuerit medium, per quod finis a promiſſore intentus obtinetur, valida eſt promiſſio, ubi promiſſarius impeditur, quo minus conditionem implere poſſit, etiamſi velit. *Quod erat alterum.*

Juris adeo poſitivi eſt, quando ſimpliciter ſine ulla limitatione dicitur, conditionem poteſtativam pro impleta haberi, ſi qui eam implere debet facto adverſarii vel caſu impeditur, quo minus poſſit. Ex. gr. Si dixero: dabo tibi mille aureos, ſi agnatam meam uxorem duxeris, niſi circumſtantiæ aliud inſinuent, nemo non hinc intelliget, me proſpicere velle agnatæ meæ de matrimonio felici, aut votis meis reſpondente. Impletio adeo conditionis medium eſt, quo finem intentum conſequi licet, cujus conſequendi gratia facta eſt promiſſio. Ponamus jam te ambire favorem puellæ, ſed eam tibi nubere nolle, nec parentes in matrimonium conſentire velle. Per te igitur non ſtat, ut conditio, ſub qua facta eſt promiſſio, impleatur, etſi nihil omiſeris eorum, quæ ex parte tui deſiderari poterant. Quoniam tamen promiſſor nondum conſecutus eſt finem, ſub cujus conſequendi conditione promiſſio facta intelligitur; nec tibi dare tenetur mille aureos, niſi dici debeat eum eoſdem tibi debere, etiamſi non exiſtat conditio, quod utique abſurdum (§. 468.). Ex anterioribus ſatis ſuperque conſtat, jus promiſſarii metiendum eſſe ex voluntate promiſſoris, atque ideo hanc unice eſſe reſpiciendam, ubi definiendum, utrum promiſſor promiſſario ſit obligatus, nec ne, & ad quid eidem teneatur. Idem adhuc clarius intelligitur, ubi dixero: Dabo tibi centum aureos, ſi cum filio meo, quamdiu in Academia vixeris, amicitiam colueris, & conſiliis tuis ſtudia ejus adjuveris. Filius autem meus militiæ ſe dat, nec ſtudiis operam navare vult. Tu caſu impediris, quo minus conditionem poteſtativam implere poſſis, etſi de animo tuo eam adimplendi ſatis conſtet:

non tamen ideo dici poteſt, me tibi centum aureos debere. Ceſſat finis, cujus conſequendi gratia facta promiſſio, & cujus conſequendi medium erat conditio poteſtativa. Quamobrem nec tibi quicquam debeo, præſertim cum in hoc caſu quod promittitur ſpectetur tanquam præmium facti tui. In caſibus nimirum particularibus rationes etiam particulares ſuppetunt, per quas adhuc clarius intelligitur, cur promiſſario impedito, quo minus conditionem impleat, etiamſi velit, ea pro impleta haberi minime poſſit. Falluntur omnino, qui ſibi perſuadent, conditione poteſtativa promiſſionem totam conferri in voluntatem promiſſarii, ita ut ab eadem pendeat ejus validitas. Exemplum caſus alterius, quo validam eſſe diximus promiſſionem, quando promiſſarius impeditur, quo minus impleat conditionem, utut maxime velit, tale eſto. Promitto tibi nummum aureum, ſi opus, quod ſub manibus eſt, ante nundinas proximas abſolveris. Tu omnem adhibes operam, ut conditionem impleas. Enimvero per aliquot hebdomades eidem vacare morbo impediris, ut adeo non amplius in poteſtate tua ſit opus ante nundinas proximas abſolvere. Dico me tibi nummum aureum debere. Etenim nemo non videt, nummum aureum eſſe manus, quod tibi debuit eſſe motivum omnem adhibendi diligentiam, ut opus ante nundinas proximas abſolvatur. Quamobrem perinde eſt, ac ſi dixiſſem: ſi omnem adhibueris diligentiam, ut opus, quod ſub manibus eſt, ante nundinas proximas abſolvatur, dabo tibi nummum aureum. Quodſi ergo tu eam adhibueris diligentiam, qua ſtatuto tempore opus abſolvi poterat, voluntati meæ ſatisfeciſti. Quod vero morbo fueris impeditus, quo minus eadem diligentia laborem continuare potueris; id tibi minime imputandum (§. 528. p. 1. *Phil. pract. univerſ.*). Quamvis igitur conditionem implere non potueris, hoc tamen in caſu pro impleta habetur, conſequenter ego tibi nummum aureum dare teneor.

§. 556.

Obligatio ejus, cui ob certum finem aliquid datur.

Si quid tibi datur ob certum finem, ſcilicet ut hoc facias; tu ad faciendum obligaris, & , niſi feceris, quod datum reſtituere teneris. Etenim ſi tibi quid do certo fine, nimirum ut hoc facias, animus omnino mihi eſt non dandi niſi ſub hac conditione ut, ubi acceperis, hoc feceris, conſequenter ut quod datum reſtituas, niſi feceris: id quod ex ipſa notione finis manifeſtum eſt (§. 932. *Ontol.*). Quamobrem ſi quod datur acceptas, tu declaras, quod velis, ſub hac conditione hoc tibi dari, atque adeo niſi feceris, te id reſtituere debere, conſequenter in dantem transfers jus ad reſtitutionem te vi adigendi, niſi feceris. Quoniam itaque promittis, te id facturum, cujus gratia datur, & , niſi feceris reſtituturum, quod datur (§. 361.); danti te obligas ad implendam conditionem, ſub qua tibi datur & ad reſtituendum, quod datur, niſi feceris (§. 363.), & quia promiſſa ſunt ſervanda (§. 431.), adeoque faciendum, quod facere promittis (§. 430.); ſi tibi quid datur certo fine, nimirum ut hoc facias, utique hoc facere teneris, aut, niſi feceris, reſtituere quod datum.

Ex. gr. Do tibi ducentos aureos, ut Doctor fias. Tu in patriam redis ſine gradu Doctoris, nec eum petere vis; ducentos, quos tibi dedi, aureos mihi reſtituere teneris. Do tibi aureum, ut emas librum, quo indiges, quia ſtudio algebraico incumbere debes. Tu librum illum non emis, cum Algebram addiſcendi animum mutaſti. Aureum igitur, quem tibi dedi, reſtituere teneris. Non opus eſt, ut plura exempla coacervemus, cum nemo de veritate propoſitionis ambigat, niſi juris omnis imperitus, cujus hic non habenda eſt ratio.

§. 557.

Modus quid in promiſſione appelletur.

Si quid promittitur eum in finem, ut quid fieri vel præſtari poſſit a promiſſario, finis propter quem promiſſor promiſſario quid præſtare vult, dicitur *Modus*, & ***promiſſio modalis*** appellatur.

Ex gr. Promitto tibi dare ducentos aureos, ut Doctor fias: finis, propter quem tibi dare volo ducentos aureos, eſt, ut fias doctor. Hic autem finis dici ſolet Modus, quo tibi centum aureos dare promitto. Similiter ſi tibi futuris nundinis dare promitto aureum unum, ut emere poſſis librum, quo indiges in ſtudio algebraico; finis, propter quem tibi aureum dare volo, non alius eſt, quam ut librum iſtum emas. Dicitur adeo is modus, quo tibi aureus promittitur. Equidem hoc termino carere poteramus: quoniam tamen uſu receptus eſt in Jure, conſultius duximus eodem uti.

§. 558.

Digitized by Google

§. 558.

Modi impletio quid ſit.

Modus impleri dicitur, quando hoc fit, quod ut fiat aliquid præſtatur.

Ex. gr. Do tibi centum aureos, ut Doctor fias. Si Doctor ſis, modus impletur.

§. 559.

Quando modus adimplendus.

Promiſſarius non ante modum implere tenetur, quam promiſſio adimpleta fuerit. Etenim ſi modus promiſſioni adjicitur, promiſſor dicit ſe tibi daturum vel quid præſtiturum, ut hoc facias (§. 557.). Quamobrem ſe obligat ad dandum, vel præſtandum, quod promittit, antequam tu feceris, quod ut facias, ſe daturum vel præſtiturum promittit (§. 363.). Quamvis ergo ubi dederit, vel præſtiterit quod promiſit, obligatus ſis ad hoc faciendum (§. 556.); non tamen ante adimpletam promiſſionem hoc facere teneris. Atque adeo patet, a promiſſari non ante modum implendum eſſe, quam promiſſio adimpleta fuerit (§. 558.).

Ex. gr. promitto tibi centum aureos, ut Doctor fias. Ego ante teneor tibi dare centum aureos, quam tu Doctor fias. Promitto tibi dare unum aureum, ut librum emas, quo in ſtudio algebraico habes opus. Ego tibi teneor aureum dare, antequam tu librum emas. Exempla veritatem propoſitionis adeo manifeſte loquuntur, ut ea ſine probatione facile admittatur. Differt nimirum modus a conditione poteſtativa, quam ſupradiximus. Hæc enim ſi adjicitur promiſſioni, ea ante adimplenda, quam promiſſioni, ea ante adimplenda, quam promiſſio; aſt ubi modus adjicitur, promiſſio ante adimpleri debet, quam modus.

§. 560.

An modus ſuſpendat obligationem vel differat exactionem.

Quoniam promiſſarius non ante modum implere tenetur, quam promiſſione impleta (§. 559.); *modus promiſſioni adjectus nec obligationem promiſſoris ſuſpendit, nec promiſſionis adimpletionem differt, nec differt promiſſi exactionem ex parte promiſſarii.*

Ex. gr. Si tibi promitto centum aureos, ut fias doctor, vel unum aureum, ut emas librum quendam; non ideo in ſuſpenſo eſt obligatio mea tibi dandi centum aureos, vel unum, nec differenda eſt præſtatio, ſed tu ſtatim quod promiſſum eſt exigere potes. Modalis adeo promiſſio differt a promiſſione conditionata, ſub conditione ſcilicet ſuſpenſive facta, qualis intelligitur, quando ſimpliciter dicitur, quod obligationem non ſuſpendat, adeoque promiſſor non ante dici poſſit promiſſario obligatus, niſi conſtiterit aliud quiddam factum fuiſſe: differt etiam a promiſſione in diem facta, quæ exactionem debiti differt, donec dies venerit. Quamobrem ea tam a promiſſione conditionata, quam ab ea, quæ fit in diem, differt. Non tamen ideo repugnat, ut promiſſio & conditionata, & in diem facta ſimul ſit modalis. Cum enim a voluntate promiſſoris unice pendeat, quomodo promittere velit; modum adjicere poteſt non minus promiſſioni conditionatæ & in diem factæ, quam puræ. Ex. grat. Nil obſtat, quo minus tibi promittam: ſi agnatus meus, qui gravi morbo decumbit, moriatur, & me hæredem inſtituerit; mutuo tibi dabo pecuniam, ut ædes haſce emas. Hic autem promiſſioni adjicitur conditio caſualis (§. 487.), ſi agnatus meus moriatur & me hæredem inſtituerit, & modus (§. 557.), ut ædes haſce emas. Similiter nil obſtat, quo minus ita promittam: Dabo tibi proximis nundinis Lipſienſibus unum aureum, ut librum emas. Hic promiſſio fit in diem, ſcilicet quando nundinæ erunt Lipſienſes, & modus eidem adjicitur, ut emas certum librum. Immo nec obſtat, ut ita promittam: Dabo ducentos aureos, quando Doctor fias, & ut Doctor fias. Hic promiſſio fit in diem, quatenus dare volo tempore, quo Doctor fies: adjicitur eidem conditio poteſtativa, quatenus dare volo, ſi Doctor fias (hanc enim tempus incertum involvit); adjicitur etiam modus, quatenus dare volo, ut Doctor fias. Exempla hæc ſatis clare inculcant, promiſſionem probe expendendam eſſe, antequam definire poſſis, quænam ſit obligatio promiſſori & quodnam ex ea naſcatur jus promiſſarii, ac num hic ante, vel poſt impletam obligationem ad quid obligetur.

§. 561.

An modus ſit conditio ſuſpenſiva.

Quoniam modus non differt promiſſionis impletionem (§. 560.), adeoque actus perfectionem, ſuſpenſiva autem conditio non eſt, quæ actus perfectionem non differt, donec illam extare certum ſit (§. 488.); *modus, qui promiſſioni adjicitur, conditio ſuſpenſiva non eſt.*

In ſenſu philoſophico, qui a communi loquendi uſu non differt, dici omnino poteſt, me tibi quid promittere ſub hac conditione, ut hoc facias, veluti ut Doctor fias, adeoque hoc ſenſu modus conditio eſt. Enimvero modus non eſt conditio ſuſpenſiva: quæ cum JCtis Romanis ſola ſpectetur in promiſſione conditionata; ſeu ſub conditione facta, quando de ea ſimpliciter loquuntur, ideo negatur, modum eſſe conditionem. Negantes tamen non aliud ſibi velle, quam quod vult propoſitio præſens, ex dictis abunde liquet.

§. 562.

Quando modus ſit adimplendus.

Promiſſione morali adimpleta, promiſſarius modum adimplere tenetur: ſi non adimpleverit, quod ex promiſſione conſecutus, reſtituendum. Etenim ſi promiſſio modalis adimpletur, promiſſor promiſſario dat vel præſtat, quod promiſerat, ut promiſſarius quid faciat, vel præſtet (§. 557.). Enimvero ſi quid tibi datur, vel præſtatur ob eum finem, ut hoc facias, ſive præſtes, ad faciendum ſeu præſtandum obligatus es, &, niſi feceris, quod datum, reſtituendum (§. 556.). Quamobrem promiſſione modali adimpleta, promiſſarius modum adimplere tenetur, &, ſi non adimpleverit, quod ex promiſſione conſecutus, reſtituendum (§. 558.).

Exempla ante (*not.* §. 557. 559.) data propoſitionem præſentem illuſtrant.

§. 563.

Quid modus efficiat.

Quoniam promiſſione modali adimpleta, promiſſarius modum adimplere tenetur (§. 562.), non vero ante (§. 559.); *modus indicat, quid adimpleta promiſſione fieri debeat a promiſſario, ſeu indicat, quænam ſit obligatio promiſſarii poſt promiſſionis impletionem.*

§. 564.

Quando modi habendi ratio in promiſſione ſub conditione ſuſpenſiva & in diem facta.

Ex eadem ratione patet, *modi, qui adjicitur, in promiſſione ſub conditione ſuſpenſiva aut in diem facta, non ante habendam eſſe rationem, quam ubi promiſſarius conſecutus, quod vi ejuſdem conſequi debebat.*

Hoc ideo addimus, ut conſtet, ſi promiſſio ſub conditione ſuſpenſiva vel in diem facta ſuerit modalis, ad eam ante applicari debere, quæ de promiſſione conditionata & in diem facta demonſtrata ſuerunt, antequam applicentur ea, quæ de modali oſtendimus. Quamvis adeo dicitur, modum non differre obligationem promiſſoria (§. 560.), conſequenter quod debetur, ſtatim deberi, & ſtatim exigi poſſe; idem tamen non ante valet, quam ubi conſtiterit, validam eſſe promiſſionem conditionatam (§. 467.). Et idem eodem modo dici poteſt quoad debiti exactionem, ſi promiſſio modalis in diem fiat (§. 501.). Quamobrem ubi definiendum, quid debeatur ex promiſſione modali ſub conditione ſuſpenſiva, aut in diem facta; primo non attenditur modus, ac deinde promiſſio modalis conſideratur tanquam tum demum facta, quando valida intelligitur conditionalis, vel dies venit, in quem promiſſio facta. Exempla paulo ante (*not.* §. 560.) data, quæ dicuntur, illuſtrant.

§. 565.

Si promiſſio in diem facta fuerit realis & promiſſarius moriatur ante diem; promiſſio ſubſiſtit. Jus enim quod ex promiſſione reali acquiritur, perſonale non eſt (§. 547.), adeoque eodem modo oſtenditur, ideo transferri vel tranſmitti poſse in alium, quo ſupra evicimus, ſpem debitum iri, quam promiſsarius ex promiſſione conditionata habet, in alium transferri ac tranſmitti poſse (§. 548.). Unde porro ſua ſponte fluit, etiamſi promiſsarius moriatur promiſſionem tamen realem in diem factam ſubſiſtere.

Quando mortuo promiſſario ante diem, promiſſio in diem facta ſubſiſtat.

Statim nimirum debetur, utut ante diem exigi non poſſit (§. 501.), adeo jus exigendi jam actu habet promiſſarius, quamvis ejus exercitium in certum diem differatur. Cum adeo hoc jus perſonale non ſit, nil obſtat quo minus in alium tranſmittatur (§. 539.), adeoque morte promiſſarii non extinguitur.

§. 566.

Si quod tibi datur ad certum finem, nimirum ut hoc facias, tu vero moriaris, antequam facere potueris, ſeu modo nondum adimpleto; quod datum reſtituendum. Si quid enim datur ad certum finem, nimirum ut hoc facias; ſi non feceris, quod datum reſtituere debes (§. 556.), adeoque manet reſtituendi obligatio, donec feceris, conſequenter donec modus fuerit adimpletus (§. 558.). Quod ergo moriaris, antequam modus fuerit adimpletus; quod datum reſtituendum.

An morte ejus, cui quid ad certum finem datur obligatio reſtituendi extinguatur modo nondum impleto.

Ex. gr. Do tibi ducentos aureos, ut Doctor fias. Quodſi moriaris, antequam Doctor fias, ducenti aurei ſunt reſtituendi. Similiter do tibi librum, ut ſtudio algebraico incumbere poſſis. Quodſi moriaris, antequam eidem te conſecres, liber reſtituendus. Probe autem notandum eſt, poſſe aliquid dari intuitu certi cujuſdam finis, ſed ita, ut accipiens eum conſequi poſſit, ſi velit, nulla autem impoſita neceſſitate eum conſequendi. Tunc enim, quod datur, non datur ad hunc finem, neque tu accipientem vis eſſe obligatum, ut faciat, & niſi fecerit reſtituat, & quod finis videri poterat, reſpectu tui motivum magis eſt, quam finis: quod tamen non admittendum, niſi ubi circumſtantiæ animum dantis ſatis clare oſtendunt, vel ipſa verba dantis hoc inſinuant. Ex. gr. Si dico: Do tibi hunc librum, ut, ſi Algebræ operam dare volueris, eodem uti poſſis; nemo non intelligit, me non velle, ut ſtudio algebraico operam naves, &, ſi navaverit, librum mihi reſtituat. Similiter ſi dico: Do tibi centum aureos, ut quando Doctor fies, ne deſint ſumtus ſufficientes; non minus apparet, me eos tibi non dare ſub hac conditione, ut Doctor fias &, niſi fias, eos reſtituas. Qui motivum a fine diſtinguere didicit, is duos iſtos caſus non confundet, nec quæ de uno demonſtrantur ad alterum male transferet.

§. 567.

Quoniam ad certum finem datum reſtituendum, ſi modo nondum adimpleto moriaris (§ 566.), promiſsarius vero, ſi promiſſio modalis fuerit, modum adimplere nequit, nondum impleta promiſſione (§. 559.); *ſi promiſſarius moriatur, antequam promiſſio modalis fuerit impleta, ea evaneſcit.*

Quando promiſſio modalis evaneſcat.

Nimirum non datum cenſetur, quod datum eſt modo non adimpleto, adeoque reſtituendum (§. 566.). Multo minus adeo promiſſor dare tenetur, quod datum ipſi ſtatim reſtituendum.

§. 568.

Quodſi promiſſarius declaret, ſe modum implere nolle, vel aliunde certo conſtet, quod eum impleturus non ſit; promiſſio modalis evaneſcit. Etenim in promiſſione modali non promittitur, niſi ſub conditione modi adimplendi (§. 557.). Quamvis

Alter caſus.

vis adeo modus ante adimpleri non debeat, quam promiſſio adimpleta fuerit (§. 559.); ubi tamen certo conſtat, adimpleta promiſſione ipſum impletum non iri, promiſsor quoque ad præſtandum, quod promiſit, minime obligatur, utpote qui obligari noluit, niſi promiſsarius impleta promiſſione implet modum, & ideo hunc ſibi obligatum eſse voluit ad reſtituendum, quod datum, niſi eundem impleverit (§. 562.). Quodſi ergo promiſsarius declaret, ſe modum implere nolle, vel aliunde certo conſtet, quod eum impleturus non ſit; promiſſio modalis evaneſcit.

Ex.gr. Promitto tibi centum aureos, ut Doctor fias. Quodſi antequam promiſſio adimpleta, ſeu centum aurei dati, declares, te Doctorem fieri nolle; promiſſio quoque evaneſcit. Similiter ſi id vitæ genus eligas, cui gradus Doctoris minime convenit; certum eſt, te Doctorem non futurum. Promiſſio igitur evaneſcit.

§. 569.

Quando promiſſio errantis valida ſit. ***Si error det cauſam promiſſo, promiſſio valida non eſt.*** Quodſi enim error det cauſam promiſso, is ratio unica eſt, cur promiſſio facta, quæ alias facta non fuiſset (§. 504.). Quamobrem cum promiſsor ſupponat per errorem aliquid eſſe, vel factum fuiſse, quod non eſt, vel factum non eſt; promiſſio utique non fit niſi ſub hac conditione, ſi hoc revera ſit, vel factum fuerit, conſequenter conditionata eſt (§. 462.). Quamobrem cum promiſſio nulla ſit, ſi verum non fuerit, quod tanquam verum a promiſsore ſupponitur, ſeu ſi conditio ad tempus præſens, vel præteritum relata non ſit in ſe certa (§. 464.); promiſſio quoque nulla eſt, adeoque valida eſse nequit, ſi error det cauſam promiſso.

Ex.gr. Si de morte agnati mei, qui me hæredem inſtituerit, falſus venerit nuncius & ego tibi ob hanc unicam rationem promitto decem aureos, quos alias tibi promiſſurus non fuiſſem; ubi certo conſtiterit, agnatum meum adhuc vivere, nihil tibi debeo, ſed promiſſio invalida eſt. Quamvis enim non expreſſe dixerim: Si verum eſt, agnatum meum mortuum eſſe & me hæredem inſtituiſſe, dabo tibi decem aureos; hanc tamen conditionem tacite ineſſe promiſſioni ex circumſtantiis facile colligitur: neque enim promitto, niſi quia puto hæreditatem mihi obtigiſſe non promiſſurus, ſi quidem certo conſtitiſſet, quod nulla mihi obtigerit hæreditas. Perplexa ſatis eſt tractatio de promiſſione errantis, ut variis diſtinctionibus ſeſe extricare conentur autores, quemadmodum jam obſervavit *Grotius* lib. 2. de J.B. & P. c. 11. §. 6. Sed nihil difficultatis ſupereſt, ubi attenditur, num promiſſio facta intelligatur ſub hac conditione, ſi verum ſit, quod tanquam factum, vel eſſe ſupponitur, prouti etiam fecit *Grotius* nodum intricatum ſoluturus eumque ſecutus *Puffendorfius* lib. 3. c. 6. §. 6. de J. N. & G. Hic autem conditio ſumitur in ſignificatu communi, quem nos retinuimus ad evitandam æquivocationem (*not.* §. 463.), minime autem in eo, qui receptus eſt in Jure Romano. Quamvis autem *Puffendorfius* neget, conditionem proprie dici poſſe, quæ ad tempus præſens vel præteritum refertur, prouti ſupra monuimus (*loc. cit.*), ipſe tamen vocabulo hoc utitur in præſenti caſu. Atque adeo vel hinc intelligitur, cur nos, qui methodo demonſtrativa utimur terminorum æquivocationem reſpuente (§. 143. *Diſc. prælim.*), ſignificatum conditionis communem, quo in Jure naturæ carere haud quaquam poſſumus, & qui reſtrictiorem JCtis Romanis uſitatum in ſe comprehendit, retinere debuerimus. Probe autem notandum eſt, ipſum *Puffendorfium* in præſenti caſu ad conditionem ſenſu latiori, qui communis eſt, transferre, quæ de conditione in ſtrictiori affirmantur a JCtis Romanis, ſcilicet quod non exiſtente conditione ruat, quod ipſi fuerat ſuperſtructum: id quod per methodum demonſtrativam fieri minime poterat.

§. 570.

Quando valida. ***Si error non dederit cauſam promiſſo, promiſſio valida eſt.*** Etenim ſi error non dederit cauſam promiſſioni, is non fuit ratio unica, cur promiſſio facta (§. 504.), adeoque non facta intelligitur ſub hac conditione, ſi verum fuerit, quod verum eſse putatur, licet promiſsor forſan non promiſiſset, ſiquidem de errore conſtitiſset, ſed ſaltem fuit motivum quoddam, cur voluerit (§. 887. *Pſych. empir.*), cujus non habenda eſt ratio a promiſsario (§. 423.), cum ſufficiat ipſi con-

Digitized by Google

conſtare de voluntate promiſſoris, prouti ex ipſa promiſſionis definitione facile intelligitur (§. 361.). Quamobrem cum nil obſtet, quo minus promiſſio vada eſſe poſſit; erit utique valida.

Nimirum ſi volo ut quid mihi promittas, dico: Viſne mihi promittere? minime autem, dic mihi, num & cur velis promittere. Mea enim parum refert, cur promittas, modo mihi promittas. Atque adeo patet, in promiſſione non attendi motivum promittentis, niſi idem ſupponatur tanquam conditio, ſub qua promittitur. Ex. gr. Si tibi promitto duos aureos, ut libros emas, quibus maxime indiges, ad hoc permotus, quod putem agnatum meum, qui me hæredem inſtituit, mortuum eſſe; hos tibi debeo, etiamſi falſum fuerit eum mortuum eſſe, cum mors agnati, qui me hæredem inſtituit, non ſit ratio unica, cur promiſerim, verum etiam indigentia tua & amor, quo te proſequor me ad promittendum impulerit, neque adeo ego mortem agnati ſuppoſuerim tanquam conditionem, ſub qua promiſi, licet non promiſiſſem, niſi crediddiſſem agnatum meum mortuum eſſe. Suppono nimirum me non dixiſſe, quod tibi promittam, quia agnatus meus mortuus eſt, nec ex verbis meis, aut circumſtantiis liquido colligi poſſe, me tibi promittere ſub hac conditione, ſi certum ſit eum mortuum eſſe; ſed vel mortis amici nullam feciſſe mentionem, vel dicere: accepi hodie nuncium exoptatum, mihi obtigiſſe hæreditatem opimam; dabo tibi quatuor aureos, quamprimum pecuniam accepero. Etenim in caſu priore non indico motivum promittendi; in poſteriore autem ſatis patet nuncium acceptum eſſe motivum promittendi, nulla habita in promittendo certitudinis ratione. Videmus adeo, ut definiatur, num error vitiet promiſſionem, probe perpendendum eſſe, quænam fuerit mens promittentis, ut conſtet utrum error ſupponatur tanquam conditio, ſub qua facta fuit promiſſio, nec ne. Sed ut tanto certius pateat veritas propoſitionis præſentis, exemplum adhuc aliud dare lubet. Puto te eſſe diligentem, ac ideo promitto tibi nummum argenteum, certe non promiſſurus, ſi negligentia tua mihi cognita fuiſſet. Hic promiſſio facta dici nequit ſub ea conditione, ſi verum ſit te eſſe diligentem. Nimirum promiſſio hic non fundatur in errore, ſed in animo remunerandi diligentiam tuam, conſequenter dici non poteſt eam fuiſſe rationem unicam, cur promiſerim, adeoque errorem dediſſe cauſam promiſſo. Quod vero per errorem fecerim quod alias non feciſſem, mihi imputare debeo, quod promiſerim animo diligentiam remunerandi, vel ad continuandam diligentiam calcar addendi, antequam in ea exploranda debitam diligentiam adhibuerim.

§. 571.

Quando damnum promiſſione per errorem facta datum reſarciendum.

Si error det cauſam promiſſo, tu vero in re exploranda, aut in ſenſu tuo exprimendo fueris negligens, & promiſſarius inde damnum paſſus ſit; damnum datum reſarcire teneris. Etenim tu nemini quid promittere debes, niſi animo deliberato (§. 391.), adeoque in re exploranda non negligens eſſe debes. Quamobrem cum promiſſarii non ſit inquirere, num ſatis diligentem te præbueris in re exploranda (§. 422.); ſi quod damnum patiatur inde, quod ipſi promiſeris, damnum culpa tua datur (§. 758. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero damnum culpa tua datum reſarcire teneris (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*). Ergo etiam damnum reſarcire teneris, ſi error det cauſam promiſſo, tu vero in re exploranda negligens fueris, & promiſſarius inde damnum paſſus ſit. *Quod erat unum.*

Similiter cum de mente tua promiſſario conſtare nequeat, niſi ex verbis tuis; in ſenſu tuo exprimendo negligens eſſe minime debes, adeoque ubi ſub conditione hac alteri quid promittere volueris, ſi verum ſit, quod eſſe vel factum fuiſſe ſupponitur, verbis tuis hoc ſufficienter indicare teneris, niſi ex circumſtantiis ſatis manifeſtum ſit promiſſario, tibi mentem aliam eſſe minime poſſe. Quodſi ergo hoc non feceris & damnum inde, quod promiſeris, patiatur promiſſarius; damnum tua culpa dari manifeſtum eſt (§. 758. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque damnum tua culpa datum reſarcire teneris (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*); damnum quoque reſarcire debes, quod patitur promiſſarius, quando error dat cauſam promiſſo, tu vero in exprimendo ſenſu tuo negligens fuiſti. *Quod erat alterum.*

§. 572.

Quænam ſit vis pro-

Si error pro parte cauſam dedit promiſſo, valebit pro parte reliqua. Quodſi enim pro parte error cauſam dederit promiſſo, pro parte non dederit; promiſ-

 ſio

miſſionis pro parte in errore fundata. ſio tanquam duplex ſpectari poteſt, altera nimirum, cui error cauſam dedit, altera vero, cui cauſam non dedit. Enimvero ſi error dederit cauſam promiſſo, ea non valet (§. 569.); ſi non dederit, valet (§. 570.). Quamobrem ſi error pro parte tantummodo cauſam dederit promiſſioni, valebit ea pro parte reliqua.

Ex gr. Nuncius mihi affertur de morte agnati mei, qui me hæredem inſtituit. Ego in animo habebam tibi dare veſtem cum proxime Doctor fies; nunc vero intuitu hæreditatis, quam mihi obtigiſſe puto, dare etiam conſtitui ſumtus ad gradum impetrandum faciendos. Quodſi ergo dico: Dare tibi volui, cum proxime Doctor fies veſtem; nunc vero, poſtquam mihi nunciatum eſt, agnatum meum mortuum eſſe, qui me hæredem inſtituit, dabo & veſtem, & ſumtus. Promiſſioni cauſam dat error nonniſi quoad ſumtus, non vero quoad veſtem. Hanc igitur dare, illos non dare teneor.

§. 573.

Quando ad damnum reſarciendum teneatur promiſſarius. *Si promiſſarius det dolo cauſam errori, ſed non promiſſioni; ex eo autem errore damnum facit promiſſor; hoc reſarcire tenetur promiſſarius.* Etenim in hoc caſu valet quidem promiſſio (§. 570.), damnum tamen, ſi quod fecit ex eo errore promiſſor, a promiſſario reſarciendum eſſe eodem modo oſtenditur, quo idem de damno a promiſſore reſarciendo oſtendimus (§. 571.).

Quoniam in genere demonſtravimus, non valere promiſſionem, ſi error dederit cauſam promiſſo; non opus demum eſt, ut oſtendamus, promiſſionem eſſe invalidam, ſi promiſſarius dolo det cauſam promiſſioni: neque enim hoc ſibi aliud vult, quam ut doloſe ad errandum induxerit promiſſorem, ut error promiſſioni cauſam daret. Patet etiam ex antea demonſtratis nulla hic opus eſſe diſtinctione, utrum promiſſarius fuerit doli particeps, nec ne, quando dolo data promittendi cauſa. Caſus igitur præter neceſſitatem non multiplicandi.

§. 574.

Conſenſus vi, vel metu extortus num ſit licitus. *Conſenſum vi, vel metu incuſſo extorquere non licet.* Etenim natura homo liber eſt (§. 146. *part. 1. Jur. nat.*), adeoque in agendo non dependet ab ullo alio homine niſi a ſe ipſo (§. 153. *part. 1. Jur. nat.*), & vi libertatis naturalis permittendum eſt, ut unuſquiſque in actionibus ſuis determinandis ſuum ſequatur judicium, quamdiu contra jus alterius nil facit (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero qui conſenſum vi, ſed metu incuſſo ab altero extorquere vult, is omnino vult alterum in agendo non dependere a propria voluntate, nec in actionibus ſuis determinandis ſuum ſequi judicium, etſi id faciens non agat contra jus ipſius, conſequenter ſi conſenſum alterius vi, ſeu metu incuſſo extorquere conatur, hoc ipſum facit contra jus alterius (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero nemo quicquam facere debet contra jus alterius (§. 910. *part. 1. Jur. nat.*). Ergo nemo quoque conſenſum alterius, vi, ſeu metu incuſſo extorquere debet.

Patet per demonſtrationem præſentem, conſenſum vi, vel metu incuſſo extorquere idem eſſe ac particulam quandam libertatis alteri invito auferre velle (*not.* §. 360.). Perinde igitur eſt, ac ſi tibi invito rem quandam tuam, incorporalem ſcilicet (§. 498. *part. 1. Jur. nat.*), eriperet, conſequenter extorſio conſenſus vi, vel metu incuſſo facta æquipollet rapinæ (§. 505. *p. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum rapina omnis lege naturali prohibita ſit (§. 519. *p. 1. Jur. nat.*), conſenſus quoque extorſio vi, vel metu incuſſo facta lege naturali prohibita, conſequenter alterius conſenſum vi, vel metu incuſſo extorquere non licet (§. 170. *part. 1. Jur. natur.*). Quodſi dubites, num dici poſſit, te invitum conſentire, quando conſenſus vi, vel metu extorquetur, relegenda hic ſunt, quæ de invita actione alias diximus (§. 581. *p. 1. Phil. pract. univ.*), & ad conſenſum vi, vel metu extortum applicanda.

§. 575.

§. 575.

An liceat vi, vel metu incuſſo alterum ad promittendum adigere.

Nemo alterum vi, vel metu incuſſo adigere debet ad promittendum. Etenim ſi alterum vi vel metu incuſſo adigere vis ad promittendum, vis utique ut alter tibi promittat, quod promittere non vult, conſequenter ut declaret, ſe velle tibi dare, vel facere, quod dare vel facere non vult (§. 361.), adeoque ut idem velit, quod tu vis. Quamobrem cum conſentias, ſi idem vis, quod vult alter ut fiat (§. 658. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Qui vi, vel metu incuſſo te adigere conatur ad promittendum, conſenſum tuum extorquere conatur. Enimvero nemo conſenſum alterius vi vel metu incuſſo extorquere debet (§. 574.). Quamobrem nemo etiam vi, vel metu incuſſo alterum ad promittendum adigere debet.

Diximus ante (*not.* §. 574.), rapinæ æquivalere extorſionem conſenſus vi, vel metu incuſſo factam. Eodem igitur reſpectu promiſſionis vi, vel metu incuſſo facta extorſio rapinæ æquiparari poteſt, atque ea de cauſa ex eo quoque inferri poterat eam eſſe illicitam, quia rapina illicita. Enimvero extorſionem hanc rapinæ quoque æquiparare poteras, quatenus perinde omnino cenſeri debet ſuum alteri vi eripere, & jus ad id, quod alterius eſt, vi acquirere velle. Sed cum æquipollentia manifeſtior ſit in caſu priore, non opus eſt ut in caſu poſteriore eandem prolixe oſtendamus. Poteramus vero propoſitionem præſentem aliis adhuc modis demonſtrare, niſi præmittenda forent, quæ in anterioribus nondum demonſtrata fuerunt. Sane concupiſcere aliena illicitum eſt, adeoque multo magis illicitum cenſeri debet vi, vel metu incuſſo alterum adigere, ut aliena concupiſcenti promittat, quæ ſponte ſua promittere non vult.

§. 576.

An promiſſio vi, vel metu extorta ſit valida.

Quoniam nemo alterum vi, vel metu incuſſo adigere debet ad promittendum (§. 575.); *qui vi, vel metu incuſſo ad promittendum alterum adigit, nullum inde jus, id quod promittitur exigendi, acquirere poteſt*, conſequenter cum nulla ſit obligatio, cui non reſpondet jus ullum, *ex promiſſione* etiam *vi, vel metu extorta nulla naſci poteſt obligatio*, adeoque *promiſſio omnis vi, vel metu extorta invalida eſt.*

Abſonum foret ſtatuere, promiſſionem eam eſſe validam, ſeu ex eo jus quoddam acquirere promiſſarium, quod legi naturali repugnat. Quamobrem non ſatis conſentientia ſunt, quando *Grotius* de J. B. & P. lib. 2. c. 11. §. 11. promiſſionem vi, vel metu incuſſo extortam validam pronunciat, promiſſarium tamen, propterea quod metum injuſtum intulit, teneri affirmat ad liberandum promiſſorem. Quamvis enim hoc non ex eo ſequi velit, quod inefficax fuerit promiſſio, ſed ex eo potius, quod damnum injuria det, ſi promiſſum accipiat; nihil tamen inde juvatur. Etenim ſi promiſſarius vi, vel metu incuſſo damnum infert promittenti, cum nemini damnum inferre debeamus (§. 553. *part.* 2. *Jur nat.*), hinc etiam ſequitur, quod promiſſio vi, vel metu extorta pro valida haberi nequeat jure naturali. *Grotius* igitur ipſe ſuppeditat principium, per quod demonſtrari poterat propoſitio præcedens, unde præſentem intulimus. Quando itaque Prætor Romanus quod metus cauſa geſtum, pro rato non habet; non ſtricti juris rigorem æquitate temperat, quemadmodum nonnulli ajunt, qui cum *Grotio* ſentiunt, ſed ipſum jus naturæ ſequitur, quod approbare nequit promiſſionem metu, vel vi extortam, quam metu, vel vi extorqueri prohibet. *Grotius* ideo hanc promiſſionem validam pronunciat, quia adeſt promittentis conſenſus abſolutus, non conditionalis, ut in errante, cujus proinde promiſſio invalida eſt (§. 569.). Enimvero cum conſenſum alterius vi, vel metu extorquere illicitum ſit (§. 574.), lege naturali conſenſus iſte declaratur pro nullo. Atque adeo is nec obligationem promiſſoria parere, nec ex obligatione, quæ non exiſtit, jus quoddam naſci poteſt promiſſario. Validitatem itaque promiſſionis conſenſus iſte minime firmat.

§. 577.

Quando metu ab a-

Si metu ab alio incuſſo permotus tibi rei iſtius minime conſcius quid promittam; promiſſio valida eſt. Etenim cum tuum non ſit ſtatuere de eo, num promiſſor

omnia

lio incuſſo valeat promiſſio. omnia probe expenderit, quæ ipſi expendenda ſunt, antequam promittat (§. 422.); nec tuum eſt inquirere, cur tibi quid promittatur. Quamobrem cum tibi ignotum ſit, quod tibi quid promittam metu ab alio incuſſo permotus; nihil obſtat, quo minus tibi perfecte obliger (§. 363.); Valida igitur eſt promiſſio, ſi metu ab alio incuſſo permotus tibi rei iſtius minime conſcio quid promittam.

Hinc *Seneca* lib. 4. Controverſiarum Controverſ. 26. ait ita reſcindi, quæ per vim & metum geſta ſunt, ſi vis & neceſſitas a paciſcente adhibita eſt, cum ad me non pertineat, an tu cogaris, ſi non a me cogeris. Meam eſſe oportere culpam, ut mea pœna ſit.

§. 578.

Quinam damnum promiſſori datum reſarcire in illo caſu debeat. *Qui metu incuſſo me permovet, ut alteri rei iſtius minime conſcio quid promittam; idem mihi reſarcire tenetur.* Etenim ſi metu ab alio incuſſo tibi iſtius minime conſcio quid promittam: promiſſio valida eſt (§. 577.), adeoque ſervanda (§. 431.), conſequenter tibi præſtare debeo, quod promiſi (§. 430.). Quoniam igitur abſque metu incuſſo tibi nil promiſiſſem, adeoque nec præſtitiſsem *per hypoth.* qui metum incuſſit in cauſa eſt, ut jacturam rei meæ faciam (§. 487. *part. 2. Jur. nat.*), conſequenter damnum mihi dedit (§. 488. *part. 2. Jur. nat.*), idque doloſum (§. 489. *part. 2. Jur. nat.*). Enimvero damnum dolo datum reſarciendum eſt (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem ſi quis metu incuſſo me permovet, ut tibi quid promittam, cum ſis ejus rei minime conſcius; is idem mihi reſarcire tenetur.

Quodſi quis dubitet, damnum tibi dari, ſi metu incuſſo permotus alteri iſtius rei minime conſcio promittas; animo recolendum eſt, quod particulam quandam libertatis ſuæ alienet (§. 360.) adeoque rei cujuſdam incorporalis jacturam faciat (§. 487. *part. 2. Jur. nat.*), qui alteri ad faciendum perfecte ſeſe obligat.

§. 579.

Quando promiſſio ob metum ab alio incuſſum invalida. *Si quomodocunque efficis, ut alius metu incuſſo me permoveat ad tibi quid promittendum; promiſſio invalida eſt.* Etenim ſi quomodocunque efficis, ut alius metu incuſso me permoveat ad tibi quid promittendum, perinde omnino eſt ac ſi ipſe metum incuſſiſses & hoc modo promiſſionem a me extorſiſses. Enimvero ſi metu incuſso promiſſionem a me extorques, ea invalida eſt (§. 576.). Ergo etiam invalida eſse debet, ſi quomodocunque efficis, ut alius metu incuſso me permoveat ad tibi quid promittendum.

Valet hic illud pervulgatum: quod quis per alium facit, per ſe feciſſe putatur. Ne vero ſenſus propoſitionis reſtrictior fiat, quam fieri debet, ad animum revocanda & probe perpendenda hic ſunt, quæ de concurſu ad actionem alterius demonſtranda ſunt (§. 106. & *ſeqq. p. 2. Phil. pract. univ.*). Eum in finem addere lubet propoſitionem ſequentem.

§. 580.

Idem porro expenditur. *Si promiſſarius ad metum incuſſum promiſſori quomodocunque concurrit, promiſſio invalida eſt.* Etenim ſi promiſsarius ad metum promiſsori incuſsum quomodocunque concurrit, cum ad actionem alterius concurrat, qui ad actualitatem alterius quidpiam confert (§. 106. *part. 2. Phil. pract. univ.*), is aliquo modo efficit, ut promiſsorem metu incuſso permoveat ad ſibi aliquid promittendum. Sed ſi quis quomodocunque efficit, ut alius metu incuſso promiſsorem permoveat ad ſibi aliquid promittendum; promiſſio invalida eſt (§. 579.). Ergo invalida eſt promiſſio, ſi promiſsarius ad metum incuſsum promiſsori quomodocunque concurrit.

Quo-

Quoniam multis modis ad factum alterius concurrimus, quemadmodum alibi abunde oſtendimus (§. 511, *& ſeqq part. 2. Phil. pract. univ.*); hinc prono alveo per modum corollariorum fluunt multi caſus particulares; quos omnes perſtringere velle ſuperfluum foret, cum nemo non per ſe hoc facere poſſit.

§. 581.

Num notitia metus ab alio incuſſi vitiet promiſſionem.

Si promiſſarius novit, promiſſorem metu ab alio ſibi incuſſo promittere; promiſſio non valet. Quodſi enim promiſſarius novit promiſſorem non promittere, niſi quod metus ab alio ipſi fuerit incuſſus; is perinde vult metu a promiſſore extorqueri promiſſionem, ac qui quomodocunque efficit, ut alius metu incuſſo adigat promiſſorem ad ſibi promittendum, adeoque perinde eſt, ac ſi effeciſſet, ut alius metum eidem incuteret, quo ſibi aliquid promitteret. Enimvero ſi quis quomodocunque efficit, ut alius metu incuſſo permoveat alterum ad ſibi quid promittendum, invalida eſt promiſſio (§. 579.). Quamobrem nec ea valet, ſiquidem promiſſarius novit, promiſſorem metu ab alio ſibi incuſſo promittere.

Hæret vitium in acceptatione, ſine qua cum valida non ſit promiſſoris obligatio, nec ex promiſſione jus ullum acquirat promiſſarius (§. 365.), idem in promiſſionem redundat, eamque invalidam efficit. Nimirum acceptans vult promiſſionem metu extorqueri: id quod fieri minime debet (§. 575.). Velle autem peccare, hoc eſt, ut fiat, quod legi naturæ contrarium (§. 444. *part. 1. Phil. pract. univ.*) etiam peccatum eſt (§. 44. *part. 1. Phil. pract univ.*), adeoque in præſenti caſu legi prohibitivæ contrarium (§. 163. *part. 1. Philoſ. pract. univ.*), conſequenter illicitum (§. 170. *part. 1. Phil. pract univ.*). Unde ad caſum præſentem applicari poteſt, quod ſupra annotavimus de promiſſionis metu extortæ invaliditate (*not.* §. 576.). Ceterum ex hactenus demonſtratis apparet, non ſimpliciter verum eſſe, quod ex lege civili fit, cum quidam actus reſcinduntur ob metum ab alio incuſſum, cum quo actum eſt, quemadmodum videtur *Grotio* de J B. & P. lib. 2. c. 11. §. 7. n. 3.

§. 582.

Promiſſio quando fiat ob cauſam ante debitam.

Si tu ad aliquid præſtandum mihi jam obligaris, & ego tibi quid promitto, ut præſtes; *promiſſio* fieri dicitur *ob cauſam ante debitam.*

Ex. gr. Si viatori mercedem ſolvi, ut literas in locum deſtinatum perferat, & redituro promitto aliquid munuſculi, promiſſio fit ob cauſam ante debitam. Varia eſſe poſſunt motiva, cur alteri ob cauſam ante debitam quid promittamus, veluti ut diligentiam in præſtando debito adhibeat majorem, vel præſtationem maturet, vel ut ad præſtationem debiti alterum incitemus.

§. 583.

Effectus promiſſionis ob cauſam ante debitam.

Promiſſio ob cauſam ante debitam non novam obligationem inducit, ſed veterem fortiorem reddit. Etenim ſi quid promittitur, ob cauſam ante debitam, ideo tibi promittitur, ut præſtes, ad quod præſtandum jam obligatus es (§. 582.). Etſi adeo modus promiſſioni ſit adjectus (§. 557.), qui alias obligationem promiſſario inducit ad eam adimplendum (§. 562.); hic tamen obligationem novam non inducit, adeoque promiſſio ob cauſam ante debitam facta novam obligationem non inducit. *Quod erat unum.*

Enimvero quod ob cauſam ante debitam promittitur motivum eſt præſtationis (§. 890. *Pſych. empir.*), quod incitat voluntatem ad præſtandum (§. 887. *Pſych. empir.*). Quoniam ad agendum te obligat, qui motivum cum actione quoddam connectit (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*); duplex obligatio ſtringit fortior, præſertim cum poſterior ad agendum incitet *per demonſtrata*. Promiſſio itaque ob cauſam ante debitam obligationem veterem fortiorem reddit. *Quod erat alterum.*

Digitized by Google

Ita in exemplo; quod modo dedimus (*not.* §. 582.), viator jam obligatus eſt ad literas in locum deſtinatum perferendas pro mercede debita. Quando igitur ipſi aliquid munuſculi promittis, ut hoc faciat; non nova præſtandi inducitur obligatio. Enimvero quatenus tamen munuſculum promiſſum motivum eſt, ut diligentius præſtet, quod præſtare debet, veluti ut ſtatim, ubi advenerit, literas reddat; obligatio jam fortius tenet viatorem. Atque adeo patet, quod promiſſio ob cauſam ante debitam facta obligationem, quæ jam aderat, firmet. Similiter promitto tibi librum, ſi decem, quos nundinis proximis ſolvere debes, aureos ſtatuto tempore ſolvas, cum mea interſit, ne ſpes ſolutum iri fruſtretur. Non nova hic introducitur obligatio, cum ad ſolvendum iſto tempore jam ſis obligatus: ea tamen redditur fortior, quatenus efficitur, ut majorem adhibeas diligentiam, quo ſolutio ſtatuto tempore fiat.

§. 584.

An promiſſio ob cauſam ante debitam ſit valida.

Promiſſio ob cauſam ante debitam facta valida eſt. Quod enim promittitur ob cauſam ante debitam, etiam ſine eadem promitti poterat, cum a tua unice voluntate pendeat, utrum jus quoddam in alterum transferre (§. 11.), conſequenter quid promittere velis (§. 361.), nec ne. Quodſi ſine cauſa iſta idem promitteretur, promiſſio valida foret, ubi a promiſſario acceptata (§. 363. 365.), etiamſi cauſa, quæ jam debetur, tantummodo foret modus promiſſioni adjectus (§. 560.), vel conditio (§. 403.). Quamobrem nulla adeſt ratio, cur promiſſio ob cauſam ante debitam facta non ſit valida, conſequenter valida omnino eſt.

Ita in exemplo, quod modo dedimus (*not.* §. 583.) librum tibi promittere poteram, etiamſi nihil a te mihi eſſet ſolvendum. Viatori etiam in altero exemplo promittere poteram munuſculum, quamvis ejus opera non uterer in literis perferendis. Nemo autem non videt, cauſam ante debitam minime obſtare, ut propter eam in utroque caſu idem adhuc promittam.

§. 585.

Onus quando promiſſioni adjiciatur.

Onus promiſſioni adjicere dicitur promiſſor, quando promittit ſub hac conditione, ſi promiſſarius viciſſim quid ſibi vel alteri præſtet, vel modus etiam in tali præſtatione conſiſtit.

Ex. gr. Si dicam: Dabo tibi librum noviter compactum, & novæ editionis, quæ priori emendatior, ſi librum tuum Titio dare vis, ſeu ut eum Titio des. In hoc caſu promiſſioni adjicitur onus, nimirum ut tu des librum tuum Titio: perinde vero eſt, ſive hoc onus adjiciatur ut conditio, ne ego ante tenear tibi dare librum promiſſum, quam tu dederis tuum Titio (§. 468.), ſive ut modus, ne tu ante tenearis librum tuum dare Titio, quam novum a me acceperis (§. 559.). Hoc equidem exemplum loqui videtur, onus non æquivalere, multo minus ſuperare debere promiſſum, ut acceptatio fiat, ſine qua promiſſio non ſubſiſtit (§. 365.); id tamen non neceſſario obtinet, cum etiam alteri quid promittere valeamus, quod minus valet, ut ipſum permoveamus ad præſtandum id, quod majoris eſt pretii. Ex. gr. Si te permovere velim, ut Titio des duos aureos, & recuſanti promittam nummum argenteum uncialem; promiſſioni adjicitur onus, quod ſuperat id, quod ex promiſſione debetur. Quodſi tamen dederis duos aureos Titio, ego utique teneor tibi dare nummum uncialem, quem promiſi (§. 529.). Valida igitur eſt promiſſio, etſi onus eidem adjectum ſuperet id, quod ex promiſſione conſequeris.

§. 586.

An onus liceat promiſſioni adjicere.

Promiſſor promiſſioni onus pro arbitrio adjicere poteſt. Etenim in promiſſarium transfert jus aliquam præſtationem a ſe exigendi (§. 361.). Ab ejus vero voluntate unice pendet, quomodo dominium, vel jus quoddam ſuum in alterum transferre velit (§. 11.), adeoque etiam idem facere poteſt ſub hac conditione ſi promiſſarius viciſſim tibi vel alteri quid præſtet. Quoniam itaque onus adjicitur promiſſioni, quando promittitur ſub hac conditione, ſi promiſſarius viciſſim

Digitized by Google

viciſſim quid promiſsori, vel alteri cuidam præſtet (§. 585.); promiſsor promiſſioni onus pro arbitrio adjicere poteſt.

§. 587.

Cur onus adjiciatur citra injuriam promiſſario factam.

Si promiſſioni adjicitur onus, nulla promiſſario fit injuria. Etenim vi libertatis naturalis tibi competentis (§. 146. *part.* 1. *Jur. nat.*), in acceptando non dependes a voluntate promiſsoris (§. 152. *part.* 1. *Jur. nat.*), ſed in tua unice voluntate poſitum eſt, utrum promiſsum cum adjecto onere acceptare velis nec ne (§. 153. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum ex promiſſione nullum jus tibi acquiratur, nec promiſsor ad quid præſtandum tibi obligetur, antequam acceptatio a te facta fuerit (§. 365.); ſi promiſsor jure ſuo uſus (§. 586.), promiſſioni onus adjicit, nihil facit, quod eſt contra jus tuum perfectum (§. 239. *p. r. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque injuria nulla tibi fit, quamdiu nil fit contra jus perfectum tuum (§. 859. *part.* 1. *Jur. nat.*); ſi tibi promittens adjicit promiſſioni onus, nulla tibi injuria fit.

Quodſi quis putet, injuriam fieri promiſſario, ſi onus ſuperet promiſſum; is læſionem fingit, ubi nulla adeſt, prouti exemplum paulo ante datum docet (*not.* §. 585.). Confundit nimirum contractum, in quo requiritur æqualitas præſtationum mutuarum, niſi contrahentes in inæqualitatem expreſſe conſenſerint, cum promiſſione, & in ipſo contractu tollit inæqualitatem etiam eam, in quam conſenſere contrahentes contra ea, quæ ſuo loco demonſtrabuntur.

§. 588.

Quando promiſſio convaleſcat.

Si promiſſio ſit invalida, poſtea vero valida efficitur, *convaleſcere* dicitur.

Ex. gr. Invalida eſt promiſſio, ſi per errorem, qui dat cauſam promiſſioni, quid promittitur (§. 569.), aut ea vi vel metu incuſſo extorquetur (§ 576.). Quodſi iſtiuſmodi obligatio poſtea valida efficitur, ea convaleſcit: quod quomodo fiat, demonſtrandum.

§. 589.

Promiſſio quomodo convaleſcat.

Si promiſſio fuerit invalida, re tamen cognita eadem ſtare velit promiſſor; ea convaleſcit. Etenim ſi invalida ſit promiſſio, promiſsor promiſsario non obligatur ad præſtandum, quod promiſit, neque adeo hic jus ullum ex promiſſione conſecutus: id quod per ſe patet. Enimvero ſi re cognita promiſſione ſtare velit promiſsor, agnoſcit equidem, ſe promiſsario ad nihil teneri, nec huic jus ullum eſse, quod promiſerat, exigendi; hoc tamen non obſtante vult ſe alteri eſse obligatum & alteri jus exigendi, quod promiſerat, competere. Perinde igitur eſt, ac ſi de novo idem alteri promitteret, nulla habita ratione ejus, ob quod invalida erat promiſſio, & acceptatio antea facta præceſſiſse intelligitur promiſſionem (§. 10.). Quamobrem cum in nova hac promiſſione nil adſit, quod eandem invalidam efficiat, ſine ratione autem ad invalidandum ſufficiente invalida eſse nequeat (§. 70. *Ontol.*); ſi re cognita promiſſione, quæ invalida erat, promiſsor ſtare velit, quæ antea erat invalida, nunc valida efficitur. Quoniam itaque promiſſio convaleſcit, ſi promiſſio, quæ erat invalida, efficitur valida (§. 588.); promiſſio invalida convaleſcit, quando re cognita eadem ſtare vult promiſsor.

Ex. gr. Si ea de cauſa tibi quid promiſi, quod putem verum eſſe nuncium de morte agnati mei, qui me hæredem inſtituit: ego autem, ubi cognovi falſum fuiſſe nuncium hoc non obſtante declaro, me tibi dare velle quod promiſeram, promiſſio invalida convaleſcit. Idem etiam intelligitur in caſu altero, ubi promiſſio vi vel metu extorta.

§. 590.

Modus convaleſcendi diſtinctius exponitur.

Quoniam promiſſio non convaleſcit, niſi cum invalida eſſet, promiſsor tamen hoc non obſtante eadem ſtare velit (§. 589.), de animo autem promiſsoris nihil conſtare poteſt, niſi eum ſufficienter declaret ſive verbis, ſive factis; *promiſſio, quæ erat invalida non convaleſcit, niſi actu quodam externo, adeoque ſive verbis, ſive factis declaret promiſſor, ſe eadem ſtare velle, etſi noverit eam invalidam eſſe.*

De modo, quo fit promiſſionum invalidarum reconvaleſcentia, non omnium eandem eſſe ſententiam, monuit *Grotius* de J. B. & P. lib. 2. c. 11. §. 20. Sunt enim qui exiſtimant, ut convaleſcat promiſſio, ſufficere ſolum actum internum, qui conjunctus cum priore acta externo ſufficiat ad pariendam obligationem. Enimvero cum voluntatem promiſſoris divinare non liceat promiſſario, niſi ſufficienter declaretur, ſine ea vero huic is obligari nequeat; neceſſe omnino eſt, ut vel verbis, vel factis ea declaretur. Actus internus animi minime producit obligationem externam, quæ cum jure cogendi conjuncta (§. 656. *part. 1. Jur. nat.*). Alii cum adverterent declarationem promiſſoris, quod ſtare velit promiſſis, etſi ad ea ſervanda non teneatur, æquipollere debere novæ promiſſioni; ad reconvaleſcentiam promiſſionis requirere maluerunt novam promiſſionem & acceptationem, quaſi antea facta acceptatio trahi non poſſit ad actum promiſſoris præſentem, quæ tamen neceſſario adeſſe debet, ut valida ſit promiſſio (§. 365.). Enimvero hi minime perpendunt, acceptationem etiam præcedere poſſe promiſſionem, ac quod hoc fiat, quando de animo acceptantis jam ſatis conſtat.

§. 591.

Caſus particularis, quo voluntate promiſſoris facto declarata promiſſio convaleſcit.

Si ubi tibi ſatis conſtat, promiſſionem eſſe invalidam, veluti cognito errore, qui eidem cauſam dedit, aut depulſo metu, quo extorta promiſſio, ultro præſtes, quod promiſſum; promiſſio convaleſcit. Etenim ſi tibi ſatis conſtet, promiſſionem eſſe invalidam, veluti ſi cognoſcas errorem, qui promiſſioni cauſam dedit, aut metus fuerit depulſus, quo ea extorta fuit, & tu hoc non obſtante ultro præſtas, quod promiſsum; ipſo facto declaras, te ſtare velle promiſſis: id quod per ſe patet. Enimvero quando promiſsor, invaliditate promiſſionis agnita, facto declarat, ſe ſtare eadem velle, eadem etiam convaleſcit (§. 589. 590.). Promiſſio igitur convaleſcit, ſi ultro præſtes, quod promiſsum, ubi tibi ſatis conſtat, promiſſionem eſſe invalidam, veluti cognito errore, qui eidem cauſam dedit, vel metu depulſo, quo extorta promiſſio.

Caſum hunc particularem adjicere lubuit, ut rectius intelligatur, quomodo facto declarare poſſit promiſſor animum ſtandi promiſſis.

§. 592.

Quomodo præſtetur, quod conditionate promiſſum fuerat conditione non exiſtente.

Si promiſſor norit, non extare conditionem, hoc tamen non obſtante præſtat id, quod promiſſum fuerat; id ultro præſtare intelligitur, quaſi promiſſum non eſſet. Quamprimum enim certum eſt deficere conditionem, promiſſio pro non facta habenda (§. 534.), conſequenter quod promiſſum erat præſtari nequit tanquam promiſsum. Quamobrem ſi promiſsor norit, non extare conditionem, hoc tamen non obſtante id præſtat, quod promiſsum fuerat; id omnino præſtare ultro intelligitur, quaſi promiſsum non eſset.

Nimirum evaneſcente promiſſione, quando conditionem non extare certum eſt, ad id præſtandum, quod promiſſione conditionata continebatur, non obligatus eſt reus promittendi. Idem ergo præſtari nequit tanquam debitum (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univerſ.*): præſtatur adeo ultro, quaſi promiſſum non eſſet.

§. 593.

§. 593.

Quodſi promiſsor, conditione non exiſtente, promiſsario ad præſtandum id, quod promiſerat, nihilominus obligatus eſſe velit; & promiſſione, & acceptatione nova opus eſt. Quando enim deficit conditio, promiſſio pro non facta habenda (§. 534.), conſequenter vi ejuſdem promiſsor obligatus eſse nequit ad id præſtandum, quod conditionate promiſerat. Quamobrem ſi hoc non obſtante eidem ad hoc præſtandum obligatus eſse velit, cum nemo ſeſe alteri perfecte obligare poſſit niſi promittendo (§. 393.); promiſsoris autem obligatio valida eſse nequeat ſine acceptatione (§. 365.), nova omnino opus eſt promiſſione & acceptatione.

Cur nova promiſſione opus ſit, ſi ad præſtandum conditionate promiſſum velis eſſe obligatus non extante conditione.

Conditione non extante ex promiſſione conditionata nihil conſequi poteſt promiſſarius. Quodſi ergo vis ut id conſequatur, quod ex promiſſione iſta conſecutus fuiſſet extante conditione, aut dandum id ultro, aut denuo promittendum pure, perinde ac ſi conditionata promiſſio facta nunquam fuiſſet. Nova adeo promiſſio tui prorſus arbitrii eſt; atque adeo præſtationem quomodocunque variare & promiſſioni, quod videtur, onus, vel etiam modum quemcunque adjicere licet, cum nova promiſſio nullo modo a conditionata, quæ prorſus evanuit, dependeat.

§. 594.

Promiſſio non habere debet cauſam expreſſam, ut ſit valida. Etenim homines ſibi invicem ad dandum, vel faciendum perfecte ſeſe obligant mutuo conſenſu (§. 357.). Quamobrem cum ad conſenſum mutuum non requiratur, niſi ut quod unus alteri præſtare vult, hoc ſibi alter ab eo præſtari velit (§. 658. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), hoc vero fiat, ſi promiſsor nude promittat, nulla expreſsa cauſa, cur promittat, & promiſsarius idem acceptet (§. 361. 365.); promiſſio ut ſit valida, cauſam expreſsam habere non debet.

An neceſſe ſit, ut promiſſio cauſam expreſſam habeat.

Cauſa, cur alteri quid promittas, non ad hoc requiritur, ut ſibi conſtet de alterius voluntate, cujus quippe determinatio libertati tuæ naturali relinquenda (§. 156. *part.* 1 *Jur. nat.*). Conſtat de conſenſu promittentis, quamprimum ejus voluntas patet. Civile adeo eſt, quod promiſſio habeatur invalida, quæ cauſam expreſſam non habet.

§. 595.

Si promiſsor declaret, ſeſe ex promiſso teneri nolle, *promiſſionem revocare* dicitur. *Quando* igitur *promiſſor promiſſionem revocat, animum promittendi mutavit.* Quamobrem cum homini nullum competat jus mutandi voluntatem, quando mutatio eſt contra jus alterius (§. 376.); *promiſſionem revocare licet, quamdiu ex ea jus nemini quæſitum, minime vero, ubi alicui fuerit quæſitum.*

Promiſſio quando revocetur, & quando revocatio licita.

Unicuique permittendum, ut voluntatem ſuam mutet, quamdiu nil agit contra jus alterius (§. 377.). Mutat voluntatem, qui promiſſionem revocat, ac ideo revocat, quia illam mutat *vi præſentis*. Quamobrem promittenti permittendum, ut revocet promiſſionem, quamdiu ex ea jus nemini quæſitum.

§. 596.

Ante acceptationem promiſſio revocari poteſt; facta autem acceptatione revocari nequit. Quoniam enim ſine acceptatione ex promiſſione jus nullum acquiritur promiſſario (§. 365.); quamdiu acceptatio ab eo nondum facta, ex promiſſione jus nullum ipſi quæſitum eſt. Enimvero promiſſionem revocare licet, quamdiu

Quid promiſſionem faciat irrevocabilem.

Digitized by Google

diu ex ea jus nemini quæſitum (§. 595.). Quamobrem ante acceptationem promiſſio revocari poteſt. *Quod erat unum.*

Jam vero acceptatio non fit alio fine, quam ut a volente jus quoddam in te transferatur (§. 381.). Quamobrem cum vi promiſſionis promiſſario competat jus perfectum ad id, quod promiſſum eſt (§. 364.); ſi is promiſſionem acceptet, jus perfectum ad id, quod promiſſum eſt, ipſi actu competit. Quoniam itaque promiſſionem non licet revocare, niſi quamdiu ex ea jus nemini quæſitum (§. 595.); facta acceptatione ea revocari nequit. *Quod erat alterum.*

Acceptatio igitur promiſſionem facit irrevocabilem. Quod ante acceptationem adhuc erat voluntatis, id facta eadem fit neceſſitatis, cum eadem reum promittendi ad præſtandum tibi obligaveris (§. 381.), ut præſtatio facta fuerit neceſſaria (§. 118. *part. 2. Phil. pract. univ.*), & contra jus libertatis naturalis, cujus particula jam alienata eſt, promiſſor jam dependeat a voluntate tua (§. 153. *part. 1. Jur. nat.*), non amplius quoad illam ſui juris (§. 155. *part. 1. Jur. nat.*), ſed juris potius tui (§. 141. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 597.

Pœnitentia revocationi promiſſionis cohærens. *Si promiſſio revocatur, promiſſorem pœnitet promiſſi.* Etenim ſi promiſſio revocatur, promiſſor declarat, ſeſe ex promiſſo teneri nolle (§. 595.), adeoque judicat ſe male feciſſe, aut minus recte, quod promiſerit, cum jam nolit, quod ante voluerat, motivum vero nolitionis in repræſentatione mali conſiſtat (§. 89. *Pſych. empir.*), ſine quo nolitio non datur (§. 889. *Pſych. empir.*). Enimvero eum facti pœnitet, qui, quæ fecit, male aut minus recte facta judicat (§. 759. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo promiſſor promiſſionem revocet, eum promiſſionis factæ pœnitet.

Patet ex demonſtratione, ideo revocari promiſſionem, quod promiſſorem ejus pœnitet. Niſi enim pœniteret, nec fieri poterat, ut non factam vellet.

§. 598.

Quando pœnitentia impediatur. *Pœnitentia impediri* dicitur, quando eidem in jure nullus relinquitur locus. *Impeditur* adeo, *quando voluntatem mutare non amplius licet.* Quamobrem cum voluntatem mutare non liceat, quando mutatio eſt contra jus alterius (§. 376.); *pœnitentia impeditur, quando mutatio voluntatis eſt contra jus alterius.*

Phyſice impediri nequit, ne quis pœniteat facti, etiamſi ipſi integrum non ſit mutare voluntatem: Sed quando lex mutationem voluntatis non admittit, quoad jura & obligationes pœnitentiæ nullus admittitur locus, ut adeo moraliter abeſſe cenſeatur, quia non attenditur, ſed perinde eſt, ac ſi abeſſet.

§. 599.

Quidnam eam impediat. *Acceptatio impedit pœnitentiam promiſſoris, ſeu quamprimum promiſſio acceptata eſt, promiſſorem factæ promiſſionis non amplius pœnitere licet.* Facta enim acceptatione promiſſionem revocare non licet (§. 596.), conſequenter nec promiſſor declarare poteſt, ſeſe ex promiſſo teneri nolle (§. 595.). Quamobrem quamvis promiſſor mallet promiſſionem factam non eſſe, conſequenter judicet, male ſeſe feciſſe, quod promiſerit, adeoque eum promiſſionis factæ pœniteat (§. 759. *Pſych. empir.*); pœnitentiæ tamen nullus amplius relinquitur locus. Quoniam itaque pœnitentia impeditur, quando eidem in jure nullus amplius relinquitur locus (§. 598.); acceptatio pœnitentiam impedit, conſequenter quamprimum promiſſio acceptata eſt, promiſſorem factæ promiſſionis non amplius pœnitere licet.

Nimirum facta acceptatione pœnitendi jus ademtum reo promittendi. Quando igitur pœnitet,

Digitized by Google

nitet; hoc nullo jure facit; moraliter vero hic unum idemque eſt non facere & nullo jure facere, cum quod fit non attendatur, ſed perinde habeatur, ac ſi factum non fuiſſet.

§. 600.

Promiſſio conditionata revocari nequit. Antequam enim certum eſt, conditionem extare, promiſſarius ex ea habet ſpem debitum iri (§. 471.), quæ invito adimi nequit (§. 477.). Quamobrem cum hæc ſpes promiſſario adimeretur, ſi promiſſor declararet, ſeſe ex promiſſo eidem teneri nolle, etiamſi extet conditio, conſequenter ſi promiſſionem conditionatam revocaret (§. 595.); evidens eſt, promiſſionem conditionatam revocari minime poſſe. *Num promiſſio conditionata revocari poſſit.*

Conditio adeo promiſſioni adjecta eam irrevocabilem facit.

§. 601.

Conditio promiſſioni adjecta pœnitentiam impedit. Promiſſionem enim irrevocabilem facit (§. 600.). Quamobrem cum promiſſorem pœniteat promiſſi, ſi promiſſionem revocet (§. 597.); conditio promiſſioni adjecta pœnitentiæ nullum relinquit locum. Quoniam itaque pœnitentiam impedit, quod eidem locum nullum relinquit (§. 598.); conditio promiſſioni adjecta pœnitentiam impedit. *Quod impediat pœnitentiam.*

Nemo non videt, ſermonem eſſe de conditione ſuſpenſiva, quæ act a perfectionem differt, donec certum fuerit eam extare (§. 488.), quippe quæ ſemper intelligitur, quando de promiſſione conditionata ſermo eſt. Parum autem refert, utrum ea caſualis, vel poteſtativa, aut mixta fuerit, cum hæ omnes ſint ſuſpenſivæ (§. 487. 488.). Patet adeo acceptationem impedire pœnitentiam, ſive ea pura, ſive conditionata fuerit. Quod enim paulo ante de pura oſtendimus (§. 599.); idem etiam jam oſtenſum eſt de conditionata.

§. 602.

Qui factum alienum promittit, nihil omittere debet, quod ad idem obtinendum facere poteſt. Qui enim factum alienum promittit, in ejus poteſtate abſolute non eſt efficere, ut alter præſtet, quod promiſit, cum is vi libertatis naturalis minime dependeat in agendo a voluntate ipſius (§. 153. *part.* 1. *Jur. nat.*), ſed permittendum potius ſit, ut ſuum in determinanda voluntate ſequatur judicium (§. 156. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem niſi velis promittere, quæ impoſſibilia ſunt, quorum hic nulla habetur ratio (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quando factum alienum promittis, non aliud promittis, quam te omnem diligentiam adhibiturum, ut alterum ad faciendum id, quod promittis, permoveas, conſequenter nihil eorum omiſſurum, quod ad idem obtinendum facere potes (§. 751. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque promiſſa ſunt ſervanda (§. 431), adeoque promiſſor facere debet, quod ſe facturum dixit (§. 430.); qui factum alienum promittit, nihil omittere debet, quod ad idem obtinendum facere poteſt. *Obligatio promittentis factum alienum.*

Ex. grat. Si quis promittit Titium tibi daturum duos aureos, factum alienum promittit. Jus Romanum iſtiuſmodi promiſſionem inutilem pronunciat, ex qua ſcilicet, nulla oritur obligatio §. 31. de inut. ſtipul. & l. 83. ff. de V. O. Enimvero cum nemo ſerio nihil promittere voluiſſe cenſendus ſit, illud promiſiſſe intelligitur, quod in poteſtate ipſius eſt, & verbis ejus conveniens. Loquuntur verba, quod velit Titium tibi dare debere duos aureos. Hoc efficere in poteſtate ipſius non eſt; curare tamen poteſt, ut det. Promiſſionem igitur ita interpretandam eſſe haud difficulter intelligimus, ipſum curaturum, ut Titius tibi det duos aureos. Unde porro conſequitur, eum nihil omittere debere, quod ad efficiendum, ut det Titius, ab ipſo proficiſci poteſt. Sæpe his verbis expreſſe concipitur promiſſio: curabo, ut Titius tibi det duos aureos. Et tunc nemo non admittere tenetur, promiſſorem obligatum eſſe ad nihil eorum

rum

Digitized by Google

rum omittendum, quæ facere poteſt, ut Titium permoveat ad dandum. Sane in ipſo Jure Romano promiſſioni tribuitur obligatio, ubi promiſeris, te effecturum, ut Titius det. Eccur non etiam ea, quam diximus, obligatio promiſſioni de facto alieno tribui poteſt, quæ hanc admittit interpretationem: curabo, ut Titius det, immo quam ita interpretari neceſſario debemus, niſi dicendum ſit, in re ſeria promittentem inania verba proferre voluiſſe. Quamdiu vel ex verbis, vel ex materia aliiſque circumſtantiis colligitur, qualis fuerit animus promittentis, promiſſionem etiam eidem conformiter interpretari debemus; ne ea prorſus fruſtranea ſit. Quamvis autem naturalem defendimus obligationem promiſſionis facti alieni; non tamen propterea negamus civili jure eidem obligationem detrahi poſſe: cur enim ideo jus civile non ſit iniquum dicendum, ſuo patebit loco. Tenendum præterea, Jure Romano deliberati animi ſignum conſtitutum fuiſſe ſtipulationem, cui initio erant ſolemnia verba præſcripta, quorum ſignificatus a lege pendebat, ut adeo non aliam permitterent interpretationem, quam lege præſcriptam.

§. 603.

Quando iſta obligatio fortius teneat.

Qui expreſſe promittit, ſeſe effecturum, ut tertius det, vel faciat, & promiſſarium certum eſſe jubet, quod ſit daturus vel facturus; tanto magis obligatur, ne quid eorum omittat quod ad obtinendum factum tertii facere poteſt. Cum enim promiſſa ſint ſervanda (§. 431.), adeoque promiſſor id omne præſtare teneatur, quod ſe præſtiturum affirmavit (§. 430.); in hypotheſi propoſitionis præſentis evidentiſſimum eſt, promiſſorem tanto magis obligari, ne quid eorum omittat, quod ad obtinendum factum tertii facere poteſt.

Promiſſarius non plus juris acquirere poteſt, quam in ipſum transferre voluit promiſſor, nec ultra voluntatem ejus eundem ſibi obligare valet ad dandum, vel faciendum (§. 382.). Quamobrem æquitati naturali conveniens eſt, ut animum inprimis promiſſoris inſpiciamus, qualis is fuerit, expendendo tam factum tertii, quod promittitur, quam circumſtantias cum ex parte promittentis, tum ex parte tertii, ac ipſius etiam promiſſarii, ne in verbis ſimus ſcrupuloſiores, quam par eſt, contra rei veritatem. Sed hæc clariora evadent per ea, quæ de interpretatione demonſtraturi ſumus.

§. 604.

Quando promittens factum alienum teneatur ad id, quod intereſt.

Quodſi factum alienum promiſeris, nullam vero in eo obtinendo adhibueris diligentiam, aut non eam, quam poteras, promiſſarius vero inde damnum quoddam patitur, damnum datum reſarcire teneris, præſertim ſi promiſeris te effecturum, ut tertius det vel faciat, & promiſſarium certum eſſe jubeas, quod ſit daturus, vel facturus. Etenim ſi factum alienum promittis, nihil eorum omittere debes, quod ad idem obtinendum facere potes (§. 602.) & tanto fortius te tenet hæc obligatio, ſi expreſſe promiſeris, te effecturum, ut tertius det, vel faciat, & promiſſarium certum eſſe jubes, quod ſit daturus, vel facturus (§. 603.). Quodſi ergo in facto alieno obtinendo nullam adhibueris diligentiam, aut non eam, quam poteras, in promiſſo implendo negligentem te præbes (§. 757. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum negligentia culpa ſit (§. 758. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ſi quod inde damnum patiatur promiſſarius, tua culpa datur. Quoniam itaque damnum culpa datum reſarciendum (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*); ſi in obtinendo facto alieno, quod promiſiſti, nullam adhibueris diligentiam, aut non eam, quam poteras, promiſſarius vero inde damnum quoddam patiatur, damnum reſarcire teneris, præſertim ſi promiſeris te effecturum, ut tertius det vel faciat, & promiſſarium certum eſſe juſſeris, quod ſit daturus, vel facturus.

In caſu altero, quo obligationem fortius tenere reum promittendi oſtendimus (§. 603.), jus etiam Romanum admittit obligationem ad id, quod intereſt, ſive lucrum ceſſans, ſive damnum emergens ſpectes, quorum iſtud huic æquiparandum, atque adeo ſub damni generali appellatione a nobis comprehenditur. Ceterum jure naturali pollicitatio diſtinguenda a promiſſione (§. 361. 367.), ne quæ de hac demonſtrantur ad illam perperam transferantur. Pruden-

dentiæ vero eſt in facto præſertim alieno promittendo verbis accurate ſatis exprimere mentem ſuam, ut ad quid teneri velit reus promittendi, per ea manifeſtum ſit.

§. 605.

Quando factum alienum promittens ipſe quid præſtare teneatur.

Si promiſſario quid præſtare promiſeris, niſi tertius fecerit, quod promittis, hic vero non fecerit; quod te præſtiturum promiſiſti, præſtare teneris. Quodſi enim promiſſario quid præſtare promittis, niſi tertius fecerit, quod promittis; factum proprium promittis ſub conditione negativa, ſcilicet ſi tertius non fecerit (§. 498.). Quamobrem cum conditio negativa extet, ſi non fecerit (§. 490.), quamprimum vero certum eſt extare conditionem, promiſſio conditionata valida ſit (§. 467.), & promiſſor eam implere teneatur (§. 469.); ſi promiſſario quid promiſeris, niſi tertius fecerit, quod vero promittis hic non fecerit, tu præſtare teneris, quod te præſtiturum dixiſti.

Ex. gr. Si dico: promitto, Titium tibi quatuor aureos daturum; quodſi non dederit, ipſe duos dabo. Anteriorum gnarus abſque demonſtratione ulteriori admittet, me duos aureos tibi dare debere, ſi Titius non dederit quatuor. Non tamen ideo ſuperflua exiſtimari debet demonſtratio. Neque enim anteriorum gnarus ſine ulteriori demonſtratione admittit, me duos aureos tibi dare debere, ſi Titius non dederit quatuor, quam quia confuſe recordatur eorum, quæ demonſtrationem præſentem ingrediuntur tanquam principia. Quoniam igitur nobis incumbit, ut diſtincte exponamus, quæ perceptionibus confuſis inſunt; noſtrum quoque erat id demonſtrare, quod vi perceptionum confuſarum in caſu particulari abſque demonſtratione admittitur tanquam verum. Velim hoc ſibi notent, qui ad carpendum proni reprehendunt, ea demonſtrari, quæ nulla demonſtratione indigere ipſis videntur. Quodſi ſapere nolint, per nos deſipiant.

§. 606.

Pœna quando adjiciatur promiſſioni.

Pœna dicitur ***adjici promiſſo***, quando reus promittendi declarat, ſe hoc daturum, vel facturum, niſi ſteterit promiſſo. Et ***promiſſio***, quæ pœnam adjectam habet, ***pœnalis*** dicitur: quod vero pœnæ loco promittitur, ***pœnale promiſſum*** appellatur.

Facile oſtendi poterat ex ipſa definitione pœnæ (§. 285. *part. 1. Phil. pract. univ.*), pœnam omnino eſſe id, quod promittitur ſub hac conditione, niſi ſteterim promiſſo. Sed his ambagibus opus non eſt, cum definitio nominalis valeat, etiamſi eidem non inſit veritas, qua nomen rei ex aſſe conveniri oſtenditur. Quodſi dubium moveat, quod in definitione pœnæ requiratur jus obligandi eum, in quem pœna ſtatuitur; haud difficulter probatur, jus ſeſe obligandi alteri, ut pœnæ loco quid exigat unicuique hominum competere, prouti mox eluceſcet, quando demonſtraturi ſumus, pœnam promiſſioni licite adjici. Exemplum promiſſionis pœnalis tale eſto. Faciam tibi hoc: ſi non fecero, pœnæ nomine decem aureos promitto. Hic decem aurei, qui pœnæ nomine promittuntur, promiſſum pœnale ſunt. Enimvero non opus eſt, ut expreſſe dicatur me pœnæ nomine hoc promittere: ſufficit enim hoc conſtare ex ipſius promiſſionis natura, aut circumſtantiis aliis. V. gr. Si quis promittit ædificare domum tuam intra annum, &, niſi hoc fecerit, ſe tibi daturum triginta aureos; nemo non intelligit, triginta aureos pœnæ nomine promitti. Non inutiliter vero promiſſionibus adjici pœnam, ex ſequentibus eluceſcit.

§. 607.

Promiſſum pœnale quale ſit.

Quod pœnæ nomine promittitur, conditionate promittitur, ſeu promiſſum pœnale conditionale eſt. Quando quis pœnæ nomine quid promittit, is ſe hoc, quod pœnale eſt, non præſtiturum promittit, niſi ubi non ſteterit promiſſo ſuo, hoc eſt, niſi fecerit, quod promiſerat (§. 430.), conſequenter id promittit ſub conditione negativa, ſi non fecerit, quod promiſerat (§. 489.). Quamobrem cum conditionate promittatur, quod nonniſi ſub certa conditione promittitur (§. 462.); quod pœnæ nomine promittitur, conditionate promittitur.

De

De promiſſione itaque pœnæ eodem modo ratiocinandum, quo de conditionata, atque ad eam applicanda ſunt, quæ de illa in ſuperioribus abunde demonſtrata. Cum nos etiam ex parte promittentis conditionem poteſtativam admittamus; nos non angit difficultas; quam faceſſere poterant, qui in promiſſionibus conditioni poteſtativæ nullum concedunt locum; niſi ſit ex parte promiſſarii.

§. 608.

An factum proprium promiſſioni facti alieni adjectum ſit pœna.

Si promittens factum alienum ipſe quid dare vel facere promittit, niſi tertius fecerit; quod ipſe dare vel facere promittit, pœna non eſt. Etſi enim tertius non fecerit, quod eum facturum promiſiſti, non tamen dici poteſt, te non ſtetiſſe promiſſo, qui tantummodo obligaris ad curandum vel efficiendum, ut tertius promiſſario det vel faciat, quod daturum eum, vel facturum promiſiſti (§. 602. 603.). Quamobrem cum pœna promiſſioni non adjiciatur, niſi reus promittendi declaret, ſe quid daturum vel facturum, ſi non ſteterit promiſſo, hoc eſt, ſi non præſtiterit, quod ſe præſtiturum promiſit (§. 606.); quod ipſe dare, vel facere promittit, ſi tertius non præſtiterit, quod ipſum præſtiturum promiſerat, pœna non eſt.

Ad promiſſionem adeo facti alieni ubi accedit promiſſio proprii ſub conditione illius non obtenti ad haoc applicari nequeunt, quæ de promiſſione pœnæ demonſtrantur, ſed, ubi factum alienum non fuerit obtentum, de ea ratiocinandum, quemadmodum de promiſſione pura.

§. 609.

Quando promiſſioni facti alieni pœna adjiciatur & quinam ſit ejus effectus.

Si factum alienum promittens declaret, ſe promiſſario hoc daturum, vel facturum, niſi omnem det operam, ut factum alienum obtineatur; factum proprium pœnæ nomine promittitur; &, ſi promiſſarius promiſſum pœnale acceptet, reus promittendi non amplius tenetur ad id quod intereſt. Etenim qui factum alienum promittit, nihil eorum omittere debet, quæ facere poteſt, ut factum alienum, quod promiſit, obtineatur, præſertim ſi expreſſe hoc ſe facturum affirmaverit (§. 602. 603.). Quodſi ergo declaret, ſe promiſſario hoc daturum, vel facturum, niſi omnem det operam, ut factum alienum obtineatur; omnino declarat, ſe ipſi hoc daturum, vel facturum, niſi ſteterit promiſſo (§. 430.). Enimvero quando reus promittendi declarat, ſe hoc daturum, vel facturum, niſi ſteterit promiſſo, pœna adjicitur promiſſioni (§. 606.). Factum igitur proprium pœnæ nomine promittitur, ſi qui factum alienum promittens ſimul declarat, ſe promiſſario hoc præſtiturum, niſi omnem det operam, ut factum alienum obtineatur. *Quod erat unum.*

Jam ſi promittens factum alienum declaret, ſe promiſſario hoc daturum, vel facturum, niſi omnem det operam, ut factum alienum obtineatur; eo ipſo declarat, nolle ſe ultra pœnam teneri, ſiquidem omnem operam non dederit, ut factum alienum obtineatur, nec tertius facere voluerit; quod per ſe patet. Quamobrem ſi promiſſarius promiſſum pœnale acceptet, in hoc conſentit, quod ultra pœnam ipſi teneri non debeat, ſiquidem non omnem dederit operam, ut factum alienum obtineatur (§. 2.), conſequenter jus ad id, quod intereſt, alias ipſi competens (§. 604.), remittit (§. 95.), adeoque id ipſa acceptatione extinguitur (§. 97.). Quodſi ergo promiſſarius promiſſum pœnale acceptet, reus promittendi non amplius tenetur ad id, quod intereſt. *Quod erat alterum.*

§. 610.

Quando promiſſor facti alieni

Si tibi promitto factum alienum &, ſi tertius non fecerit, me ipſum tibi quid daturum, vel facturum; ſi tertius non fecerit, nonniſi id dare vel facere teneor, quod me præſtiturum promiſi, nulla habita diligentiæ vel negligentiæ in facto alieno obtinendo

Digitized by Google

nendo rationem. Si enim tibi promitto Titium daturum vel facturum, quod ſi non dederit, me ipſum tibi quid daturum vel facturum; evidens eſt, me non velle eſſe obligatum ad omnem diligentiam in facto alieno obtinendo adhibendam, ſed in meo arbitrio poſitum eſſe volo, qualem adhibere velim, immo an ullam mihi adhibere placuerit. Quoniam itaque acceptatione tua ultra voluntatem ſuam promiſſorem tibi obligare non vales ad quid dandum, vel faciendum (§. 382.); nec is tibi in hypotheſi propoſitionis obligatur ad omnem diligentiam, quam in facto alieno obtinendo collocare poteſt, conſequenter nec tenetur ad id, quod intereſt, ſi tertius non fecerit, quod ipſum facturum promiſerat (§. 604.). Quoniam vero tibi obligatur ad præſtandum promiſſum proprium, ſi tertius non fecerit (§. 605.); hoc ipſum reus promittendi tibi præſtare tenetur, ubi tertius non fecerit, quod ipſum facturum promiſerat, nulla habita ratione diligentiæ, vel negligentiæ in facto alieno obtinendo. *non obligetur ad omnem diligentiam in facto alieno obtinendo collocandam.*

Hinc patet, quænam differentia intercedat, quando factum alienum promittens aliquid de ſuo promittit, illo non obtento, & quando idem promittit in eodem caſu pœnæ nomine. Nimirum quando quid non promittitur pœnæ nomine, id præſtandum eſt, ſive omnem diligentiam in facto alieno obtinendo collocaveris, ſive nullam; quando vero quid promittitur pœnæ nomine, id dandum non eſt, niſi ubi in facto alieno obtinendo te negligentem præbueris, ſiquidem tertius non fecerit, quod ipſum facturum promiſeras. Adeſt etiam hæc differentia. Si quid pœnæ nomine promittitur, ea motivum eſt nil eorum omittendi, quæ ad obtinendum factum tertii requiruntur; ſi vero pœnæ nomine non promittitur, factum proprium tale motivum eſſe nequit: quin potius in eo caſu libertatem faciendi, quid velis, aut pro re nata conſultum viſum fuerit, tibi reſervas. Ex. gr. Dico: colloquar cum Titio, dabit tibi quatuor aureos. Si non dederit, ego tibi duos dabo. Hic me non obligo ad omnem dandam operam, ut Titius tibi det quatuor, & niſi operam dederim, ut ego tibi duos dare tenear. Sed promiſſio mere liberalis eſt, quæ tanquam conditionem ſupponit, ſi Titius non dederit quatuor. Pœna reſpicere debet factum proprium, non alienum (§. 1084. *part. 1. Jur. nat*): niſi quis ad alienum, quod pœnam meretur (§. 1085. 1686. *part. 1. Jur. nat*). concurrat, pœnæ communicationi locus non eſt (§. 1082. *part. 1. Jur. nat*). Quamobrem hic non teneris ad id, quod intereſt, ſi Titius non dederit; teneris tamen dare duos, quos proprio nomine promiſiſti conditionate, aureos, quamcumque adhibueris diligentiam, ut Titium ad dandum quatuor permoveres. Ceterum hunc caſum eſſe dabilem, immo altero, quo pœnæ nomine quid promittitur, frequentiorem, ipſa experientia loquitur.

§. 611.

Si promittis te mihi facturum & promiſſioni pœnam adjicis; ubi non feceris, quod pœnæ nomine promiſiſti, dare debes. Etenim ſi reus promittendi pœnam adjicit promiſſioni, niſi fecerit, quod ſe facturum promiſit; hoc ipſo declarat, quod, niſi fecerit, ſe tibi hoc daturum eſſe (§. 606.), conſequenter ſi non fecerit, non obligatus eſſe vult niſi ad hoc dandum. Quoniam itaque promiſſarius acceptatione ſua ultra voluntatem ſuam promiſſorem ſibi obligare nequit (§ 382.); ubi non fecerit, quod ſe facturum promiſit, dare non tenetur, niſi quod pœnæ nomine promiſit. *Effectus promiſſionis pœnalis facti proprii.*

§. 612.

Si quis promittit, ſe tibi quid facturum, & non fecerit, tu vero inde damnum aliquod paſſus, id reſarcire tenetur, ſeu ad id tenetur, quod intereſt. Oſtenditur eodem prorſus modo, quo ſupra oſtendimus promiſſorem facti alieni teneri ad id, quod intereſt, ſi fuerit negligens in eo obtinendo (§. 604.). *Quando promiſſor facti proprii teneatur ad id, quod intereſt.*

Quoniam plerumque in incerto eſt, quantum interſit, ſi promiſſor facti proprii non ſteterit promiſſo, ne quantitas ejus, quod debetur, incerta ſit, promiſſioni facti proprii pœnam adjici conſultum eſt, præſertim ſi tua refert, ut certo tempore fiat, ad quod faciendum reus promittendi ſeſe obligavit. Ita nimirum in ſtatu naturali evitantur bella (§. 408.), in civili lites non redduntur difficiles, quatenus probatu difficile, quantum interſit. Quamobrem etiam Imperator § 7. I. de V. O. optimum eſſe judicat, ut ſi ſtipulemur aliquid fieri, vel non

Digitized by Google

fieri, pœna ſubjiciatur; ne quantitas ſtipulationis in incerto ſit. Ex. gr. Si architectus domum intra annum non ædificaverit, & tu ſis mercator, nec habeas commoditatem exponendi merces tuas, cum hic damnum, quod pateris ſit lucrum ceſſans, incertum vero ſit, quantum lucrari potueris, id, quod intereſt, in incerto eſt. Supponimus & hic, quemadmodum in anterioribus, lucrum ceſſans eſſe damnum, prouti & vulgo habetur, & in communi ſermone damnum pati ſe dicit; is; cujus lucrum ceſſat! Quamobrem & teneri ad id quod intereſt & damnum datum reſarcire, a ſe invicem non diſtinximus. Quodſi vero quis ſine probatione admittere nolit, lucrum ceſſans recte ad damnum referri; id oſtendere lubet, ne quicquam dubii circa demonſtrationes anteriores aliaſque ſubſecuturas ſupereſſe poſſit iis, qui jure Romano animum habent imbutum.

§. 613.

Lucrum quid dicatur. *Lucrum* dicitur res, quæ bonis noſtris ſuperaccedit, iiſdem non deminutis. Quamobrem cum locupletiores fiamus, quando res quædam bonis noſtris ſuperaccedit, iiſdem non deminutis, (§. 582. *part. 2. Jur. nat.*), *lucro efficimur locupletiores*. Unde etiam *Lucrum* definiri poterat, quod ſit res, qua fimus locupletiores.

Ex gr. Mercator vendit mercem, quam emerat pretio duorum aureorum, tribus aureis. Unus ergo aureus ſuperaccedit bonis ejus, nec ut accederet, bona erant diminuenda: lucrum igitur eſt unus aureus. Similiter patet, eum uno aureo fieri locupletiorem, cum tantundem nunc plus habeat, quam habuerat ante (§. 582. *part. 2. Jur. nat.*). Et hinc denuo intelligitur, lucrum eſſe unum aureum, ac ideo aureum unum lucratus etiam dicitur.

§. 614.

Lucrum quando ceſſet. *Lucrum ceſſare* dicitur, ſi, quando id obtinere poteramus, impedimur, quo minus obtineamus.

Ex. gr. Si opera tua quid lucrari poteras; morbo autem impediris, quo minus hoc fiat; lucrum ceſſat. Similiter ſi mercator impeditur, quo minus merces ſuas in loco commodo exponere poſſit, conſequenter quo minus lucretur, quod eas vendendo lucrari poterat, lucrum ceſſat. Non abhorrent hæc a recepto loquendi uſu, quod nemo non advertere poteſt, modo ad circumſtantias animum attendere velit; quando de lucro ſermo ſit.

§. 615.

Certum & incertum quando ſit lucrum. *Lucrum* dicitur *certum*, quando certo conſtat, nos id obtinere poſſe; ſeu obtenturos eſſe. *Incertum* vero, quando certo non conſtat, nos id obtinere poſſe, ſeu obtenturos eſſe. *Quantitas* vero *lucri incerta* eſt, ſi quidem ſatis conſtet, nos lucrum aliquod obtenturos eſſe, vel obtinere poſſe, non tamen ſatis, conſtat, quanti id ſit.

Ex gr. Si mercator in loco commodo merces vendibiles exponere poteſt, dubio caret, quod quaſdam ſit venditurus, adeoque eas vendendo aliquid lucraturus. Lucrum adeo ejus certum eſt. Enimvero cum non certo conſtet, quot ſuarum mercium & quaſnam ſit venditurus intra certum tempus; quantum ſit lucraturus, dici non poteſt. Quantitas adeo lucri incerta eſt. Enimvero ſi certo non conſtet, an hodie merces quaſdam ſit venditurus, conſequenter quid lucraturus, lucrum quoque hodiernum incertum eſt.

§. 616.

Quale lucrum ceſſet. *Si lucrum ceſſare debet, neceſſe eſt ut certum fuerit, etſi ejus quantitas fuerit incerta.* Quando enim lucrum ceſſare debet, neceſſe eſt impediamur, quo minus obtineamus, quod alias obtinere potuiſſemus (§. 614.), conſequenter certo conſtare

ſtare debet, nos lucrum iſtud obtenturos fuiſſe, niſi impediti fuiſſemus, quo minus obtineremus. Enimvero quando certo conſtat, nos lucrum aliquod obtinere poſſe, id certum eſt (§. 615.). Quamobrem ſi lucrum ceſſare debet, neceſſe eſt, ut certum fuerit. *Quod erat unum.*

Certum vero eſſe poteſt lucrum, etiamſi ejus quantitas incerta ſit (§. 615.). Quamobrem cum lucrum ceſſet, quod certum erat *per demonſtrata;* idem etiam ceſſabit, etſi ejus quantitas incerta ſit. *Quod erat alterum.*

Ita in exemplo mercatoris, qui merces ſuas in loco commodo exponere impeditur certum eſt, eum quaſdam vendituru, adeoque aliquid lucraturum fuiſſe, etſi non conſtet, quantum fuiſſet hoc lucrum. Ceſſat igitur ejus lucrum, etſi hujus quantitas incerta ſit.

§. 617.

Quoniam lucrum certum ſit neceſſe eſt, quod ceſſare debet (§. 616.); *lucrum minime ceſſat, quod incertum eſt* (§. 615.), adeoque *multo minus, quod obtineri non poſſe ſatis conſtat.* *Quando non ceſſet.*

Aliud nimirum eſt carere lucro; quod habent alii, vel quod tu habere malles, vel etiam non tantum lucrari, quantum lucrantur alii, aut tu lucrari malles; aliud vero ceſſare lucrum. Ex. gr. Si Medicus vendendo medicamenta arcana tantundem lucrari nequit, quantum lucrator alius, vel nulla habet, quæ vendere poſſit; lucrum ceſſare minime dicendum. Aſt ſi quis alius, qui quotannis vendendo medicamenta ſuæ compoſitionis multum lucratur, impeditur, quo minus ea præparare poſſit, vel præparata vendere prohibetur; tum omnino lucrum ceſſat. Ita ſi opera tua lucrari quid poteras, nemo autem fuerit, qui eam conducere velit; lucrum non ceſſat, ſed nihil lucrari potes. Aſt ſi adfuerint, qui operam tuam conducere velint, tu vero impediris, quo minus eam locare poſſis, ceſſabit utique lucrum tuum.

§. 618.

Lucrum certum eſt res in dominio noſtro extitura. Lucrum enim eſt res, quæ bonis noſtris, adeoque rebus in dominio noſtro exiſtentibus (§. 448. *part. 2. Jur. nat.*), ſuperaccedit. Quodſi ergo fuerit certum; ea rebus in dominio noſtro exiſtentibus ſuperaccedet (§. 615.), conſequenter in dominio noſtro extitura eſt. *Qualis res ſit lucrum certum.*

Lucrum, antequam fuerit obtentum, bonis noſtris annumerari non poteſt, nec ideo eſt res, quæ actu in dominio noſtro exiſtit. Quatenus vero certo conſtat, nos idem obtenturos, eatenus etiam certum eſt, rem aliquam in dominio noſtro exituram. Ita ſi certum eſt, me lucraturum centum aureos; certum quoque eſt, centum aureos in dominio meo extituros.

§. 619.

Quoniam noſtra eſt res, quæ in dominio noſtro exiſtit (§. 124. *part. 2. Jur. nat.*), lucrum vero certum res eſt in dominio noſtro extitura (§. 607.); *lucrum certum eſt res, quam noſtram futuram certo novimus.* *Idem porro expenditur.*

Ita in exemplo paulo ante dato, centum aureos, quos me lucraturum certum eſt, meos fore certum eſt.

§. 620.

Qui impedit, quo minus lucrum alias certum obtineas; is impedit, quo minus res tua fiat, quæ alias tua futura erat. Etenim lucrum certum eſt res, quam tuam fore certo noſti (§. 619.). Quamobrem qui impedit, quo minus lucrum alias certum obtineas; is omnino impedit, quo minus res tua fiat, quæ alias tua futura erat. *Effectus impedimenti lucri certi.*

§. 621.

Ceſſans lucrum num æquiparetur damno.

Qui lucrum tuum ceſſare facit, damnum tibi dare cenſendus eſt. Etenim qui lucrum tuum ceſſare facit, is impedit, quo minus idem obtineas, cum alias obtinere potuiſſes (§. 614.), conſequenter impedit, quo minus lucrum alias certum obtineas (§. 615.). Enimvero qui impedit, quo minus lucrum certum alias obtineas, is impedit, quo minus res tua fiat, quæ alias tua futura erat (§. 620.), conſequenter eandem abſque voluntate tua, quod per ſe patet, poteſtati tuæ ita ſubducit, ut ea tua fieri minime poſſit (§. 726. *Ontol.*). Jacturam ſui facit, ſi res quædam ſua ejus poteſtati ita ſubducitur abſque voluntate ſua, ut eam nunquam recuperare poſſit (§. 487. *part. 2. Jur. nat.*), atque adeo jacturam rei, quæ ſua futura erat, feciſſe dicendus eſt, ſi ea poteſtati ipſius ita ſubducitur, ut ipſius fieri minime poſſit. Quamobrem cum damnum det, qui facto quodam ſuo, vel etiam non facto in cauſa eſt, ut jacturam tui facias (§. 488. *p. 2. Jur. nat.*); damnum omnino dare dicendus eſt, qui lucrum tuum ceſſare facit.

Videmus itaque lucrum ceſſans recte æquiparari damno, atque adeo ſub hoc comprehendi poſſe, ut adeo, quæ de damno dato demonſtrata fuerunt, ad lucrum etiam ceſſans applicari queant, neque opus ſit, ut de hoc ea ſeorſim demonſtrentur. In ipſis nimirum demonſtrationibus propoſitione præſente tanquam principio uti poteramus, vi principii reductionis reducendo lucrum ceſſans ad damnum datum. Quamobrem abunde ſufficit æquipollentiam damni dati & lucri ceſſantis a nobis fuiſſe evictam; cum nemo non ultro de damno ſibi dato conqueratur, ſi quis effecerit, ut lucrum ejus ceſſet, manifeſto indicio quod lucrum ceſſans damno dato æquiparetur. Poteramus itaque uſu communi loquendi non invito definitionem damni ad lucrum ceſſans aperte extendere, ſcilicet quod ſit jactura ejus, quod noſtrum eſt, vel noſtrum eſſe poterat, niſi aliter conſultius viſum fuiſſet.

§. 622.

Quidnam ſit id quod intereſt.

Damnum emergens & lucrum ceſſans communi nomine appellantur *id, quod intereſt.*

Notandum vero eſt, ad lucrum ceſſans etiam referri, ſi qua alia ſunt nobis utilia vel jucunda, quæ, quatenus æſtimationem recipiunt, in lucro ponuntur, iiſdem vero carere cogimur, veluti ſi privemur voluptate ex re ob affectionem ſingularem percipienda.

§. 623.

Quando teneamur ad id quod intereſt.

Si ob factum quoddam tuum, vel non factum, ſive doloſum, ſive culpoſum alter damnum quoddam incurrat, aut lucrum quoddam ejus ceſſet; ad id, quod intereſt, teneris. Etenim ſi ob factum quoddam tuum, vel non factum, ſive doloſum, ſive culpoſum alter damnum incurrat; damnum ipſi datur dolo tuo, vel culpa tua, quod per ſe patet. Damnum igitur, quod alter ob factum, vel non factum tuum incurrit, reſarciendum eſt (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*). Quodſi ob idem factum lucrum quoddam alterius ceſſet, cum damnum tibi dare cenſendus ſit, qui lucrum tuum ceſſare facit (§. 621.), damnum vero dolo, vel culpa datum reſarciendum ſit (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*), quicquid etiam hujus damni eſt, reſarciendum, conſequenter tantundem reſtituendum, quantum valet res, quam habere poterat, niſi a te impeditus fuiſſet (§. 572. *part. 2. Jur. nat.* & §. 614. 613. *huj.*). Teneris adeo alteri non minus de lucro ceſſante, quam damno emergente. Quamobrem cum damnum emergens & lucrum ceſſans ſint id, quod intereſt (§. 622.); ſi ob factum quoddam tuum, ſive doloſum, ſive culpoſum, alter damnum quoddam incurrat, vel lucrum quoddam ejus ceſſet, ad id, quod intereſt, teneris.

Atque adeo ſufficienter oſtendimus, ex eo, quod ad damnum datum reſarciendum teneamur,

Digitized by Google

mur, nos etiam teneri de lucro ceſſante, conſequenter damnum reſarcire idem eſſe ac præſtare id, quod intereſt. Modo principio reductionis rite uti noveris, multa ſtatim patent, quæ alias difficulter percipiuntur. Ne tamen ſcrupuloſioribus dubium quoddam adhuc ſuperſit, quædam adhuc monenda ſunt. In demonſtranda obligatione damnum datum reſarciendi ſuppoſuimus (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*), alterum non minus habere, quam habere debebat (§. 579. *part. 2. Jur. nat.*): id quod contingit ei, qui damnum patitur (§. 573. *p. 2. Jur. nat.*). Aſt ſi lucrum ceſſat, minus habes, quam habere poteras (§. 614.). Enimvero ſi concedere nolis, eum minus habere quam habere debeat, qui non habet, quod habere poterat, facillime demonſtrare poſſumus, non minus nos obligatos eſſe ad non efficiendum, ne quis minus habeat, quam habere poterat, quam oſtendimus non eſſe efficiendum, ut quis minus habeat, quam habere debebat (§. 579. *part. 2. Jur. nat.*): quem in finem addere lubet propoſitionem ſequentem.

§. 624.

Obligatio non impediendi, ne alter plus habeat, quam nunc habet.

Nemo efficere debet, ut alter minus habeat, quam habere poterat. Nemo alterum impedire debet, quo minus conſequatur aliquod bonum animi, corporis ac fortunæ (§. 696. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum minus habeat, quam habere poterat, qui carere debet bono quodam animi, corporis ac fortunæ, quod conſequi poterat; nemo efficere debet, ut alter minus habeat, quam habere poterat.

Videmus adeo, quod in omni ſua latitudine per modum corollarii inferri poſſit obligatio non efficiendi, ut alter minus habeat, quam habere poterat: neque enim præter bona animi, corporis ac fortunæ dantur alia, quæ homo habere poteſt. Poſſunt autem & animi, & corporis bona, immo etiam bona fortunæ, quæ a rebus corporalibus in dominio exiſtentibus differunt, veluti honor, certo pretio æſtimari: quemadmodum dudum agnovere JCti Romani & ex iis, quæ ſuo loco de pretio rerum demonſtraturi ſumus, clarius eluceſcet. Et hoc reſpectu ad lucrum ceſſans refertur carentia cujuſtis boni ſive animi, ſive corporis, ſive fortunæ, quod conſequi poteramus, quo minus autem conſequamur, impedimur. Ceterum ex principio hoc generali, lucri ceſſantis ad damnum non facta reductione (§. 621.), in omni ſua latitudine abſque ulla fictione in inveniendo & demonſtrando conceſſa ac utiliter adhibita demonſtrari poteſt, quemlibet alteri teneri ad id, quod intereſt ex facto ſuo, & non facto, ſi ad illud omittendum, hoc autem committendum obligatur. Neque enim exiſtimandum eſt, uno tantum modo demonſtrari poſſe, quæ vera ſunt, & nonniſi unicam eſſe viam, quæ ad veritatem latentem ducit. Ne vero aſfirmaſſe videamur, quod fieri minime poſſit, ſequentia addere lubet.

§. 625.

Quid ſit teneri ad id, quod intereſt.

Ad id, quod intereſt, teneri dicitur, qui obligatur alterum reſtituere in eum ſtatum, quo perinde eſt, ac ſi ipſe feciſſet, vel etiam dediſſet, quod non fecit, vel non dedit, aut, ſi non feciſſet, vel etiam non dediſſet, quod fecit, vel dedit.

Ex. gr. Promitto ædificare domum tuam intra annum. Si non fecero, tu conducendo ædes alienas, locarium ſolvere teneris, vel, ſi fueris mercator, deſtitueris loco commodo merces tuas exponendo, adeoque cares lucro, quod habere poteras, ſiquidem merces tuas vendere potuiſſes. Quodſi ergo ego teneor ad id, quod intereſt, te reſtituere debeo in eum ſtatum, qui futurus erat, ſiquidem domum tuam intra annum ædificaſſem, adeoque in caſu priori reſtituendum eſt locarium, in caſu poſteriori dandum, quanti æſtimatur lucrum, quod habere poteras. Similiter ſi tibi vulnus inflixi, impenſas illi ſanando facere ac dolores pati cogeris. Quodſi ergo ego teneor ad id, quod intereſt, in eum ſtatum reſtituendus, qui futurus erat, ſi vulnus nullum tibi inflictum fuiſſet, conſequenter non ſolum reſtituendæ ſunt impenſæ, ſed dolorum etiam perpeſſio æſtimanda, & quanti valent tibi dandum, ut jam taceamus alia, quæ non minus æſtimationem recipiunt, & quibus carere debes. Quodſi ex contractu tibi dare debeam futuris nundinis quadraginta aureos, ego vero non dederim, ac tu propterea mutuo ſumere coactus fueris pecuniam & uſuras ſolvere; has ego tibi reſtituere teneor, ſi teneor ad id quod intereſt. Exempla hæc abunde loquuntur, nos phraſin non accipere in ſignificatu a Jure Romano alieno.

§. 616.

§. 626.

Quando tenemur ad id quod intereſt.

Si quis minus habet, quam habere debet, vel poterat; propterea quod tu obligationi tuæ non ſatisfeciſti; ad id, quod intereſt, teneris. Nemo enim dolo, vel culpa ſua efficere debet, ut alter minus habeat, quam habere debet (§. 579. *part.* 2. *Jur. nat.*), neque etiam ut minus habeat, quam habere poterat (§. 624.). Quodſi ergo hoc effecerit, cum factum infectum fieri non poſſit, eum reſtituere tenetur in eum ſtatum, quo perinde eſt, ac ſi hoc non effeciſſet, conſequenter ad id, quod intereſt, tenetur (§. 625.). Quamobrem cum tu effeceris dolo, vel culpa tua ut alter minus habeat, quam habere debet, vel poterat, quia obligationi tuæ ſciens ac volens, vel ex negligentia non ſatisfeciſti (§. 705. 758. *part.* 1. *Phil pract. univ.*), ad id, quod intereſt, teneris, ſi quis minus habet, quam habere debet, vel poterat, propterea quod obligationi tuæ non ſatisfeciſti.

Non piget propoſitionem hanc demonſtraſſe, qua in præſenti opus non erat, prouti ex anterioribus intelligitur: utemur enim ea in aliis facilius demonſtrandis, immo etiam clarius. Et, ſi cui volupe fuerit, is ad propoſitiones quoque anteriores demonſtrandas eam transferre poteſt, in quibus de damno reſarciendo ſermo eſt. Ceterum quod alibi de reſarciendo damno annotavimus (*not.* §. 580. *p.* 2. *Jur nat.*), idem etiam de obligatione ad id, quod intereſt, ab illo juxta anteriora non diverſa tenendum. In Jure naturæ multo latius ea patet, quam in Jure civili, cum ad res omnes tam corporales, quam incorporales extendatur, quæ homo habere debet, vel habere licite poteſt, & ad omnem culpam ejus, qui obligationi ſuæ cuicunque non ſatisfacit.

§. 627.

Quando promiſſor tenetur ad id, quod intereſt.

Si promiſſarius minus habet, quam habere debet, vel poterat, propterea quod promiſſor non adimplevit promiſſionem; hic tenetur ad id, quod intereſt. Quoniam enim promiſſa ſunt ſervanda (§. 431.), ſi promiſſor non implevit promiſſionem & propterea promiſſarius minus habet, quam habere debet, vel poterat, ideo minus habet, quia ille obligationi ſuæ non ſatisfecit. Enimvero ſi quis minus habet, quam habere debebat, vel poterat, quod tu obligationi tuæ non ſatisfeciſti, tu ad id, quod intereſt teneris (§. 625.). Quamobrem ſi promiſſarius minus habet, quam habere debebat, vel poterat, propterea quod tu promiſſionem non adimpleviſti; ad id, quod intereſt, teneris.

Quomodo vero intelligatur in caſu dato, quidnam interſit promiſſarii, ex iis conſtare poteſt, quæ ſupra (*not.* §. 624.), annotavimus. Jure nimirum naturali id, quod intereſt, multo latius patet, quam jure civili, & latiſſime patentia rationem habere jubet honeſtas, quoties de promiſſione adimplenda cogitatio animum ſubit.

§. 628.

Effectus lucri ceſſantis.

Si lucrum tuum ceſſat, minus habes, quam habere poteras. Etenim ſi lucrum tuum ceſſat, impediris, quo minus id obtineas, quod alias obtinere poteras (§. 614.). Minus ergo habes, quam habere poteras.

Patet abunde ex ſuperiori exemplo mercatoris, qui merces ſuas in loco commodo exponere impeditur (*not.* §. 614.).

§. 629.

Obligatio ad id, quod intereſt, quo-

Si quis damnum incurrit, vel lucrum ejus ceſſat, propterea quod obligationi tuæ non ſatisfeciſti; ad id quod intereſt teneris. Quodſi enim quis damnum incurrit, vel

Digitized by Google

vel patitur, minus habet, quam habere debebat (§. 573. *part. 2. Jur. nat.*), & ſi lucrum ejus ceſſat, minus habet, quam habere poterat (§. 628.). Enimvero ſi quis minus habet, quam habere debet, vel poterat, propterea quod tu obligationi tuæ non ſatisfeciſti, ad id, quod intereſt, teneris (§. 626.). Teneris adeo ad id, quod intereſt, ſi quis damnum incurrit, vel lucrum ejus ceſſat, propterea quod obligationi tuæ non ſatisfeciſti. *modo contrahatur.*

§. 630.

Quando ea contrahatur a promiſſore.

Quamobrem cum promiſſor promiſſum ſervare debeat (§. 431.), adeoque obligationi ſuæ non ſatisfacit, ſi non ſervet; *ſi promiſſarius damnum incurrit, vel lucrum ejus ceſſat promiſſione non adimpleta, promiſſor ad id, quod intereſt, tenetur.*

Puto nos jam abunde ſatisfeciſſe iis, qui ex eo, quod quis obligatus ſit ad damnum reſarciendum, inferre nolunt, quod teneatur etiam ad lucrum ceſſans reparandum, conſequenter ad id quod intereſt (§. 622.), nec difficile erit judicare, quantus ſit Juris naturæ ac Romani conſenſus, etiam iis, qui verba magis, quam mentem legum inſpiciunt, nec conſenſum in re perſpicere valent, ut in verbis apparet diſſenſus. Ceterum ex anterioribus abunde etiam liquet, eorundem verborum multo latiorem eſſe ſignificatum in Jure naturæ, quam in Jure Romano, cum hic damnum ad jacturam boni omnis, ſive animi, ſive corporis, ſive fortunæ; quod nobis actu erat, lucrum autem ceſſans ad omnis boni carentiam, quod habere poteramus, niſi ab altero impediti fuiſſemus, extendatur. Nec ingratam operam hac digreſſione nos præſtitiſſe confidimus tam iis, qui veritatis indagandæ ac demonſtrandæ & ſententiarum conciliandarum ſtudio tenentur, quam illis, qui Jus Romanum intimius perſpicere, ejus cum jure naturæ conſenſum & diſſenſum ab eodem ſcrutari, aut ſyſtema Juris civilis condere in animum induxerunt. Sed redeamus ex diverticulo in viam.

§. 631.

Quid ſequatur, ſi quis non curet, num modus adimpleatur, vel quod non fuerit adimpletus.

Si modo non adimpleto ſufficienter declares nolle te, ut promiſſarius reſtituat, quod ex promiſſione modali conſecutus, vel etiam antequam adimpleri poterat, ut reſtituatur ab altero, quod ad certum finem eidem dediſti; promiſſarius vel debitor ab obligatione ſua liberatur, & jus tuum extinguitur. Etenim ſi promiſſarius modum non adimplevit, quod ex promiſſione modali conſecutus, tibi reſtituere tenetur, & promiſſione modali impleta, idem modum adimplere tenetur (§. 562.). Quodſi ergo modo non adimpleto, vel etiam antequam adimpleri poterat, ſufficienter declares, nolle te ut, quod ex promiſſione modali conſecutus, reſtituat; omnino declaras, nolle te ut is tibi præſtet, ad quod præſtandum obligatus, conſequenter jus tuum remittis (§. 95.). Enimvero quando jus tuum remittis, debitor ab obligatione ſua liberatur & jus tuum extinguitur (§. 97.). Quare ſi modo non adimpleto, vel etiam antequam adimpleri poterat, ſufficienter declares nolle te, ut promiſſarius reſtituat, quod ex promiſſione modali conſecutus; ab obligatione ſua liberatur & jus tuum extinguitur. *Quod erat unum.*

Similiter ſi quid tibi datur ob certum finem, ſcilicet ut hoc facias, tu ad hoc faciendum, adeoque ad modum implendum (§. 558.), obligaris (§. 556.). Unde porro eodem prorſus, quo ante, modo oſtenditur, ſi modo non adimpleto, vel etiam antequam adimpleri poterat, ſufficienter declares, nolle te ut alter tibi id reſtituat, quod ad certum finem ipſi dediſti; ab obligatione ſua eum liberari & jus tuum extingui. *Quod erat alterum.*

Nimirum ſi modus non fuerit impletus, nec impleri adhuc poſſit, reus debendi liberatur a reſtitutione ejus, quod accepit, & jus tuum reſtitutionem exigendi & ad eandem ipſum cogendi niſi reſtituere voluerit, extinguitur: ſi vero modus nondum impleri potuit, tu reum debendi liberas ab obligatione eum implendi, & jus tuum urgendi impletionem cum jure exigendi reſtitutionem, ubi implere noluerit, extinguitur. Te autem jus tuum remittere in hypotheſi propoſitionis præſentis poſſe, indubium eſt (§. 117.).

§. 632.

Digitized by Google

§. 632.

Quomodo quis liberetur ab obligatione præſtandi id, quod intereſt.

Si tu damnum quoddam patiaris, vel lucrum quoddam tuum ceſſet, propterea quod alter obligationi ſuæ non ſatisfecerit, veluti quod non ſervaverit promiſſa, ſufficienter autem declares nolle te ut teneatur ad id, quod intereſt; hic quidem ab obligatione ſua liberatur, jus vero tuum extinguitur. Etenim in hypotheſi propoſitionis præſentis qui obligationi ſuæ non ſatisfecit veluti qui promiſſa non ſervavit, ad id quod intereſt tenetur (§. 629. 630.). Eodem igitur modo, quo in propoſitione præcedente (§. 631.), porro oſtenditur, eum ab obligatione ſua liberari & jus tuum extingui.

Nimirum extinguitur jus exigendi id, quod intereſt, ſeu ut damnum datum & lucrum ceſſans, quod eidem æquiparandum (§. 621.), reparetur, & obligatio præſtandi id, quod intereſt, tollitur: quodſi vero alia adhuc reſtet obligatio, ea ſubſiſtit. Neque enim hic ſermo eſt niſi de eo, quod intereſt, quando obligationi non ſatisfactum, vel non ſatisfactum eo tempore, quo fieri debebat.

§. 633.

Promiſſio ejus, quod impoſſibile, num valeat.

Promiſſio ejus, quod impoſſibile, invalida eſt. Quoniam enim ad impoſſibile nulla datur obligatio (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*); nec qui promittendo alteri ſeſe obligare vult (§. 363.), ad id, quod impoſſibile eſt, ſeſe obligare valet. Promiſſio itaque ejus, quod impoſſibile, invalida eſt.

Homines ſeſe promittendo ſibi invicem obligare non poſſunt, niſi ad dandum, vel faciendum (§. 358.). Sive igitur impoſſibile ſit, ut alteri des, quod te daturum promittis; ſive impoſſibile ſit, ut facias, quod te facturum promittis; promiſſio invalida eſt.

§. 634.

Promiſſio rei, quæ in rerum natura exiſtere nequit, qualis.

Quoniam adeo impoſſibile eſt, ut alteri des, quod in rerum natura non eſt, nec eſſe poteſt; *promiſſio rei, quæ nec in rerum natura eſt, nec eſſe poteſt, invalida eſt* (§. 633.).

Huc refert Imperator §. 5. I. de inutil. ſtip. Hippocentaurum hoc eſt, ſemihominem & ſemiequum, qui fingi quidem, ſed in rerum natura extare nequit, niſi intelligatur de ſtatuis, vel picturis, de quis hic non eſſe ſermonem, per ſe patet.

§. 635.

Promiſſio rei, quam non amplius habes, num ſit valida.

Similiter cum impoſſibile ſit, ut alteri des, quod non amplius habes, cum te adhuc habere putes, vel quod interiit, cum id interiiſſe tibi nondum conſtet; *promiſſio ejus, quod nos adhuc habere putamus, ſed non amplius habemus, aut quod interiiſſe nondum novimus, invalida eſt* (§. 633.).

Non eſt, quod excipias, præſtari poſſe æſtimationem, quemadmodum fit, ſi damnum dedcur, vel lucrum ceſſet, conſequenter reum promittendi teneri ad id, quod intereſt (§. 622.). Error enim dedit promiſſioni cauſam, cum eam non promiſſurus fuiſſes, ſiquidem conſtitiſſet, te rem amplius non habere, vel eam interiiſſe (§. 504.): valida vero non eſt promiſſio, cui error cauſam dat (§. 569.). Quamobrem cum ex hac promiſſione nihil conſequi poſſis, nec jacturam ejus, quod jam tuum erat; nec ejus, quod tuum fieri poterat, facis, adeoque nec damnum dici poteſt, carentia ejus, quod tibi fuerat promiſſum (§. 486. *part. 2. Jur. nat.*), nec ideo lucrum tuum ceſſat, quod non conſequaris rem tibi promiſſam (§. 614.). Nulla igitur ratio eſt, cur ad præſtandum æſtimationem, ſive intereſſe teneri debeat promiſſor (§. 632.).

§. 636.

§. 636.

Promiſſio facti vires noſtras tranſcendentis num ſit valida.

Quoniam etiam impoſſibile eſt, ut facias, quod vires tuas tranſcendit; *promiſſio facti, quod vires tuas tranſcendit invalida eſt* (§. 634.).

Sæpe homines plus ſperant de viribus ſuis, quam in iis eſt, & ſæpe adeſt voluntas, ubi vires deſunt. Immo caſu accidit, ut, dum promittenti ſunt vires ſufficientes ad faciendum, quod ſe facturum promittit, eædem deprehendantur debiliores, quando faciendum, quod fuerat promiſſum. Plures adeo rationes ſunt, cur quis promittat factum, quod vires ſuas tranſcendit. Quodſi excipias factum æſtimari poſſe, adeoque æſtimationem adhuc præſtandam eſſe, eadem hic valent, quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus. Spectandæ autem ſunt vires, qualesſunt eo tempore, quo faciendum, quod promiſſum. Si enim non fuerint eædem, quæ erant tempore promiſſionis factæ, promiſſor per errorem ſuppoſuit, eas fore eaſdem eo tempore, quo promiſſio præſtanda.

§. 637.

An valeat promiſſio rei, quam non habere vel extare novimus.

Si quis promittit rem, quam ſe non amplius habere, aut quam interiiſſe, ſeu non amplius extare novit; promiſſio invalida eſt. Etenim ſi quis promittit, rem, quam ſe non amplius habere, aut quam interiſſe, ſeu non amplius extare novit, ſerio eam tibi dare velle nequit, adeoque deficit in promittendo conſenſus ipſius (§. 658. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum homines ad damnum perfecte ſeſe ſibi invicem obligent mutuo conſenſu (§. 357.); ex promiſſione non ſerio facta nulla oriri poteſt obligatio, conſequenter ea ſtatim invalida eſt.

Non una de cauſa accidit, ut promittamus ei, qui rem quandam ſibi promitti petit, vel ſtipulatur, eandem, etſi noverimus, quod eam non amplius habeamus, aut quod ea non amplius extet, propterea quod vulgo agnoſcitur rei, quam non amplius habemus, vel quæ non amplius extat, promiſſionem eſſe nullam, cum nemo dare poſſit, quod non habet, aut quod non eſt. Exemplo eſſe poteſt ſtipulator, qui pertinacius inſtat, nec a ſtipulando deſiſtere vult, etiamſi alter neget ſe rem iſtam ipſi promittere poſſe. Nonnunquam etiam iſtiuſmodi promiſſio per jocum fieri ſolet: id quod ex circumſtantiis facile colligitur. Qui dicit, ſe tibi dare velle, quod non amplius ſe habere, vel extare novit, adeoque dari non poſſe pro certo tenet, re ipſa negat, ſe tibi id dare velle. Qui enim dicit: Dabo tibi, quod dari non poteſt, revera dicit: Non dabo. E. gr. Si Titio promitto nummum argenteum, & tu interrogas, quid mihi dabis? ego autem reſpondeo: Tibi dabo aureum, qui eſt in arca mea, cum in eadem nullus ſit: nemo non hinc concludet, perinde eſſe ac ſi dixiſſem: Tibi nihil dabo.

§. 638.

Mora quid ſit.

Mora eſt dilatio ejus, quod fieri debet, ultra tempus, quo fieri debebat. Unde *in mora eſſe* dicitur is, qui, quod certo tempore facere debet ac poteſt, eodem non facit. Et *moram non fert*, quod in aliud tempus differri nequit, ſeu ſtatim fieri debet.

Ex. gr. Ego tibi hodie dare debeo decem aureos: quodſi dies totus fuerit præterlapſus, nec ego dederim, in mora ſum. Similiter ſi quod hodie agendum in craſtinum differtur, dilatio in craſtinum mora eſt. Hinc *ſine mora fieri* dicitur quod ſtatim fit, vel eo, quo fieri debet, tempore, immo ante diem. Et *ſine mora ulteriori* fit, quod, etſi dilatum ultra tempus, quo fieri debebat, non differtur diutius. *Moram* vero *indulget*, qui in dilationem ſive tacite, ſive expreſſe conſenſit.

§. 639.

Impedimentum inevitabile, quodnam ſit.

Si tu efficere nullo modo potueris, ne impedimentum ſeſe offerret, ſeu in cauſa non es, cur tibi objiciatur; *impedimentum* dicitur *inevitabile*. Quodſi vero obla-

oblatum tollere minime potes, *inſuperabile* vocatur. Hinc ſimul intelligitur, quodnam ſit *evitabile* ac *ſuperabile*.

Has definitiones ſi attenta mente penſites; fieri poſſe animadvertes, ut impedimentum aliquod ſit inſuperabile; quod erat evitabile, & viciſſim ſuperabile, quod erat inevitabile.

§. 640.

Mora quando agenti imputetur. *Si nullum adſit impedimentum inevitabile ac inſuperabile, vel alterutrum ſaltem obtineat, mora agenti imputatur; ſi tale adſit imputari nequit.* Quodſi enim impedimentum adſit inevitabile, tu efficere non potuiſti, ſeu in cauſa non es, cur tibi objiciatur, & ſi idem fuerit inſuperabile, oblatum tollere in poteſtate tua non eſt (§. 639.). Quamobrem ſi ob tale impedimentum facere non potes, quod certo tempore facere debebas, & eo tempore facturus eras, impedimento non oblato, vel ſublato (§. 726. *Ontol*); a voluntate tua non dependet dilatio ejus, quod nunc fieri debebat, in aliud tempus, conſequenter mora (§. 638.), adeoque mora non dependet a libertate tua (§. 941. *Pſych. empir.*), conſequenter actionibus liberis accenſenda minime venit (§. 12. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque homini non imputantur actiones niſi liberæ (§. 528. *part. 1. Phil pract. univ.*); mora agenti imputari nequit, ſi adfuerit impedimentum inevitabile ac inſuperabile. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi impedimentum fuerit evitabile, tu efficere poteras, ne tibi ſeſe offerret, &, ſi ſuperabile fuerit, tu idem tollere poteras, ubi oblatum fuerat (§. 639.), conſequenter ſi vel utrumque, vel alterutrum fuerit, dilatio ejus, quod nunc faciendum erat, in tempus aliud, adeoque mora (§. 638.), a libertate tua dependet (§. 942. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque mora actionibus liberis in hoc caſu accenſenda venit (§. 12. *part. 1. Phil. pract. univ.*), actiones autem liberæ agenti imputantur (§. 528. *part. 1. Phil. pract. univ.*); mora imputatur agenti, ſi impedimentum, quod ipſi objicitur, fuerit evitabile ac ſuperabile, aut ſi alterutrum horum obtinuerit. *Quod erat alterum.*

Hinc patet ratio, cur eum demum in mora eſſe dicamus, qui ultro differt, quod nunc faciendum erat, cum & facere debuiſſet, ac potuiſſet (§. 638). Quodſi morbus impedit, quo minus facere poſſis, quod nunc faciendum erat, adeoque id in aliud tempus differre cogeris; mora tibi nulla imputari poteſt. Aſt ſi otio indulgere, vel aliis non neceſſariis tempus terere, quam quod faciendum erat, facere malueris; mora omnino tibi imputari poteſt.

§. 641.

Quinam in mora non ſit. *Cui mora imputari nequit, is in mora non eſt.* Cui enim mora imputari nequit; cum actiones imputari nequeant niſi liberæ (§. 528. *part. 1. Phil. pract. univ.*), is non libere differt, quod nunc faciendum erat, in tempus aliud (§. 638.), conſequenter quod differt, tunc facere minime poterat, quamvis maxime vellet (§. 942. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque in mora non eſt, qui facere tunc non poterat, quando debebat, quod in aliud tempus differt (§. 638.); cui mora imputari nequit, is in mora non eſt.

Nemo ad impoſſibile obligatur (§. 209. *p. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter ut faciat, quod facere non eſt in poteſtate ipſius. Quamobrem moraliter pro mora nulla habetur, quæ ab arbitrio agentis minime dependet, qualis omnino eſt, quæ imputari nequit. Ita in mora eſſe dici nequit, qui morbo impeditur, quo minus opus cœptum ſtatuto tempore abſolvat, quo alias idem abſolvere poterat ac abſoluturus erat.

Digitized by Google

§. 642.

Idem ulterius expenditur.

Quoniam mora agenti imputari nequit, ſi ipſi impedimentum inevitabile ac inſuperabile objiciatur (§. 640.), in mora vero eſt, cui eadem imputari nequit (§. 641.); *in mora non eſt, qui ob impedimentum inevitabile ac inſuperabile facere nequit, quod certo tempore facere debebat.*

Si per te non ſteiit, ut impedimentum evitares, vel oblatum tolleres, quod faciendum erat, omittere cogeris, adeoque proprie dici nequit, te differre in aliud tempus, quod nunc faciendum erat, cum dilatio habeatur pro actione libera, conſequenter ſupponat, te jam non velle facere, quod facere poteras. Unde tanto clarius eluceſcit pro mora nulla habendum eſſe, quando quid differendum in tempus aliud, quia nunc fieri minime poteſt. Ita ſi morbo impediris, quo minus nunc facias, quod faciendum erat, etſi alio adhuc tempore fieri poſſit, proprie a te in aliud tempus differri dici nequit, adeoque tanto minus tu in cauſa eſſe potes, cur differendum ſit: quod utique requiritur, ſi tu in mora eſſe debes (§. 638.).

§. 643.

Mora quando ſit culpa.

Quando mora agenti imputari poteſt, culpa eſt. Etenim cum actiones homini non imputentur niſi liberæ (§. 528. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & quatenus liberæ ſunt (§. 532. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); ſi mora agenti imputari poteſt, neceſſe eſt ut libere in aliud tempus diſtulerit, quod nunc fieri debebat (§. 638.), adeoque vel nullum adfuerit impedimentum, quod ne ipſi objiceretur efficere minime potuiſſet, vel quod, quando objiciebatur, tollere non potuiſſet, ſiquidem facultatibus ſuis uti voluiſſet. Patet itaque eum negligentem ſeſe præbuiſſe vel in faciendo, quod fieri debebat, vel in impedimento evitando, vel eodem tollendo (§. 639 *huj.* & §. 750. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque negligentia culpa eſt (§. 758. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quæ ex eadem proficiſcitur mora etiam culpa eſt. Atque adeo patet, moram eſſe culpam, quando agenti imputari poteſt.

Equidem non ignoro, quod vulgo ſimpliciter affirmetur moram eſſe culpæ ſpeciem; non tamen qui affirmant, animum attendunt niſi ad moram, quæ agenti imputari poteſt, non cogitantes de eo caſu, quo ob impedimentum inevitabile ac inſuperabile ea agenti imputari nequit (§ 640.). Ita nemo moram pro ſpecie culpæ hebebit, quæ morbo unice tribuenda, ſeu quando morbus in aliud tempus te differre cogit, quod nunc erat faciendum.

§. 644.

Idem porro expenditur.

Quoniam mora agenti imputatur, ſi nullum adſit impedimentum inevitabile ac inſuperabile (§ 640.), culpa vero eſt, quando ea imputari poteſt (§. 643.); *mora* etiam *culpa eſt, ſi nullum adſit impedimentum inevitabile ac inſuperabile.*

§. 645.

Quando mora culpa non ſit.

Si mora agenti imputari nequit, culpa non eſt. Ponamus enim moram, quæ agenti imputari nequit, eſſe culpam. Quoniam culpa tam in genere, quam in ſpecie ſic dicta agenti imputatur (§. 700. 722. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) mora etiam agenti imputatur, quæ *per hypotheſin* eidem imputari nequit: quod cum ſit abſurdum, mora, quæ agenti imputari nequit, culpa non eſt.

§. 646.

Idem porro expenditur. Quoniam mora agenti imputari nequit, ſi adſit impedimentum inevitabile ac inſuperabile (§. 640.), quando autem imputari nequit, nec culpa eſſe poteſt (§. 645.); *mora culpa non eſt, ſi adſit impedimentum inevitabile ac inſuperabile.*

§. 647.

Cuinam mora imputetur. *Qui in mora eſt, ei mora imputari poteſt; qui non eſt, ei imputari nequit.* Qui enim in mora eſt, is non facit, eo tempore, quo quid facere debet, etiamſi poterat (§. 638.), adeoque quod fieri debet differt ultra tempus, quo fieri debebat. Quoniam itaque hæc dilatio actio libera eſt (§. 12. *part. 1. Phil. pract. univ.*), actiones autem liberæ agenti imputantur (§. 528 *p. 1. Phil. pract. univ.*); mora ei imputatur, qui in mora eſt. *Quod erat unum.*

Quodſi vero quis in mora non fuerit, is eo tempore, quo quid fieri debebat, idem facere non potuit, etiamſi maxime vellet (§. 638.). Dilatio igitur ejus, quod fieri debebat, non dependet a libera ejus voluntate, conſequenter actio libera non eſt (§. 12. *part. 1. Phil pract. univ.*). Quoniam itaque actiones imputari nequeunt, niſi quatenus liberæ ſunt (§. 532. *part 1. Phil. pract. univ.*), nec illa, conſequenter nec mora (§. 638.), imputari poteſt ei, qui in mora non eſt. *Quod erat alterum.*

§. 648.

Quando mora ſit culpa. Quoniam mora culpa eſt, quando agenti imputari poteſt (§. 643.), culpa vero non eſt, quando imputari nequit (§. 645.), imputari autem poteſt ei, qui in mora eſt, aſt non ei, qui in mora non eſt (§. 647.); *ſi quis in mora eſt, mora culpa eſt; ſi in mora non eſt, nec mora culpa eſt.*

Ut adeo conſtet, utrum mora culpa ſit, nec ne, inquirendum eſt, num quis ſit in mora, utrum ipſi imputari queat, an non ſit, ut imputari nequeat. Quamobrem non inconſultum videtur ſequentia addere.

§. 649.

De mora ſe purgare quid ſit. *De mora ſe purgare* dicitur, qui demonſtrat, ſe in mora non eſſe.

Ubi enim probavit ſatis ſe in mora non eſſe, nec mora pro culpa habetur (§. 648.), nec eidem imputatur (§. 647.), adeoque ab ea labe immunis eſt, qua infectus videbatur.

§. 650.

Quomodo de mora quis ſe purget. *De mora ſe purgaturus oſtendere debet, ſe ob impedimentum inevitabile ac inſuperabile facere non potuiſſe, quod certo tempore faciendum erat.* De mora enim ſe purgaturus demonſtrare tenetur, ſe in mora non eſſe (§. 649.). Quoniam itaque in mora non eſt, qui ob impedimentum inevitabile ac inſuperabile facere nequit, quod certo tempore facere debebat (642.); de mora ſe purgaturus oſtendere debet, ſe ob impedimentum inevitabile ac inſuperabile facere non potuiſſe, quod certo tempore faciendum erat.

Quomodo autem oſtendatur, impedimentum fuiſſe inevitabile ac inſuperabile; per definitiones ſupra traditas patet (§. 639.).

§. 651.

§. 651.

Moram non excuſat niſi impedimentum inevitabile ac inſuperabile. Mora enim ideo excuſatur, ne nobis imputetur, conſequenter ne pro culpa habeatur (§. 645.). Enimvero ſi nullum adſit impedimentum inevitabile ac inſuperabile, mora culpa eſt (§. 644.), ſi vero tale adſit, non eſt (§. 646.). Quamobrem patet, moram non excuſare niſi impedimentum inevitabile ac inſuperabile. *Excuſatio moræ unica.*

Atque adeo intelligitur, ſufficienter ſeſe de mora purgaſſe eum (§. 649. 648.), qui oſtendit adfuiſſe impedimentum inevitabile ac inſuperabile, immo nulla ratione alia de mora quemquam ſe purgare poſſe.

§. 652.

Nemo in mora eſſe debet, ſeu in mora eſſe non licet. Quodſi enim quis ad præſtandum nunc obligatus eſt, neceſſe eſt ut nunc præſtet, quod præſtandum (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*), neque adeo ipſi jus eſt præſtationem differendi in aliud tempus pro arbitrio ſuo (§. 156. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum in mora ſit, qui, quod certo tempore præſtare poterat, ac debebat, eodem non præſtat, ſed præſtationem in aliud tempus differt (§. 638.); nemo in mora eſſe debet, ſeu in mora eſſe non licet (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *An liceat eſſe in mora.*

Obligationi adeo ſuæ, qua ad dandum vel faciendum, adeoque præſtandum (§. 80.) alteri tenemur (§. 358.), ſtatim ſatisfaciendum ſine ulla mora.

§. 653.

Cui quid præſtandum, is moram indulgere non tenetur, niſi reus debendi de eadem ſe purgare poſſit. Nemo enim, qui alteri ad quid præſtandum obligatur, in mora eſſe debet (§. 652.), adeoque cum ex obligatione rei debendi tibi naſcatur jus præſtationem eo tempore exigendi, quo ad præſtandum hic tibi obligatur (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*), haud quaquam pati debes, ut reus debendi præſtationem differat in aliud tempus (§. 975. *part. 1. Jur. nat.*). Moram igitur nemo ei indulgere tenetur, qui ad præſtationem quandam ſibi obligatur. *Quod erat unum.* *An moram debitori indulgere teneamur.*

Enimvero quoniam in mora non eſt, qui de mora ſe purgare poteſt (§. 649.), adeoque nullam quoque moram eidem imputare licet (§. 647.); ſi quis de mora ſe purget, ferendum omnino eſt ac permittendum, ut, quod nunc fieri debebat, in aliud tempus differatur, conſequenter mora eidem indulgenda (§. 638.). *Quod erat alterum.*

Injuſtæ adeo ſunt querelæ rei debendi de nimio rigore ejus, qui moram indulgere non vult, ubi de ea ſe purgare nequeunt: neque enim iis locus eſt, niſi quando juſta excuſatio non admittitur, ſeu quando non attenditur impedimentum inevitabile ac inſuperabile (§. 651.), quale quod adfuerit non ſemper probatu facile (§. 639.).

§. 654.

Quoniam is, cui quid præſtandum, *moram* indulgere non tenetur, niſi reus debendi ſe de ea purgare poſſit (§. 653.); *ſi quis indulget, etiamſi reus debendi de ea ſeſe purgare minime poſſit, jus ſuum debitum ſtatim exigendi remittit* (§. 95.). Quamobrem cum quilibet jus ſuum remittere poſſit, quando hac remiſſione *Moram indulgere num liceat.*

nihil

Digitized by Google

nihil ſit contra jus tertii (§. 117.); *moram* quoque *reo debendi indulgere licet, etiamſi de mora ſeſe purgare minime poſſit*.

Non tamen hinc ſequitur, quod prudenter ſemper faciat ac recte, qui reo debendi moram indulget, cum juſtam non habeat excuſationem. Hoc enim a circumſtantiis particularibus pendet, quarum nulla habetur ratio, ubi de jure quæſtio eſt. Poteſt nimirum quis jure ſuo abuti: quod num faciat, ipſius conſcientiæ relinquendum (§. 152. *part. 1. Jur. nat.*), nec imprudenter aut minus recte factum ideo irritum.

§. 655.

Ad quid teneatur qui in mora eſt.

Si quis damnum patitur, vel lucrum ejus ceſſet, propterea quod tu in mora es; ad id, quod intereſt, teneris. Quoniam enim nemo in mora eſſe debet (§. 652.); ſi in mora es, obligationi tuæ non ſatisfacis (§. 120. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero ſi quis damnum incurrit, vel lucrum ejus ceſſat, propterea quod obligationi tuæ non ſatisfacis, ad id, quod intereſt, teneris (§. 629.). Ergo ad id, quod intereſt teneris, ſi quis damnum patitur, vel lucrum ejus ceſſat, propterea quod tu in mora es.

Late admodum patet obligatio naturalis præſtandi intereſſe moræ, quæ cur & quomodo arctioribus limitibus in civitate circumſcribi poſſit, ſuo patebit loco. Ex principio autem generali, quod hic demonſtratur, multa deducuntur particularia ſuo itidem loco inculcanda.

§. 656.

Rei alienæ promiſſio num ſit valida.

Nemo alteri promittere poteſt ſe ipſi daturum rem alienam. Qui enim alteri promittit, ſe ipſi rem alienam daturum; is promittit, quod dare non poteſt (§. 677. *part. 2. Jur. nat.*), conſequenter impoſſibile eſt ut det. Quamobrem cum promiſſio ejus, quod impoſſibile, invalida ſit (§. 633.); promiſſio quoque rei alienæ invalida, eſt conſequenter nemo promittere poteſt ſe alteri daturum rem alienam.

Oſtenditur etiam hoc modo. Quoniam promiſſa ſunt ſervanda (§. 431.), adeoque quod te daturum promittis, dare debes (§. 430.); quod alteri dare non potes, id nec promittere potes. Sed rem alienam alteri dare non potes (§. 677. *p. 2. Jur. nat.*). Ergo nec eandem promittere potes.

E. gr. Titius mihi commodavit librum quendam tuum. Ego tibi promitto, me eum tibi daturum. Promiſſio ſtatim invalida eſt. Nec ego tibi obligor ad eundem dandum, nec tu jus ullum habes eum a me exigendi. Quodſi excipias dari poſſe pretium, aut aliud ejuſdem libri exemplar a promiſſore emtum tibi dari poſſe; facilis eſt reſponſio, hoc in promiſſo non contineri, neque enim ſub hac conditione facta promiſſio, quod aliud exemplar, vel pretium libri dare velit, ſiquidem hunc, quem promittit, librum dare non poſſit.

§. 657.

Quando res nondum ſua promitti poſſit.

Si quis promittit, quod ſuum non eſt, ſuum tamen fieri poteſt, ea de cauſa, quia ſuum fieri poteſt; is obligatur ad dandam operam, ut ſuum fiat, & promiſſio valida eſt. Etenim ſi quis promittit, quod ſuum non eſt, quia ſuum fieri poteſt; cum dare, adeoque ſervare promiſſum (§. 430.), non poſſit, niſi operam det, ut ſuum fiat, ſervare autem promiſſum tenetur (§. 431.), omnino promiſſario ſeſe obligat ad dandam operam, ut, quod ſuum nondum eſt, ſuum fiat. Et quoniam dare poteſt, quod ſe daturum promiſit, quam primum id ſuum factum eſt; promiſſio quin ſit valida dubitari nequit.

Ex. gr. Titius, qui mihi commodavit librum quendam ſuum, eundem mihi vendere vult. Quodſi ergo meus non eſt, meus fieri poteſt. Quodſi ergo tibi promitto hunc librum, quia Titius eum mihi vendere vult; ego eum emere tibique dare teneor. Ex propoſitione autem præſenti patet, certo conſtare debere de voluntate promiſſoria, num ſcilicet ideo tibi librum dare volue-

Digitized by Google

voluerit, quia Titius eum ſibi vendere vult. Tunc enim promiſiſſe cenſendus eſt, ſe librum hunc a Titio emturum tibique daturum. Quodſi vero de hac voluntate non conſtiterit, nec valida eſſe poteſt promiſſio ea ſolum de cauſa, quod Titius eum vendere vult, conſequenter tuus fieri poteſt, neque enim ultra voluntatem meam me tibi obligare vales tua acceptatione (§. 382.), conſequenter voluntate tua (§. 2.).

§. 658.

Quid valeat promiſſio rei, quam noſtram fieri poſſe putamus.

Si quis promittit, quod ſuum non eſt, ſuum tamen fieri poſſe putat, quia ſuum fieri poſſe putat; is ad tantundem tibi obligatur, quantum impendendum erat, ut ſuum fieret, ſiquidem ſuum fieri nequit. Quodſi enim promittis, quod tuum non eſt, tuum tamen fieri poſſe putas, propterea quod tuum fieri poſſe putas; te obligas ad dandum operam, ut tuum fiat, conſequenter ad impendendum id, quod impendi neceſſe eſt, ſiquidem fieri poſſit (§. 657.). Quamobrem ſi adhuc dubitari poteſt, num tuum fieri poſſit; tacite te obligas ad tantundem alteri dandum, quantum impendendum eſſet, ut tuum fieret. Quamobrem ſi tuum fieri non poſſit, ad tantundem alteri obligaris, quantum impendendum erat, ut tuum fieret.

Quodſi propoſitionem præſentem ad exemplum modo datum (*not.* §. 657.) applicare libeat; veritas ejus evadet manifeſtior. Etenim ſi Titius mihi vendere voluit librum ſuum unius aurei pretio, & ego tibi promitto eundem, quia mihi eundem vendere vult; ego me obligor ad impendendum unum aureum, ut tibi librum dare poſſim (§. 657.), adeoque perinde eſt ac ſi tibi me obligarer ad unum aureum dandum. Quodſi ergo interea Titius voluntatem ſuam vendendi librum mutavit, ut eum hoc pretio emere nequeam; quin ad aureum unum tibi dandum obliger, non eſt quod dubitemus. Mihi enim perinde eſt, ſive tibi dem unum aureum, ſive tanto pretio emam librum tibique dem. Quamobrem dici nequit, plus a te exigi, ſeu te ultra id me tibi obligare velle, quam ego dare volui.

§. 659.

Ad quidnam ille teneatur.

Quoniam in hypotheſi propoſitionis præcedentis ad tantundem alteri obligaris, quantum impendendum erat, ut tuum fieret, quod tuum fieri poſſe putabas, quando tuum fieri nequit; *ſi rem quandam alteri promittis, quia tuam fieri poſſe putas, ea autem tua fieri nequit, non teneris ad rem ejuſdem ſpeciei majori pretio comparandam, & eam promiſſario dandam.*

Retineamus exemplum paulo ante datum (*not.* §. 657.). Si librum, quem Titius tibi pro uno aureo vendere volebat, mutato animo vendere non vult, eundem vero pro majori pretio in bibliopolio emere poſſis, ad hunc emendum minime obligaris. In promittendo enim ratio etiam habita pretii, quo eum tuum fieri poſſe putabas, immo fieri poteſt, ut pretium ſi non unica, potiſſima tamen fuerit promittendi ratio. Neque vero eſt, ut in his promiſſionibus excipias, errore eas vitiari, quoniam error non dat cauſam promiſſioni, conſequenter nec vitiare eandem poteſt (§. 570.). Quod non det cauſam error, vi definitionis ſtatim patet (§. 504.). Ecquis enim affirmare auſit, hanc unicam fuiſſe promittendi rationem, quod res promiſſa noſtra fieri poſſe putetur?

§. 660.

Quid valeat promiſſio rei, quam noſtram fieri poſſe putamus, conditionata.

Si res, quam noſtram fieri poſſe putamus, alteri promittimus, ſi ea noſtra fiet, fruſtra autem data fuerit opera, ut noſtra fiat; ad nihil promiſſario tenemur. Et enim qui ita promittit, adhuc dubius eſt, num ea ſua fieri poſſit, adeoque non promittit niſi ſub hac conditione, ſi ſua fiet. Quodſi ergo fruſtra dederit operam ut ſua fiat, conditio deficit. Quamobrem cum deficiente conditione promiſſio pro non facta habenda (§. 534.); qui rem, quam ſuam fieri poſſe putat, alteri promittit, ſi ea ſua fiet, fruſtra autem dat operam, ut ſua fiat, ad nihil promiſſario tenetur.

Vide-

Videmus adeo diverſos eſſe caſus, quibus alteri rem, quam noſtram fieri poſſe putamus, promittimus, neque de rei iſtiuſmodi promiſſione in omni caſu idem eſſe pronunciandum. Quamobrem in hiſce promiſſionibus probe inſpiciendus eſt animus promiſſoris, ut conſtet, quænam ſit ejus obligatio, quodnam jus promiſſario quæſitum. Quoniam itaque promiſſiones animo deliberato fieri debent (§. 391.); promiſſori quoque ante probe expendendum, quomodo promittere velit, & opera danda, ut animum ſuum ſatis perſpicue declaret.

§. 661.

Quando æſtimationem rei promiſſæ præſtandam teneamur.

Si res, quam alteri promiſiſti, voluntate vel culpa tua ſit aliena, ad præſtandam æſtimationem teneris. Etenim ſi res, quam alteri promiſiſti, ſit aliena, antequam promiſſionem adimpleviſti, eam promiſſario dare nequis (§. 677. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quoniam tamen tu ad promiſſum ſervandum (§. 431.), adeoque ad rem iſtam dandam obligaris (§. 430.); minus habet, quam habere debet promiſſarius, & quia voluntate vel culpa tua aliena facta eſt *per hypoth.* tu effeciſti, ut minus habeat, quam habere debet. Enimvero nemo efficere debet, ut alter minus habeat, quam habere debet (§. 579. *part.* 2. *Jur. nat.*). Ergo minus habet, quam habere debebat, propterea quod obligationi tuæ non ſatisfeciſti (§. 120. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque ad id, quod intereſt, teneris, ſi quis minus habet, quam habere debet, propterea quod obligationi tuæ non ſatisfeciſti (§. 626.), adeoque in caſu præſenti promiſſarium reſtituere debes in eum ſtatum, quo perinde eſt, ac ſi res promiſſa non facta fuiſſet aliena (§. 625.); ad præſtandam æſtimationem teneris. Patet itaque, ſi res, quam alteri promiſiſti, voluntate vel culpa tua ſit aliena, te ad præſtandam æſtimationem teneri.

Promitto tibi dare hunc librum: poſtea me perſuaderi patior ut eum Titio vendam. Tibi ergo pretium libri dare teneor. Idem obtinet, ſi ego immemor promiſſi eundem dem Mævio. Ne vero caſus propoſitionis præſentis pro non dabili habeatur, ſed utique poſſibilis agnoſcatur, ſequentia addere lubet.

§. 662.

Dominium rei promiſſæ num in non promiſſarium transferri poſſit.

Dominium rei promiſſæ in non promiſſarium valide transfertur a promiſſore. Etenim quod promiſſor ſufficienter indicat, id contra ipſum pro vero habetur (§. 428.), conſequenter quod non indicat, pro vero haberi nequit contra ipſum. Enimvero quando res quædam promittitur, promiſſor ſufficienter declarat, ſe eam tibi dare, conſequenter dominium ejus in te transferre velle (§. 675. *p.* 2. *Jur. nat.*), non vero ſe ſibi adimere jus dominium non transferendi in tertium (§. 361.). Quamobrem tibi quidem obligatus eſt, ad dominium ejus in te transferendum, non tamen ipſi ademtum eſt jus idem transferendi in tertium. Quodſi ergo illud in tertium transfert, translatio valida eſt.

Aliud eſt ſe obligare ad dominium in aliquem transferendum, aliud dominium actu transferre, aliud ſibi adimere jus ad dominii translationem. Quamobrem qui ſufficienter indicat, ſe in alterum velle transferre dominium rei ſuæ, nondum indicavit ſe ſibi adimere jus illud transferendi in alium: neque enim propterea, quod dominium in aliud transfertur, promiſſio efficitur invalida, cum maneat obligatio præſtandi æſtimationem, immo ſi tui interſit, ut rem potius ipſam, quam ejus pretium habeas, obligatio etiam ſubſiſtit ad id, quod præterea intereſt (§. 630.). Quamobrem promiſſio ita interpretanda: Dabo tibi hanc rem, quodſi vero voluntate vel culpa mea contigerit, ut eam dare non poſſim, dabo pretium & ſi præterea tui interſit tui interſit, quod rem ipſam non dederim, quod intereſt præſtabo. Verba enim promittentis id omne ſignificare intelliguntur, ad quod vi eorundem obligatus es.

§. 663.

§. 663.

Effectus promiſſionis rem promiſſam non alienandi.

Si promiſſor declaret ſibi ademtum eſſe debere jus dominium rei promiſſæ in tertium transferendi; in non promiſſarium idem transferri nequit. Quodſi enim promiſſor declaret, ſibi ademtum eſſe debere jus dominium rei promiſſæ in tertium transferendi, cum contra ipſum pro vero habeatur, quod ſufficienter indicat (§. 428.), jus quoque rem iſtam alienandi ipſi amplius competere nequit. Patet itaque dominium rei promiſsæ in non promiſſarium valide transferri non poſſe, ſi promiſſor declaret ſibi ademtum eſſe debere jus dominium rei promiſſæ in tertium transferendi.

Ex. gr. Promitto tibi hanc rem. Acceptando dicis tui intereſſe, ut rem iſtam certo accipias. Promitto porro, me eandem alii nulli daturum, teque certum eſſe jubeo, quod non facturus ſim. Hinc omnino colligitur, me mihi ademtum eſſe velle jus dominium ejus in alium transferendi. Quodſi ergo hoc non obſtante id faciam, actus jure nullo factus validus eſſe nequit, ſed pro nullo habetur: neque enim dominium in alium tranſire poteſt, quod in ipſum transferre non poſſum. Si hoc admittere nolis, admittendum quoque non eſt domino de omni jure, quod vi dominii ipſi vere competit, pro arbitrio ſuo diſponere poſſe; quod quam ſit abſonum nemo non intelligit, utpote ipſi dominio adverſum (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*). Sane nemo non admittit, ſi quis alteri promittit, ſibi non integrum eſſe debere rem alii alienandi, promiſſionem eſſe validam (§. 431.). Hoc vero promittere omnino intelligitur, qui ſibi ademtum eſſe debere jus dominium rei promiſſæ in alium transferendi ſufficienter declarat.

§. 664.

Jus promiſſario acquiſitum, ſi promiſſor jus alienandi ſibi ademtum eſſe vult.

Si promiſſor jus dominium rei promiſſæ in alium transferendi ſibi ademtum eſſe vult; in promiſſarium ſtatim transfert jus non patiendi, ut res ſine conſenſu ſuo alienetur. Etenim ſi promiſſor jus dominium rei ademtæ in alium transferendi ſibi ademtum eſſe vult, cum promiſſario perfecte ſeſe obliget (§. 363.), in ipſum transferre debet jus eum vi cogendi, ne jure iſto utatur (§. 236. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). In promiſſarium adeo ſtatim transfert jus non patiendi, ut res ſine conſenſu ſuo alienari poſſit (§. 662. *part.* 2. *Jur. nat.*).

Voluntas promiſſoris in gratiam promiſſarii jus alienandi rem promiſſam ſibi adimentis efficax eſſe debet, adeoque tam obligationem quandam promiſſoris, quam jus quoddam promiſſarii producere. Obligatio promiſſoris conſiſtit in non faciendo nimirum ne rem promiſſam alienare poſſit; jus promiſſarii in non patiendo, ut ſine conſenſu ſuo alienari poſſit. Hinc alienatio rei promiſſæ moraliter efficitur impoſſibilis abſque conſenſu promiſſarii, adeoque ſi fiat, pro non facta habetur. Nihil agit, qui ſine jure agit. Clarius, quæ hic dicuntur, eluceſcent, quando de dominio directo & utili ſumus acturi. Jus enim, quod acquirit promiſſarius, a dominio directo non abhorret.

§. 665.

Idem ulterius exponitur.

Quoniam promiſſor jus dominium rei promiſſæ in alium transferendi ſibi ademtum volens in promiſſarium ſtatim transfert jus non patiendi, ut res ſine conſenſu ipſius alienetur (§. 664.); ***dum promiſſor jus alienandi rem promiſſam ſibi adimit, partem quandam proprietatis*** (§. 666 *part.* 2. *Jur. nat.*), ***conſequenter dominii in promiſſarium transfert*** (§. 136. *part.* 2. *Jur. nat.*), ***adeoque promiſſarius rei promiſſæ quodammodo dominus jam efficitur.***

Patet adeo jus promiſſarii diverſum eſſe, ſi promiſſor ſibi adimit jus rem promiſſam alienandi & ſi hoc non facit, & plus juris acquiri in caſu priori, quam in poſteriori: id quod etiam intenditur a promiſſore & promiſſario, alias enim ademtio juris alienandi eſſet inutilis, ſi nullum haberet effectum juris. Ne vero dubium quoddam ſuperſit iis, qui obligationem internam ab externa non ſemper ſatis diſtinguere poſſunt, quarum illa a natura hominis,

hæc a voluntate promittentis in promiſſionibus pendet, adeoque non plus continet, quam promiſſor ea continere voluit, non attenta obligatione interna; nonnulla adhuc addi conſultum videtur.

§. 666.

Promiſſoris obligatio naturalis quoad alienationem rei promiſſæ.

Promiſſor naturaliter obligatur ad rem promiſſam non alienandam. Etenim obligatur ad promiſſa ſervanda (§. 431.), conſequenter ad rem, quam alteri dare promiſit, dandam (§. 430.). Cum itaque rem non amplius dare poſſit, quando aliena facta eſt (§. 677. *part. 2. Jur. nat.*); naturaliter, hoc eſt, vi ipſius legis naturalis obligatur ad rem promiſſam non alienandam.

Honeſtum adeo eſt rem promiſſam non alienare (§. 171. *part. 1. Phil. pract. univerſ.*): & contra honeſtatem facit promiſſor, ſi eam alienet. Quoniam tamen jus alienandi ſibi ademtum eſſe noluit, ſed ne hoc fieret honeſtati ſuæ relictum eſſe voluit, neque adeo promiſſario jus eſt, ne abſque ſuo conſenſu res promiſſa alienari poſſit; quæ contra honeſtatem fit alienatio, non fit contra jus perfectum alterius, adeoque etiam a nemine irrita effici poteſt. Quamobrem patet hoc non obſtante, quod promiſſor jam naturaliter obligetur ad rem promiſſam non alienandam, ſuperfluum minime eſſe, ut ſibi adimat alienandi jus: ita enim mutuo conſenſu efficitur, ut, quod imperfecte debebatur, jam debeatur perfecte (§. 404.), & dominium promiſſoris diminuatur, antequam in promiſſarium transfeat (§. 665.): quod etſi jam ineſſe videbatur, ſiquidem obligationem internam ſpectes, promiſſioni, externo tamen jure per ſe non ineſt, cum promiſſarius non plus juris acquirere valeat, quam promiſſor in eum transferre vult (§. 382.). Quodſi ergo jus non alienandi honeſtati ſuæ relictum eſſe vult, quod velle intelligitur, niſi contrarium ſufficienter indicet (§. 428.), nec hoc ipſi ademtum cenſeri poteſt jure externo. In jure naturali non modo demonſtrantur, quæ obligationem externam & jus externum reſpiciunt; verum etiam ea, quæ ad internam obligationem & ex ea natum jus internum ſpectant. Quamobrem tanto majore attentione opus eſt, ne quæ ſunt juris interni confundantur cum iis, quæ ad externum ſpectant, & in demonſtrationibus cavendum, ne ad jus externum ſpectantia inferantur ex interna obligatione. Quodſi excipias obligationem promiſſa ſervandi eſſe externam, non modo internam, conſequenter quod ex ea deducitur, ad externam obligationem & jus externum ſpectare debere; facile huc concedo, ſed ſalva differentia ejus, quod ex interna & externa obligatione ſervandi promiſſa reſultat. Nimirum ex obligatione externa tibi reſultat jus promiſſorem compellendi ad promiſſa ſervanda, conſequenter ad rem promiſſam dandam, quam dare promiſit (§. 361.). &, ubi res voluntate vel culpa ipſius aliena facta, ad præſtandam æſtimationem (§. 661.); non vero jus, ne abſque tuo conſenſu res promiſſa alienetur, etſi ex interna obligatione reſultet, cum jure externo id acquirere nequeas, niſi dominus rei, qui idem promiſſor in caſu præſenti, id in te transferre velit (§. 11.). Non tamen nihil operatur obligatio interna, cum per eam valida efficiatur externa, ex qua jus exigendi æſtimationem rei promiſſæ, ſed alienatæ voluntate, vel culpa promiſſoris deſcendit. Non quod tibi utilius, id juris tui eſt (§. 265. *p. 1. Phil. pract. univ.*). Jus enim promiſſarii non metiendum ex utilitate ipſius, ſed ex voluntate promittentis (§. 382.). Immo dum promiſſarius conſentit in promittendi modum, ſi vel maxime jus aliquod naturaliter ſibi competeret, idem remiſiſſe cenſetur (§. 95.), quod omnino facere poteſt (§. 117.), & facere debuit, cum nonniſi ſub conditione remiſſionis hujus juris promiſſor promittere voluiſſe intelligatur. Quod enim ſufficienter non indicavit, nec iis, quæ indicavit, inſeparabiliter ineſt, id tacite exceptum intelligitur, eum contra ipſum pro vero habere nequeat, niſi quod ſufficienter indicatum (§. 428.). Majore acumine opus eſt ad jura penitus inſpicienda, quam putant qui cognitione eorum ſuperficiaria contenti.

§. 667.

Extenſio obligationis illius.

Quoniam promiſſor naturaliter ad rem promiſſam non alienandam obligatur (§. 666.), vitanda vero etiam eſt culpa (§. 299. *part. 1. Jur. nat.*), & agenti imputatur (§. 722. *part. 2. Phil. pract. univ.*); *promiſſor ſibi cavere debet, ne res ſua culpa fiat aliena.*

Cum jure naturali imputetur culpa omnis, quantacunque fuerit; obligatio naturalis rem promiſſam non alienandi latiſſime patet.

§. 668.

§. 668.

Si promiſſarius novit promiſſorem rem promiſſam alienare velle; ipſi competit jus impediendi, ne hoc fiat. Etenim ipſi competit jus promiſſorem vi adigendi ad rem, quam promiſit, dandam, niſi ultro dare voluerit (§. 361.); conſequenter ipſi quoque competit jus ſibi proſpiciendi, ut promiſſor quod promiſit ſibi dare poſſit. Quamobrem cum rem ipſam dare non poſſit, ubi ea fuerit alienata, promiſſarii autem intereſſe queat, ut rem ipſam potius, quam pretium rei accipiat, ad quod dandum promiſſor tenetur re alienata (§. 661.); promiſſario utique competit jus impediendi, ne rem promiſſam alienet promiſſor, ubi novit hoc ipſum facere velle.

Jus promiſſarii circa alienationem rei promiſſae generale.

Jus hoc minus eſſe, quam quod conſequitur promiſſarius, ubi promiſſor ſibi adimit jus rem alienandi (§. 664.), abſque ulla difficultate intelligitur. Illud enim impedit, quo minus fiat, quod nondum factum; hoc vero quod jam factum eſt irritum facit. Quod contra illud fit, validum eſt ac ſubſiſtit: quod vero contra hoc fit, validum non eſt, nec ſubſiſtere poteſt.

§. 669.

Quodſi promiſſarius impedire nequit, ne promiſſor rem promiſſam ſibi alienet, nec hic jus alienandi ſibi ademtum eſſe voluit; alienatio ferenda. Etenim niſi jus alienandi ſibi ademtum eſſe velit; hoc non obſtante, quod eam alienare non debebat (§. 666.), alienatio tamen valida eſt (§. 662.). Quamobrem cum promiſſarius factum infectum reddere nequeat; quod facta ſit alienatio, quam impedire voluit, ſed non potuit, ferendum.

Quousque extendatur jus ipſius.

Ferendum nimirum, quod mutari non poteſt, ſcilicet ut ſubſiſtat alienatio: non tamen ideo remittis jus tuum, quod per eam minime tollitur, nempe exigendi præſtationem æſtimationis (§. 661.) &, ſi quid præterea intereſt (§. 629.).

§. 670.

Si res promiſſa caſu inevitabili interit, promiſſio, quæ ab initio erat valida, ex poſt facto redditur invalida. Quoniam enim res promiſſa interiit, impoſſibile eſt, ut promiſſor eam det promiſſario (§. 541. *Ontol.*). Quodſi vero, cum fieret promiſſio, promiſſorem interrogaſſet promiſſarius, num æſtimationem præſtare, ſeu pretium rei dare velit, ſi eam caſu inevitabili interire contingat; reſponſurus utique fuiſſet, ſe ad hoc teneri nolle, cum ipſe in cauſa non ſit, ut intereat, nec impedire poſſit, quo minus intereat. Promiſſio igitur omnis fieri intelligitur ſub tacita hac reſtrictione: niſi caſu inevitabili res promiſſa intereat, niſi expreſſe dicat promiſſor, ſe ad pretium rei dandum teneri velle, ſiquidem caſu inevitabili eam interire contingat. Quoniam igitur promiſſarius promiſſorem ultra voluntatem ſuam obligare nequit (§. 382.); ſi res promiſſa caſu inevitabili interit, promiſſor promiſſario ad nihil obligatur, conſequenter promiſſio, quæ ab initio erat valida, ex poſt facto redditur invalida.

Quando promiſſio ex poſtfacto invalida fiat.

Oſtenditur etiam hoc modo. Promiſſor non promittit promiſſario niſi rem, non vero pretium rei, quod per ſe patet, adeoque voluntate ſua ſeſe non obligat ad pretium rei dandum. Quando res caſu quodam inevitabili interit, hoc nullo ipſius facto, nec non facto quodam contingit, ex quo oriri poſſet obligatio pretium rei dandi. Nulla igitur adeſt ratio, cur, ubi res caſu quodam inevitabili interit, promiſſor promiſſario ad aliquid obligatus eſſe debeat. Quamobrem cum ſine ratione ſufficiente obligatio dari non poſſit (§. 70. *Ontol.*); ſi res promiſſa caſu inevitabili interit, promiſſio, quæ ab initio valida erat, invalida efficitur ex poſtfacto.

Obligatio, quæ ex promiſſione oritur, metienda ex voluntate promiſſoris, adeoque diſpiciendum eſt, qualis fuerit ejus animus. Velle autem rem dare & velle pretium rei dare, ubi ea interiit, non ſunt unum idemque, nec ex priori neceſſario ſequitur poſterius. Quamobrem qui prius vult, poſterius quoque velle dici nequit. Quando itaque obligatio ad aliquid præſtandum aliunde deduci nequit niſi a voluntate ejus, qui ſe alteri obligare voluit, ad pretium rei dandum, ubi ea interiit, ideo obligatus nemo dici poteſt, quia ſe obligavit ad rem dandam. Nullum adeo dubium reſtare poteſt circa demonſtrationem priorem. Obligationes contrahi nequeunt, niſi mutuo conſenſu aut facto quodam vel non facto, quod obligationem parere debere lex pronunciat: quod non modo ex anterioribus abunde perſpicitur, verum etiam attendentibus manifeſtum eſt, cum homines vel velle debeant, ſe alteri eſſe obligatos, vel quidpiam facere, aut non facere, ut inde obligentur, quoniam præter voluntatem verbis vel ſignis declaratam & facta & non facta in illis non dantur, unde obligatio aliqua contracta venire poſſit (§. 18. *p. 1. Jur. nat.*). Quando res promiſſa caſu interit inevitabili, nec adeſt voluntas promiſſoris, utpote qui rem, non pretium rei dare promiſit, nec adeſt aliquod ejus factum vel non factum, unde obligatio oriri poſſit, conſequenter obligatio dandi pretii nulla adeſt. Hæc ſi perpendimus, nihil obſcuritatis, vel difficultatis ſupereſſe poteſt circa demonſtrationem poſteriorem. Immo propoſitio præſens adeo manifeſta videtur, ut ſine probatione admittenda videatur, non alia de cauſa quam ſi quis fingit ſe promiſſorem, ipſi certum ſit, quod ad pretium dandum ſe obligare noluerit, ſiquidem rem, quam promittit, caſu ſibi inevitabili interire contingat, & quia nil fecit, vel non fecit, ob quod ad dandum pretium, re caſu intereunte, obligatus eſſe debeat. Principia igitur, quibus nituntur demonſtrationes, ſunt perceptiones confuſæ ad diſtinctas revocatæ, quarum illæ conficiunt ſenſum communem, cui obligatio dandi pretium re caſu intereunte adverſari dicitur.

§. 671.

Obligatio promiſſoris quoad rem promiſſam.

Promiſſor omnem dare debet operam, ne res promiſſa intereat. Promiſſa enim ſervare debet (§. 431.), adeoque rem promiſſam promiſſario dare tenetur (§. 430.). Quoniam vero dare nequit, ſi interiit; omnem omnino operam dare debet, ne res promiſſa intereat.

Qui promiſſionem adimplere debet, ei permiſſum eſſe nequit, ut faciat, vel non faciat, ob quod factum, vel non factum eam adimplere nequit. Quodſi enim ſciens ac volens tale quid facit, vel non facit; animum adimplendi promiſſionem non habet: ſi ex negligentia vel culpa quadam alia ejuſmodi factum, vel non factum proficiſcatur, ut rectum ſit propoſitum promiſſionem adimplendi fieri haudquaquam poteſt. Quamobrem ſi promiſſionem adimplere velit, ſitque voluntas ipſius conſtans, quemadmodum eſſe debet, omnem quoque operam dare debet, ut res conſervetur, nec intereat. Deeſt omnino ille animi ardor, qui ad ſatisfaciendum cuicunque obligationi requiritur, ſi ad rem conſervandam non adhibuerit omnem diligentiam.

§. 672.

Ea porro expenditur.

Quoniam operam omnem non dat, ne res promiſſa intereat, qui facto quodam vel non facto doloſo, aut culpoſo in cauſa eſt, ut intereat (§. 702. 718. *part. 1 Phil. pract. univ.*); *nemo quoque dolo vel culpa ſua in cauſa eſſe debet, ut res, quam promiſit, intereat.*

Qui quid dolus, quid culpa ſit, & quæ de utroque demonſtravimus in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis, didicit; ei ſatis manifeſta erunt, quæ hic inferuntur, ut adeo prolixius ea evolvere noluerimus.

§. 673.

Quando re intereunte promiſſio valida maneat.

Si facto quodam ſive doloſo, ſive culpoſo, aut etiam non facto promiſſoris res promiſſa intereat; promiſſio valida manet. Etenim ſi res interit, ea promiſſori dari nequit, adeoque minus habet, quam habere debebat, ac poterat, quia res danda ipſi erat (§. 430. 431.). Quoniam vero res interiit facto quodam vel non facto promiſſoris ſive doloſo, ſive culpoſo *per hypoth.* qui ab illo abſtinere, ab

hoc

hoc ſibi cavere debebat (§. 672.), ſeu illud non committere, hoc omittere tenebatur; promiſſarius minus habet, quam habere debebat ac poterat, propterea quod promiſſor obligationi ſuæ non ſatisfecit. Enimvero ſi promiſſarius minus habet, quam habere debebat, vel poterat; propterea quod promiſſor obligationi ſuæ non ſatisfecit, ad id quod intereſt tenetur (§. 626.), conſequenter promiſſarium in eum ſtatum reſtituere debet, quo perinde eſt, ac ſi ipſius facto vel non facto res promiſſa non interiiſſet (§. 625.). Quamobrem ſi facto quodam, ſeu non facto, ſive doloſo, ſive culpoſo promiſſoris res promiſſa intereat, obligatio, quam is promittendo contraxit, minime extinguitur, adeoque promiſſio ex poſt facto invalida non fit, ſed valida manet.

Poterat etiam oſtendi hoc modo. Si quis facto quodam, vel non facto ſuo ſive doloſo, ſive culpoſo efficit, ne promiſſionem adimplere poſſit; perinde eſt ac ſi promiſſionem, cum poſſet, adimplere noluiſſet. Quodſi enim adimplere voluiſſet, nec ſciens ac volens, conſequenter dolo (§. 705. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), nec culpa quadam ſua feciſſet, aut non feciſſet, ne eam adimplere poſset. Quoniam promiſsor tenetur ad id, quod intereſt, ſi promiſsarius minus habet, quam habere poterat ac debebat, quando promiſſionem non adimplet (§. 627.); ad idem quoque tenetur, ſi facto quodam vel non facto ſuo ſive doloſo, ſive culpoſo res promiſsa interit. Unde porro eodem, quo ante modo, concluditur promiſſionem re promiſsa intereunte manere validam.

Quoniam quod dolo fit, vel non fit, a ſciente ac volente fit (§. 705 *p.* 1. *Phil. pract. univ.*); nemo non abſque difficultate concedit, promiſſionem adimplere nolle ac dolo efficere, ne adimplere poſſis, unum idemque eſſe, ſeu qui dolum committit, non habere animum promiſſionem adimplendi. Enimvero quia culpa nec a ſciente, nec a volente committitur (§. 732. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*); dubium forſan nonnullis videri poterat, num ea etiam prodat animum promiſſi non ſervandi. Culpa enim eſt defectus rectitudinis actionis quoad intellectum vincibilis (§. 717. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter quem evitare potuiſſes, modo voluiſſes (§. 692. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quatenus igitur evitare noluiſti, quod poteras; a voluntate quoque tua dependent, quæ culpa tua fiunt, conſequenter quæ porro huic tribuenda, a voluntate etiam tua dependere dicenda ſunt, utut hujus dependentiæ tibi minime ſis conſcius. Qui in Pſychologia ſatis verſatus, abunde intelligit, plurima in animo contingere, quorum tibi conſcius non es. Quodſi vero hæc tibi ſubtiliora videantur, quam ut ea capere poſſis; ecce tibi demonſtrationem adhuc aliam captu faciliorem. Quoniam culpam omnem, adeoque etiam dolum, evitare obligamur (§. 299. 300. *p.* 1. *Jur nat.*); ſi promiſſoris facto doloſo, vel culpoſo, aut etiam non facto res promiſſa intereat, cum dari jam non poſſit, quæ dari debebat (§. 430. 431.), ac niſi interiiſſet dari poterat, promiſſarius minus habet, quam habere debebat ac poterat, propterea quod promiſſor non ſatisfecit obligationi ſuæ. Unde porro eodem, quo in demonſtratione priore, modo colligitur, promiſſionem validam manere. Immo ex eo quoque demonſtrari poterat, quod nemo ſeipſum ab obligatione ſua liberare poterat, modo hoc a nobis fuiſſet demonſtratum. Quoniam hoc principium in aliis etiam demonſtrandis uſui eſſe poteſt; illud hoc loco demonſtrari non inconſultum ducimus.

§. 674.

An quis ab obligatione ſua ſe liberare poſſit

Nemo ab obligatione ſua ſeipſum liberare poteſt. Ponamus enim, ſi fieri poteſt, hominem ab obligatione ſua ſeipſum liberare poſse. In arbitrio igitur ejus erit poſitum, utrum agere velit, nec ne, ad quod agendum obligatur, & utrum agere nolit, nec ne, ad quod non agendum obligatur. Neceſse igitur non eſt, ut agat, ad quod agendum obligatur, & ut non agat, ad quod non agendum obligatur: quod cum notioni obligationis repugnet (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), abſurdum eſt.

Ipſa demonſtratio loquitur, propoſitionem præſentem intelligendam eſſe de quacunque obligatione, non tantummodo de ea, quam conſenſu tuo, aut facto quodam vel non facto tuo contraxiſti, conſequenter quando obligatio a voluntate alterius pendet, cui ad dandum vel faciendum, ſeu aliquid præſtandum obligatus es. Hic etiam obſtat voluntas ejus, cui obligatus es, ne te ab obligatione liberare poſſis. Sed quando quid in genere demonſtrari poteſt, non opus eſt, ut in particulari demonſtretur, niſi ſubinde major evidentia ſuadeat, ut ratio habeatur eorum, qui magis abſtracta non ſatis capiunt & quorum aſſenſus per rationes particulares facilius & fortius extorquetur.

§. 675.

Digitized by Google

§. 675.

Cur re culpa promiſſoris intereunte promiſſio valida maneat.

Quoniam nemo ab obligatione ſua ſeipſum liberare poteſt (§. 674.), promiſſor vero ab obligatione ſua ſeipſum liberaret, ſi promiſſio ideo eſſet invalida, quod facto quodam vel non facto ipſius ſive doloſo, ſive culpoſo res promiſsa interit; *promiſſio adhuc valida eſſe debet, quando res promiſſa facto quodam vel non facto promiſſoris ſive doloſo, ſive culpoſo interit.*

Videmus adeo rationem, cur interitus rei, qui dolo vel culpæ promiſsoris debetur, obligationem ejus non perimat. De eo autem dubitari nequit, quod teipſum liberes ab obligatione tua, ſi facto tuo, vel non facto perimitur obligatio. Cum dolus committatur a ſciente & nolente (§. 705. *p. 1. Phil. pract univ.*); ſi eo fine committatur, ne alteri ſis obligatus, omnino teipſum liberas ab obligatione, ſiquidem ſupponamus fieri poſse, quod fieri poſse repugnat. Si adſit culpa, negligenter verſari licet circa rem conſervandam (§ 758. *part. 1. Philoſ. pract. univ*), ne promiſsori eam dare poſſis, adeoque te ipſum liberas, ſiquidem ſupponamus hoc fieri poſsa, ab ea obligatione, quam paulo ante ſtabilivimus (§. 671.), quamvis etiam hoc ipſum pateat per ea, quæ paulo ante de culpa annotavimus (*not.* §. 673.). Immo ſi rei interitus, qui dolo & culpæ tuæ tribuendus, liberareris ab obligatione promiſsa ſervandi; ab obligatione vitandi culpam & dolum (§. 299. 300. *part. 1. Jur nat.*), te liberare poſſea, ut ab obligatione promiſsa ſervandi fores immunis. Atque adeo abunde patet, nullum ſupereſse dubium, quin ea eo, quod nemo ſeipſum ab obligatione ſua liberare poſſit, recte inferatur, interitu rei promiſsæ, quæ dolo vel culpæ promiſsoris tribuendus, non perimi obligationem promiſsoris.

§. 676.

Rei interitus quandonam invalidam efficiat promiſſionem.

Quoniam mora culpa eſt, quando promiſsor in mora eſt (§. 648.), promiſſio vero valida manet, quando culpa promiſsoris res interit (§ 675.); *valida etiam manet promiſſio, ſi res promiſſa caſu interit, quia promiſſor in mora eſt, & ſi ob moram ejus interit.*

Dicimus ſimpliciter rem interire caſu; quia caſus evitabilis ex eo intelligitur, quod in mora fuerit promiſsor. Quodſi enim rem dediſset, quando dare debebat, nec dare diſtuliſset; eodem caſu non interiiſset. Quodſi res ſervando ſervari nequit; ſolam ob moram promiſsoris interire poteſt.

§. 677.

Quando promiſſio pro adimpleta habeatur re intereunte.

Si res promiſſa interit, quia promiſſarius in mora eſt; promiſſio pro adimpleta habetur. Si enim promiſsarius in mora eſt, ac res interea interit, culpa promiſſarii interit (§. 648.), conſequenter cum culpa huic imputanda ſit (§. 722. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ipſe etiam ſpectatur tanquam cauſa libera interitus rei promiſsæ (§. 527. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Perinde igitur eſt, ac ſi rem promiſsam dediſset promiſsario promiſsor, conſequenter promiſſio pro adimpleta habenda.

Nulla hic adeſt ratio, cur quis argutari poſſit, ſubſiſtere debere promiſſionem, ita ut ad pretium rei dandum teneatur promiſſor. Neque enim obligatio aliqua deſcendere poteſt ex voluntate promiſſoris, quippe unde deſcendit obligatio dandi rem promiſſam, quam tibi dare paratus erat, modo tu accipere voluiſſes: nec ea deſcendere poteſt ex aliquo facto vel non facto ipſius; quippe cum tale nullum detur quod obligationi promittendo contractæ repugnet, quia eidem ſatisfeciſſet lubenter, modo tu moram nectere noluiſſes. Aſt adeſt factum culpoſum ex parte tui, ex quo naſcitur obligatio ferendi periculi & carendi re promiſſa, quæ caſu interiit. Tibi ergo imputes negligentiam in re promiſſa petenda. Tenendum vero moram non poſſe tribui promiſſori, quando petenti nondum denegata fuit res promiſſa, nec patientia commendata, niſi is obligatus fuerit ad rem tibi mittendam vel afferendam.

§. 678.

§. 678.

Promiſſio ſub conditione impoſſibili negativa qualis ſit.

Si promiſſioni conditio impoſſibilis negative adjiciatur; pro pura habenda. Etenim ſi promiſſioni adjicitur conditio impoſſibilis negative, tibi quid promittitur, ſi non feceris, quod facere nequis, vel ſi non fiat, quod fieri nequit (§. 79. *Ontol*). Statim igitur certum eſt, te hoc non eſſe facturum, vel hoc non eſſe futurum, conſequenter conditionem extare (§. 490.). Perinde igitur eſt ac ſi ſub nulla conditione facta fuiſſet. Quamobrem cum pura ſit promiſſio, quæ conditionem nullam ſupponit (§. 462.); ſi promiſſioni conditio impoſſibilis negative adjiciatur, pro pura habenda.

Oſtenditur etiam hoc modo. Si conditio impoſſibilis promiſſioni negative adjiciatur, ſtatim certum eſt conditionem extare *per demonſtrata*. Enimvero quamprimum certum eſt extare conditionem, promiſſio conditionata puræ æquipollet (§. 529.). Quamobrem promiſſio, cui conditio impoſſibilis negative adjicitur, puræ æquipollet, adeoque pro pura habenda.

Exemplum tale dari ſolet. Promitto tibi decem aureos, ſi cœlum digito non attigeris. Quoniam hoc facere nequis, ſtatim certum eſt te hoc non facturum. Conditio igitur adimpleta habetur; adeoque ego tibi ſtatim debeo decem aureos, ac ſi eos pure promiſiſſem: id quod etiam ex eo infertur, quod conditio, quam certo extituram novimus, tempus deſignet, quo quid fieri debet (§. 502.). Quoniam itaque certum eſt conditionem impoſſibilem negativam ſtatim poni; hinc intelligitur, quod promiſſio ſtatim ſit adimplenda, adeoque pro pura recte habetur.

§. 679.

An promiſſio ſub conditione turpi negativa ſit invalida.

Promiſſio ſub conditione turpi negativa facta non invalida eſt. Quoniam ſub conditione turpi negativa promittitur, quando promittitur, ſi hoc factum turpe non commiſeris (§. 462.); promiſſio fit eo fine, ut a facto turpi ſeu lege prohibito (§. 491.), avoceris. Quoniam in propagandis virtutibus intellectualibus & moralibus ſeduli eſſe debemus (§. 638. *part. 1. Jur. nat.*); quin etiam ab actionibus malis, quantum in nobis eſt, alios avocare liceat dubitandum non eſt. Quodſi ergo hoc fieri poſſit, ſi alteri quid te daturum vel facturum promittis; cur hoc facere non liceat ratio nulla eſt. Quamobrem cum invalida non ſit promiſſio, quæ licite fieri poteſt; promiſſio quoque ſub conditione turpi negativa facta invalida non eſt.

Pateo adeo ſub conditione turpi negativa promiſſionem utiliter fieri poſſe, adeoque ea adimpleta ſtandum eſſe promiſſis. E.g. Si juveni in laſciviam prono promittam 20. aureos, niſi ſcortetur, dum in Academia vivit, & eum hoc feciſſe certum eſt; quin valida ſit promiſſio, vix dubitari poteſt. Nonne enim licitum eſt eum avocare a ſcortatione, cumque hoc fieri non poſſit abſque motivo (§. 89. *Pſych. empir.*), ubi videris ſpe lucri eum avocari poſſe, eccur hoc motivo non eſt utendum? Etſi enim nondum ideo fiat caſtus, ſufficit tamen eum avocare a vitio: quo facto minus impedita ad virtutem via eſt. Qui male agere dediſcit, bene agere facilius diſcit. Sæpe etiam aliorum intereſt, ne factum quoddam turpe committatur. Quamobrem cum damnum ab aliis avertere debeamus, quantum in nobis eſt (§. 495 *part 2 Jur. nat.*), quando hoc fieri poteſt, alteri quid promittendo, niſi fecerit, unde damnum in alios redundare poteſt, cur illicita eſſe debet promiſſio & pro invalida ſtatim haberi? Immo ſubinde etiam damnum ipſe incurrit haud leve, qui factum turpe committit: eccur non ſpe lucri cujuſdam ab eodem avertere id licet? Equidem non ignoro, promiſſionem ſub conditione turpi negativa factam improbari, adeoque negari quod valeat, quia gratis a malo abſtinere debeamus ac turpe habetur pecuniam aliquam capere, ne maleficium committas; ſed cur hoc obſtet, quo minus promiſſor ſe alteri obligare poſſit ad dandum vel faciendum non apparet. Sane turpe quoque eſt, ſpe lucri facere, quod bonum eſt, neque enim virtus mercenaria eſſe debet: non tamen ideo nulla eſt promiſſio, quæ fit ſub conditione facti, ad quod committendum lege naturali obligaris. Quemadmodum abſentia mali bonum eſt (§. 756. *part. 1. Jur. nat.*); ita etiam omiſſio facti turpis factum honeſtum negativum eſt, ac ideo conditio turpis negativa conditioni honeſtæ æquipollet, conſequenter quod ſub ea promittitur, ſub conditione honeſta promiſſum videtur.

§. 680.

§. 680.

Promiſſio rei propriæ nobis facta quomodo intelligenda.

Si quis tibi promittit rem tuam, is ejus reſtitutionem tibi promittere intelligitur. Quoniam in re tua dominium jam habes (§. 124. *part. 2. Jur. nat.*), quod jam habes ab alio in te transferri nequit. Quamobrem eum rei dominium in te transferat, qui eandem tibi dat (§. 675. *part. 2. Jur. nat.*); nemo promittere poteſt, ſe tibi daturum rem, quæ jam tua eſt. Quoniam tamen res tua penes alterum eſt, eam tibi reſtituere poteſt. Quamobrem ſe tibi obligare poteſt promittendo ad eam reſtituendam (§. 363.). Quia res tibi reſtituitur, ſi vel maxime promiſſor putet ſe eam tibi dare quando rem tuam tibi promittit, ejus reſtitutionem tibi promittere intelligitur.

Non eſt quod exiſtimes, cum qui rem tuam habet jam obligatus ſit ad eam tibi reſtituendam (§. 467. *part. 2. Jur. natur.*) & tu eam vindicare poſſis (§. 544. *part. 2 Jur. nat.*), ſe vi adigere eum, qui habet, ut reſtituat, ſi nolit (§. 543. *part. 2. Jur. nat.*), inutiliter fieri promiſſionem, quæ non tendit niſi ad reſtitutionem rei. Etenim non ante ad reſtitutionem vi adigere potes alterum, quam dominium probaveris (§. 546. *part. 2 Jur. nat.*). Hac vero probatione liberaris, ſi ex promiſſo eam repetere potes. Quamobrem promiſſio rei tuæ tibi facta propior & quaſi compendiaria ad rei tuæ recuperationem via eſt. Quodſi dubites adeſſe conſenſum, quia promiſſor ſe tibi rem dare vult, tu vero eandem tibi reſtitui vis, conſenſus autem nullus eſt, niſi promiſſor & promiſſarius idem velint (§. 658. *part. 1. Phil. pract. univ.*); conſenſum utique adeſſe haud difficulter probatur. Promiſſor enim non aliud intendit, quam ut res veniat in poteſtatem tuam (§. 461. *p. 2. Jur. nat.*), cum hoc fiat, quando promiſſionem adimplet; tu vero idem intendis, quando rem tibi reſtitui vis. Atque adeo in hoc conſentit, ut res, quæ nunc in poteſtate ipſius eſt, in poteſtatem tuam veniat. Quoniam itaque animus promittentis & promiſſarii inſpiciendus, nec ideo ſcrupuloſe verbis inhærendum, ut contra eum fiat interpretatio, conſenſum adeſſe ſufficit, qui verborum ſignificatui generali ſeu communi minime repugnat.

§. 681.

An res tibi promiſſa promitti valide poſſit alteri.

Si quis rem tibi promiſſam denuo alteri promittit; promiſſio prior valet, non poſterior. Qui enim rem tibi promittit, is ad eam tibi dandam perfecte ſe obligat (§. 363.), conſequenter neceſſe eſt, ut eam tibi det (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*), &, niſi det, eum vi compellere potes, ut det (§. 236. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem eum quod tibi dare tenetur, idem etiam alteri dare non poſſit; ad eandem rem alteri quoque dandam ſe obligare nequit; ſed ſi hoc facit perinde eſt ac ſi promitteret quod impoſſibile. Quoniam itaque promiſſio ejus, quod impoſſibile, invalida eſt (§. 633.), prior valet.

Oſtenditur etiam hoc modo. Si quis rem quandam tibi promittit, in te transfert jus eandem exigendi (§. 361.), &, quando eandem alteri denuo promittit, jus eam a ſe exigendi in alterum transferre vult (§. *cit.*). Enimvero cum nonniſi uni competere poſſit jus eandem exigendi, quod per ſe patet; jus, quod in te tranſtulit promiſſor, in alium transferre nequit (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*), conſequenter hic ex promiſſione jus nullum conſequitur. Poſterior adeo promiſſio nulla eſt, adeoque non valet: ſubſiſtit adeo prior, adeoque valet.

Oſtenditur etiam hoc modo. Ponamus rem promiſſam tibi poſtea quoque alii promitti poſſe & poſteriori promiſſione invalidam effici priorem. Quoniam promiſſor rem, quam tibi jam ſeſe promiſiſſe novit, alteri denuo promittens declarat, ſe ex promiſſo tibi teneri nolle; promiſſionem tibi factam revocat (§. 595.), conſequenter promiſſio acceptatione facta revocari poteſt. Quod cum ſit abſurdum (§. 596.), promiſſio prior valeat neceſſe eſt, adeoque poſterior non valet.

Indirecte oſtendi quoque poterat hoc modo. Si promiſſor rem, quam tibi promiſit, alteri valide poſthac promittere poteſt, jus eam exigendi in alterum transferre poteſt, quod jam in te tranſtulit (§. 361.): quod cum facere non

poſſit,

poſſit niſi jus tibi acceptatione acquiſitum (§. 365.), ſine conſenſu tuo auferat, jus quæſitum tibi invito auferre licet. Quod cum ſit abſurdum (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*), promiſſio poſterior nulla eſt, adeoque non valet, ſed prior valida manet.

Forſan dubium oriri poterat ex eo, quod dominium rei promiſſæ in alium valide transferat promiſſor (§. 662.), & promiſſario tantummodo teneatur ad præſtandam æſtimationem (§ 661.). Videtur enim eodem modo ſubſiſtere poſſe promiſſio poſterior, prior per æſtimationis præſtationem adimplenda. Etenim quando rem tibi promiſſam alteri poſtea promittit, jus, quod in te tranſtulit, tibi auferre & in alium transferre vult id quod fieri nequit, quemadmodum ex demonſtrationibus propoſitionis præſentis manifeſtum eſt. In poſteriori autem caſu jus ad rem, quod acceptando conſecutus es, tibi non aufertur, dum jus in re, nempe dominium, quod nondum habes, in alterum transfert, & quod transferre poteſt, quando jus idem transferendi in alium ſibi ademtum noluit (§. 661. 662.),

§. 682.

Si quod bis promittitur, præſtari poſſit; promiſſio utraque valet. Patet per ſe: quia nil obſtat, quo minus utraque valeat. *Quando idem bis promittatur valide.*

Ex. gr. Promitto tibi duos aureos: poſtea totidem promitto Titio. Nil obſtat, quo minus Titio dem duos aureos, etiam ſi duos etiam dare cogar tibi. Dandi igitur ſunt duo aurei, & tibi, & Titio. Sunt nimirum duæ diſtinctæ promiſſiones, quarum una ab altera minime pendet. Ita ſi plura tibi fuerint exemplaria ejuſdem libri recenter impreſſi, pluribus etiam eundem promittere potes. Promittis enim unicuique aliquod exemplar, non ſingulis hoc exemplar. Unde ſi promiſiſti te daturum librum Titio, nil obſtat, quo minus etiam promittas Mævio te ipſi librum daturum.

§. 683.

In ſolidum teneri dicitur, qui quod pluribus præſtandum eſt, vel a pluribus, totum uni præſtare tenetur, vel ſolus. *In ſolidum teneri quid ſit.*

Ex. gr. Si ego Titio & Mævio conjunctim debeo decem aureos, eos vero omnes exigenti ſive Titio, ſive Mævio ſolvere teneor; in ſolidum teneor tam Titio, quam Mævio. Similiter ſi ego & Sempronius tibi debemus decem aureos, tu vero omnes vel a me, vel a Sempronio exigere poſſis, uterque noſtrum tibi in ſolidum tenetur.

§. 684.

Si quis unam eandemque rem uno eodemque actu pluribus conjunctim promittit; in ipſius arbitrio poſitum eſt, num in ſolidum ſingulis teneri velit, an nolit. Qui enim alteri quid dare promittit, is dominium ejus in ipſum transferre vult (§. 675. *part. 2. Jur. nat.*). Sed a domini unice voluntate pendet, quomodo dominium, vel jus quoddam ſuum in alterum transferre velit (§. 11.). Ergo etiam a promiſſoris voluntate unice pendet, conſequenter in ipſius arbitrio poſitum, quando unam eandemque rem uno eodemque actu pluribus conjunctim promittit, num in ſolidum ſingulis teneri velit, an nolit. *Unde naſcatur obligatio in ſolidum in promiſſione pluribus facta.*

Quando eadem res pluribus conjunctim promittitur, utrumque fieri poteſt, vel ut unusquiſque ſolus rem promiſſam exigere queat, vel ut jus exigendi non concedatur, niſi omnibus conjunctim, ac ubi res dividi poteſt, ſinguli exigere nequeant niſi ratam ſuam. Ex eo igitur, quod pluribus conjunctim eadem res promittatur, neceſſario minime ſequitur, promiſſorem ſingulis in ſolidum teneri. Quamobrem nonniſi arbitrii ipſius eſt, utrum ſingulis in ſolidum teneri velit, nec ne. Quamvis enim promiſſori perinde videri poſſit, ſive rem promiſſam det uni, ſive omnibus conjunctim, aut cuilibet partem ejus: rationes tamen ipſi eſſe poſſunt, cur uni dare nolit, quod pluribus conjunctim debetur, & ubi datum fuerit, inter ipſos dividendum, ut certius ſit unumquemque accipere quod ipſi debetur, vel accepturum eſſe.

Digitized by Google

§. 685.

Unde pateat, num ſingulis in ſolidum teneatur promiſſor.

Quoniam in promiſſoris arbitrio poſitum eſt, *quando eandem rem pluribus conjunctim promittit, num in ſolidum ſingulis teneri velit, an nolit* (§. 684.); quid horum velit, *dum promittit, ſufficienter indicare debet.*

Acceptando nimirum non plus juris acquirere poterunt promiſſarii, quam promiſſor in eos conferre vult (§. 382.). Promittendo pluribus conjunctim eandem rem, transfert quidem in eos conjunctim jus eandem a ſe exigendi (§ 361.); ſed an nonniſi conjunctim jus totam exigendi, an vero ſingulis competere debeat, inde nondum liquet, nec ſine ratione ſufficiente hoc, vel iſtud promiſſorem voluiſſe dici poteſt. Immo de voluntate promiſſoris non ſtatuendum eſt promiſſario, prouti ſibi viſum fuerit; ſed illud demum contra ipſum pro vero habetur, quod ſufficienter indicavit (§. 428.). Atque adeo ſatis patet, quam ſit neceſſarium, ut ipſe promiſſor declaret, quid fieri velit, quo de ipſius voluntate certior fiat promiſſarius.

§. 686.

Quando libertati promiſſoris relictum num ſingulis in ſolidum teneri velit.

Quoniam *promiſſor rem eandem conjunctim pluribus promittens* ſufficienter indicare debet, *num in ſolidum ſingulis teneri velit, an nolit* (§. 684.), conſequenter *an cuilibet, ubi res fuerit dividua, nonniſi pro parte teneri malit; ſi nihil horum ſufficienter indicet, libertati ſuæ relictum eſſe voluit, quidnam promiſſionem adimpleturus facere velit, ſaltem relictum eſſe debet.*

Promiſſio in caſu præſenti pluribus modis adimpleri poteſt, vel ut promiſſor uni eorum det totum, quod dare promiſit, quo facto ab eo conſequuntur ceteri quod ipſis debetur, vel ut det omnibus conjunctim, quemadmodum omnibus ſimul idem promiſit uno actu, vel ut unicuique det partem unam ſive eodem, ſive diverſis temporibus, quod perinde eſt. Quoniam quid horum fieri debeat a voluntate promiſſoris unice pendet (§. 684.), ſi ea de re, cum promitteret, nihil indicet; vel tacite ſibi reſervat, quid promiſſioni adimpleturo conſultum viſum fuerit, vel de eo, quando promittit, nondum cogitat. In caſu adeo priori promiſſor ſibi reſervavit, quid facere velit; in poſteriori id libertati ipſius eſt relinquendum. Prudenter faciunt promiſſarii, ſi promiſſionem acceptantes interrogent, num ſingulis in ſolidum teneri velit, an nolit, &, ubi ſingulis in ſolidum teneri noluerit, an unicuique, ſiquidem res dividua fuerit, partem dare velit, an omnibus ſimul præſentibus totum, quod promiſſum eſt, dare malit. Tum enim neceſſe eſt, ut promiſſor verbis declaret, ad quodnam horum obligatus eſſe velit, an vero ſibi reſervare malit, quid ſibi commodum viſum fuerit, quando promiſſio adimplenda.

§. 687.

Effectus promiſſionis, qua quis ſingulis in ſolidum tenetur.

Si, qui rem unam pluribus conjunctim promittit, ſingulis in ſolidum tenetur; ſi rem promiſſam uni dedit, ad nihil ceteris tenetur, obligatione tota peremta: qui autem totum accipit ceteris ſingulis pro rata tenetur. Si quis enim rem unam pluribus conjunctim promittit; is præter eam rem aliud nihil dare vult, neque ad plus dandum ſe obligatum eſſe vult. Quamobrem ſi eam dedit, promiſſum ſervavit (§. 430.), adeoque promiſſionem adimplevit, conſequenter cum ſatis fecerit obligationi ſuæ (§. 120. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ad nihil amplius dandum obligatus eſt. Quodſi in ſolidum ſingulis tenetur, unicuique eorum, quibus promiſſio facta eſt, totum dare tenetur, quod omnibus conjunctim dandum erat (§. 683.). Quamobrem ſi hoc fecerit, tota obligatio perimitur, nec ceteris ad quicquam tenetur. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam omnibus conjunctim debetur, quod promiſſum eſt, conſequenter unicuique nonniſi pars ejuſdem, ſi totum uni datur, dominium tranſit non in ſolum accipientem, ſed in ceteros ſimul omnes, ſeu in omnes conjunctim. Quamobrem cum accipiens habeat, quod ceterorum eſt, quin ceteris ſingulis pro rata teneatur dubitandum non eſt (§. 467. *part. 2. Jur. nat.*). *Quod erat alterum.*

Pro-

Promitto tibi, Sejo & Cajo triginta aureos conjunctim. Si vobis ſingulis in ſolidum teneor, non minus Sejo, vel Cajo, quam tibi triginta aureos dare teneor. Quodſi tibi eos dederim, ego Cajo & Sejo ad nihil amplius teneor, tu vero & Cajo, & Sejo ſolvere teneris decem aureos, & tam Cajo, quam Sejo competit jus decem aureos a te exigendi. Nimirum quod ubi do in hoc caſu, id vobis omnibus tanquam commune quid conjunctim dediſſe cenſendus ſum.

§. 688.

Jus eorum, quibus ſinguliſ in ſolidum tenetur promiſſor.

Si quis rem unam eandemque conjunctim promittit, ſingulis in ſolidum tenetur; unuſquiſque etiam eorum eandem totam exigere poteſt, ceteris inſciis, immo invitis. Etenim ſi promiſſor ſingulis, quibus conjunctim rem eandem promiſit, in ſolidum tenetur; cuicunque eorum quod promiſſum eſt exigenti totum dare tenetur (§. 683.), adeoque unicuique competit jus totum exigendi (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*). Quemobrem qui totum exigit, hoc jure ſuo facit, conſequenter idem ceteris inſciis, immo etiam invitis facere poteſt.

Ex gr. Promitto tibi, Cajo & Sejo trigint. aureos. Tibi competit jus eos exigendi omnes, perinde ac Cajo & Sejo. Quamobrem ſi eos exegeris tibi eos dare teneor, ſive Cajus & Sejus noverint, ſive minus. Similiter ſi in mora fuero, & tu expectare nolis, ad eos tibi ſolvendos me compellere potes, ſi vel maxime Cajus & Sejus expectare velint.

§. 689.

Jus ejus, qui ſibi reſervavit, num ſingulis in ſolidum teneri velit.

Si qui rem unam eandemque conjunctim promittit, ſibi reſervavit, num ſingulis in totum teneri velit, vel ſaltem libertati ejus hoc relictum eſt; ubi uni eorum totum, quod promiſit, dedit, ceteris ad nihil amplius tenetur: qui vero accepit, pro rata cuilibet tenetur, & ipſe dare poterit, ceteris inſciis, cuicunque voluerit. Oſtenditur eodem modo, quo idem oſtendimus, quando quis ſingulis in ſolidum tenetur (§. 687. 688.).

Nimirum quod ultimum attinet, mihi reſervavi dare totum, cuicunque voluero, adeoque non opus eſt, ut id fiat ceteris conſciis. Facit nimirum hoc denuo jure ſuo, adeoque nemini competit jus contradicendi.

§. 690.

Jus promiſſariorum, ſi ille in mora fuerit.

Si qui rem eandem conjunctim promittit, ſibi reſervavit, num ſingulis in totum teneri velit, vel ſaltem libertati ejus hoc relictum, fuerit autem in mora adimplendi promiſſionem; unicuique competit jus ceteris inſciis, immo invitis eum compellendi, ut partem, quæ ſibi debetur, det. Quoniam enim in mora eſſe non licet (§. 652.); ſi qui rem eandem pluribus conjunctim promittit, ſibi reſervat, num ſingulis in totum teneri velit, vel ſaltem libertati ejus hoc relictum fuerit, ſine mora is quod promiſſum eſt vel uni totum, vel ſingulis ratam ſuam dare debet. Quodſi hoc non fecerit, cum nemini competat jus totum, quod promiſſum eſt, exigendi, omnibus tamen conjunctim conveniat (§. 361.), quo ipſo jus ſingulorum ratam ſuam exigendi continetur; unuſquiſque etiam ceteris inſciis, immo invitis, illum compellere poteſt ad ratam ſibi dandam.

Nihil nimirum hic fit, quod ſit contra jus promiſſoris. Quando enim exigo partem mihi debitam, liberum adhuc ipſi eſt an eam ſolam, an totum debitum ſolvere velit, num malit ſolvere mihi, quam alii eorum, quibus conjunctim facta promiſſio. Nemo noſtrum moram indulgere tenetur (§. 653.), quilibet eam interpellare poteſt, inconſultis, immo invitis ceteris: neque enim unus in eo dependet a voluntate ceterorum, cum nihil hac interpellatione fiat contra jus alterius, adeoque unuſquiſque ſuum ſequi poſſit judicium (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 691.

Promiſſio multiplex quando uno actu fiat.

Si quis uno actu pluribus ſimul, ſed non conjunctim, vel rem unam, quæ pluries dari poteſt, vel unicuique rem diverſam promittit, tot ſunt promiſſiones diverſæ, quot perſonæ, quibus quid promittitur. Quoniam enim non omnibus conjunctim, ſed unicuique disjunctive quid promittit; ſatis declarat, ſe unicuique ſigillatim obligatum eſſe velle. Quamobrem ii, quibus quid promittitur, non amplius ſpectantur tanquam perſona una, conſequenter nec una, ſed multiplex intelligitur promiſſio, ut tot ſint promiſſiones diverſæ, quot perſonæ, quibus quid promittitur.

Ex gr. Si dico tibi, Cajo & Sejo præſentibus: unicuique veſtrum dabo decem aureos, vel tibi dabo quatuor, Cajo quinque, Sejo ſex; non omnibus conjunctim, ſed ſingulis ſigillatim quid promittitur, quia non unum idemque promittitur, ſed res diverſæ promittuntur. Decem enim aureos, quos promitto tibi, eoſdem non promitto Sejo, nec Cajo, ſed alios decem Sejo, alios decem Cajo. Idem manifeſtius eſt in caſu altero, quo tibi quatuor, Cajo quinque & Sejo ſex aurei promittuntur. Promiſſio itaque tibi facta nullum reſpectum involvit ad ceteras; ſed perinde eſt ac ſi tibi ſoli decem, vel quatuor aurei fuiſſent promiſſi. Quamobrem nemo veſtrum exigere poteſt niſi quod ſuum eſt, ceteris inconſultis ac invitis vi libertatis naturalis (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*), quæ ſimultanea promiſſione vobis facta nullo modo reſtringitur, & vi juris, quod unusquisque citra reſpectum ad jus alterius conſecutus.

§. 692.

Correi promittendi, debendi, ſtipulandi & credendi.

Si duo vel plures ſimul eandem rem promittant uni, vel pluribus conjunctim, ita ut ipſi ſinguli teneri velint in ſolidum; *correi promittendi*, & quatenus eandem rem uni, vel pluribus in ſolidum debent, *correi debendi* dicuntur. Similiter ſi pluribus conjunctim promittitur res eadem, ita ut ſingulis in ſolidum teneatur promiſſor, qui ita ſibi promitti ſtipulati ſunt, *correi ſtipulandi*, aut ubi hoc modo pluribus conjunctim ultro eadem res promiſſa, vel ex alia cauſa iiſdem debetur, ii *correi credendi* appellantur.

Termini hi uſitati ſunt in Jure Romano, adeoque hic explicandi ob rationes, quas alibi diximus. Ex. gr. Si ego tibi promitto decem aureos, & eoſdem decem aureos quoque Cajo, cum velim tibi & Cajo teneri in ſolidum, ut mihi perinde ſit, a quonam exigantur, vel liberum eos ſolvere, cui viſum fuerit, tu & Cajus eſtis correi ſtipulandi, ſi a me ita vobis illos promitti petiiſtis, vel correi credendi, ſi ego vobis ultro promiſi. Aſt ſi ego & Mævius ſibi promittamus eoſdem decem aureos, ita ut uterque noſtrum tibi teneri velit in ſolidum, conſequenter tu eoſdem ſive a me, ſive a Mævio exigere poſſis, prouti viſum fuerit; ego & Mævius ſumus correi promittendi, & quatenus eandem rem tibi debemus, correi debendi. Atque adeo patet, duos reos vel plures correos non conſtitui, niſi ubi ſinguli eandem rem in ſolidum debent, aut etiam ipſis eadem res in ſolidum debetur.

§. 693.

Ejuſdem rei promiſſione pluribus conjunctim facta num conſtituantur correi.

Si quis unam eandemque rem uno eodemque actu pluribus conjunctim promittit, ea ſola de cauſa non conſtituuntur correi ſtipulandi, vel credendi. Etenim ſi quis unam eandemque rem uno eodemque actu pluribus conjunctim promittit, in ipſius arbitrio poſitum eſt, num in ſolidum ſingulis teneri velit, an nolit (§. 684.). Sed duo rei ſtipulandi, vel debendi non conſtituuntur, niſi ſingulis in ſolidum teneri velit promiſſor (§. 692.). Ergo ea ſola de cauſa non conſtituuntur duo vel plures correi ſtipulandi, aut credendi, quod ipſis uno eodemque actu conjunctim res una eademque fuit promiſſa.

Ex. gr. Si tibi ac Mævio dico: dabo vobis decem aureos, ex eo ſolo nondum intelligitur, velle me, ut uterque veſtrum illos in ſolidum a me exigere poſſit; ſed libertati potius meæ

reli-

relictum eſt, utrum tibi quinque & Mævio quinque dare velim, an uni veſtrum decem reddituro deinde quinque alteri (§. 686.). Non igitur vos conſtitui correos ſtipulandi, vel credendi; ſed liberum mihi eſt, an pro correis habere velim, an nolim. Si enim correi eſſe debetis, ſufficienter indicandum eſt, me utrique veſtrum in ſolidum teneri velle (§. 685.). Neque dici poteſt, vos eſſe correos ſtipulandi, vel debendi, ſi vel maxime utrique veſtrum promiſi rem eandem individuam, veluti ſcyphum argenteum, qui, ubi eum dedero, erit vobis communis. Ex eo enim nondum intelligitur, velle me ut unus ſolus eundem exigere poſſit, quoniam etiam velle poſſum ut nonniſi ambobus præſentibus eum dare tenear, vel ut is nonniſi ab ambobus ſimul exigi poſſit. Nullum enim hinc ſequi abſurdum, patet exinde, quod moram interpellare poſſit unus ſolus, altero etiam invito, ſi in ea fuerim (§. 690.): quo in caſu mihi integrum eſt, an tibi ſoli eum dare velim pro parte dimidia alteri ſatisfacturo, an nolim, ſed alterius conſenſum ante requirere malim, quam dem. Iterum nemo nobis vitio vertet, quod correorum definitionem demum tradamus, ubi jam demonſtratum fuit, quod de iis tenendum. Quoniam enim methodi non minus analyticæ, quam ſyntheticæ rationem habere volumus, ut utrique adſueſcant lectores, analytica vero methodo ante detegendæ ſint res, quam iiſdem nomina imponantur; ideo conſultum ducimus, ſubinde exponi res, antequam nominibus a ſe invicem diſcernantur; quo ipſo etiam definitionum nominalium realitas patet.

§. 694.

Effectus conſtitutionis correorum.

Correorum promittendi vel debendi unus, ſi promiſſionem adimplet, vel debitum ſolvit, ceteros ab obligatione ſua liberat. Et correorum ſtipulandi vel credendi unus, ſi quod promiſſum eſt, vel debetur, accipit, promittendi vel debendi reum ab obligatione ſua liberat. Si enim fuerint duo, vel plures correi promittendi, vel debendi, quilibet eandem rem in ſolidum debet (§. 692.), adeoque ab eo etiam ſolo totum, quod debetur, dari poteſt (§. 683.). Enimvero quoniam promiſſarius vel is, cui quid debetur, nullum habet jus exigendi, niſi quod debetur, neque correi promittendi, vel debendi niſi ſemel rem promiſſam, vel debitum dare tenentur, quod per ſe patet; ſi unus correorum promiſſionem adimplet, adeoque rem promiſſam dat (§. 430.), vel quod debetur totum ſolvit; jus omne promiſſarii vel ejus, cui quid debetur, extinguitur, conſequenter nec alius ad id dandum, quod jam habet, obligatur. Unus itaque correorum promittendi, vel debendi, ſi promiſſionem adimplet, vel totum, quod debet, ſolvit; ceteros ab obligatione ſua liberat. *Quod erat unum.*

Similiter ſi correi vel credendi fuerint plures, cuilibet eorum promiſſor, vel qui quid debet, in ſolidum tenetur (§. 692.), adeoque ab uno ſolo quod promiſſum vel debetur exigi poteſt (§. 683.). Enimvero quoniam promiſſor, vel debitor nonniſi ſemel rem eandem debet; ſi uni totum, quod promiſſum eſt, vel debetur, dat, nihil amplius ab eo exigi poteſt. Quoniam itaque obligationi ſuæ ſatisfecit (§. 120. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ab eadem liberatur. *Quod erat alterum.*

Atque adeo patet, quomodo ex definitione correorum demonſtrari poſſit, quod independenter ab eadem etiam demonſtrari poteſt, & antea quoad partem poſteriorem propoſitionis præſentis demonſtratum fuit (§. 687.). Poteramus adeo terminis iſtis prorſus carere, niſi intenderemus, ut per ea, quæ a nobis demonſtrantur, tanto facilius pateat conſenſus Juris naturæ cum Jure Romano, vel ab eodem diſſenſus, quemadmodum jam ſupra in caſu ſimili monuimus.

§. 695.

Effectus promiſſionis ejuſdem rei pluribus, ut ſinguli in ſolidum teneantur.

Si plures ſimul eandem rem nonniſi ſemel dandam tibi promittant, ita ut quilibet eorum in ſolidum teneatur; tibi eſt jus eam exigendi a quocunque volueris, & ubi is eam dedit, ceteri ab obligatione ſua liberantur. Etenim ſi plures ſimul eandem rem ita promittant, ut quilibet eorum in ſolidum teneatur; unuſquiſque in te transfert jus eam totam a ſe exigendi (§. 683.). Quoniam tamen non niſi ſemel danda *per hypoth.* libertati tuæ relictum eſt, a quonam eam exigere velis. Tibi adeo competit jus eam exigendi a quocunque volueris. *Quod erat unum.*

Quo-

Digitized by Google

Quoniam vero qui ſimul eandem rem, nonniſi ſemel dandam, tibi ita promittunt, ut in ſolidum ſinguli teneri velint, ſunt correi promittendi (§. 692.), ſi vero correorum promittendi unus rem promiſſam totam dat, ſeu promiſſionem adimplet, ceteri ab obligatione ſua liberantur (§ 694.); ſi plures ſimul eandem rem, nonniſi ſemel dandam, tibi ita promittunt, ut in ſolidum ſinguli teneri velint, & unus adimplet promiſſionem, ceteri ab obligatione ſua liberantur. *Quod erat alterum.*

Oſtenditur etiam ſine definitione correorum hoc modo. Si tibi plures eandem rem nonniſi ſemel dandam promittunt, etiamſi ſinguli in ſolidum teneantur, non tamen niſi ſemel eandem exigere vales: quod per ſe patet. Quamobrem ſi unus dedit totum, quod promiſſum eſt, ceteri tibi nihil amplius debent, adeoque ab obligatione ſua liberantur omnes, quando unus promiſſionem adimplet.

Inutile videri poterat a pluribus promitti, quod nonniſi ab uno præſtiri neceſſe eſt, cum quilibet eorum ad id præſtandum tibi perfecte obligetur (§. 363.). Quamobrem etſi ex propoſitione præſenti jam eluceſcat aliqua utilitas, nimirum ut, ſi plures fuerint rei debendi, ab eo quod promiſſum eſt vel debetur exigere poſſis, a quo idem ſcilicet te conſecuturum ſperas; quoniam tamen hæc non eſt utilitas unica, ſequentes adhuc addere lubet propoſitiones.

§. 696.

An uno correorum debendi excuſſo alterum excutere liceat.

Si ab uno correorum promittendi, vel debendi accipere non potes, quod fuerat promiſſum, vel debebatur; alterum adhuc compellere licet, ut promiſſionem adimpleat, vel debitum ſolvat, & ſi ab uno non totum conſequi potes, quod promiſſum, vel debetur, partem reſiduam ab altero excutere licet. Quilibet enim correorum promittendi, vel debendi tibi in ſolidum tenetur (§. 692.), conſequenter quod præſtandum præſtare debet (§ 683.), adeoque tu vi compellere potes ad præſtandum quemlibet; nec ante liberantur ceteri ab obligatione ſua, quam ab uno eorum fuerit totum illud præſtitum, quod præſtari debebat (§. 694.). Quodſi ergo contingat te fruſtra compellere unum ad præſtandum, quod præſtandum erat, cum præſtare non poſſit; quia tibi etiam ceteri in ſolidum tenentur, ideo eorum quemvis ad præſtandum id, quod præſtari debet, adigere vi licet. Patet itaque ſi ab uno correorum promittendi, vel debendi accipere non potes, quod fuerat promiſſum, vel debebatur, alterum adhuc compelli poſſe; ut promiſſionem adimpleat, vel debitum ſolvat. *Quod erat unum.*

A quo totum, quod debetur, exigere licet, ab eo etiam partem debiti quin exigere liceat, nemo eſt qui dubitet. Quamobrem cum a quolibet correorum totum exigere poſſis quod promiſſum, vel debetur (§. 692. 695.), quamlibet quoque ejus partem a quolibet eorum exigendi tibi jus eſt (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo ab uno totum, quod debetur conſequi non potes, quod promiſſum, vel debetur, partem reſiduam ab altero, vel alio correorum exigere licet. *Quod erat alterum.*

Apparet adeo ſecuritati rei ſtipulandi, vel credendi magis proſpici, ſi promittendi, vel debendi correi conſtituantur, cum certior ſit ſpes a pluribus, quod promiſſum eſt, vel debetur, conſequendi, quam ab uno. Atque hæc potiſſima ratio eſt, cur plures correi promittendi, vel debendi conſtituantur: id quod ſuo loco clarius eluceſcet, quando de contractibus in ſpecie ſumus acturi. Ne vero obſcuritatis quicquam ſupereſſe videatur in eo, quod partem exigere liceat ab eo, qui totum debet; probe perpendendum eſt, correos, etſi unuſquiſque in ſolidum teneatur (§. 692.), adeoque totum debitum ſolvere debeat (§. 683.), omnes tamen ſimul non debere niſi ad ſimplicem ſolutionem totius debiti, atque adeo eandem exigi poſſe ſicuti ab uno, ita etiam ab omnibus ſimul, nec extingui obligationem omnium, quamdiu totum, quod debetur, non fuerit ſolutum. Ex. gr. ſi ego, Mævius & Sempronius mille aureos tibi debemus, me compellere potes ſolum ad mille aureos ſolvendum. Quodſi non ſolverem niſi trecentos, cum plures dare non poſſim, perinde eſt, ac ſi nos omnes ſimul trecentos tibi aureos ſolviſſemus, conſequenter quilibet adhuc noſtrum tenetur ad ſolvendum ſexcentos. Hos cum exigere poſſis a quolibet noſtrum; poteris omnino Mævium adigere ad ſolvendum ſexcentos, qui tibi adhuc debentur. Et eodem modo patet, ſi hic dare non poſſit niſi quadringentos,

tos, reſiduos ducentos a Sempronio exigi poſſe: quos ubi obtinueris, cum nihil amplius reſtet, quod tibi debeatur, tum demum omnes ab obligatione noſtra ſumus liberati. Quamdiu autem debitum totum nondum tibi fuerit ſolutum, omnes quoque tibi manemus obligati, & ſinguli de parte debiti reſidua tenemur in ſolidum, eodem prorſus modo, ac ſi initio debitum totum in hac parte conſtituiſſet.

§. 697.

Si unus correorum promittendi, vel debendi, promiſſionem totam ſolus adimplet, vel debitum totum ſolus ſolvit; ceteri correi ipſi in nihil tenentur. Correi enim promittendi, vel debendi ſinguli in ſolidum tenentur promiſſario, ſeu ei, cui quid debetur, ad eandem rem dandam, vel ad totum quod promiſſum eſt, præſtandum, ſeu totum debitum ſolvendum (§. 692.). Ex eo autem, quod unusquiſque obligetur promiſſario ad totum illud præſtandum quod promiſſum eſt, minime ſequitur, unum quoque alteri ad aliquid præſtandum teneri, ſiquidem ipſe ſolus totum præſtare debuerit, cum a voluntate promittentis naſcatur obligatio (§. 12.), nullus vero correorum alteri quid promiſit, dum eandem rem promiſſario ita promiſit, ut eidem in ſolidum teneri velit, adeoque etiam nullus alteri ſe ad aliquid præſtandum obligavit, ſiquidem is ſolus quod promiſſum præſtiterit (§. 363.). Quamobrem ſi unus correorum promittendi, vel debendi promiſſionem totam ſolus adimplet, vel debitum totum ſolus ſolvit, ceteri correi ipſi in nihil tenentur. *An correi promittendi ſibi invicem teneantur.*

Quæritur hic, quid naturaliter obtineat, non quid jure civili conſtitutum ſit, vel conſtitui poſſit. Neque dici poteſt hoc eſſe æquitati adverſum, ut, qui totum ſolvit, non habeat regreſſum ad correos, quo ſolvant partes pro ipſis ſolutas. Etenim ſi ſolus promittis & quod promiſſum eſt præſtare teneris; ecrur non æquitas poſtulat, ut alii tibi ad aliquid reddendum obligati ſint, etſi tibi hoc nomine obligati eſſe noluerint? Quando vero plures correi promittendi conſtituuntur, ex parte ipſorum perinde eſt, ac ſi unus tantummodo rem promiſſam promiſiſſet, aut ſub conditione partem aliquam, ſi reliquam ab alio acceperit. Æquitati potius repugnare dicendum eſt, ſi quid alteri quis dare cogeretur, ad quod dandum eidem ſeſe non obligavit. Hinc tamen minime conſequitur, iniquum eſſe jus civile, ſi aliter diſponat. Lege enim civili imponi poteſt obligatio, ubi nemo ſeſe alteri obligavit, lege naturali non invita, prouti ſuo loco demonſtraturi ſumus.

§. 698.

Convenire inter ſe dicuntur, qui una idem decernunt. Unde *Conventio* eſt actus, quo duo vel plures idem decernunt. *Conventio quid ſit.*

Patrio ſermone dicimus: mit einander eines werden, quaſi ex duabus vel pluribus volitionibus efficiatur una. Cum enim decretum conſiſtat in determinatione voluntatis ad aliquid agendum, vel non agendum (§. 497 *part.* 1. *Theol. nat.*); quando duo vel plures inter ſe conveniunt, idem agendum, vel non agendum eſſe decernunt, atque adeo omnes voluntatem ſuam ad idem, ſeu in eandem contradictionis partem determinant, ut a pluribus voluntatibus non proficiſcatur niſi volitio una, non ſecus ac ſi actus iſte volendi ex eadem, ſeu una tantummodo voluntate elicitus fuiſſet. Idem eodem modo intelligitur de nolitione, ſiquidem pars negativa decernitur. *Ulpianus* l. 1. §. 3. ff. de pact. Conventionis, inquit, verbum generale eſt, ad omnia pertinens, de quibus negotii contrahendi tranſigendique cauſa conſentiunt, qui inter ſe agunt: nam ſicuti convenire dicuntur, qui ex diverſis locis in unum colliguntur & veniunt, ita & qui ex diverſis animi motibus in unum conſentiunt, id eſt, in unam ſententiam decurrunt. Ex hiſce ſatis intelligitur, nos vocabulo in definitione noſtra tribuiſſe ſignificatum receptum.

§. 699.

Quoniam qui inter ſe conveniunt idem decernunt (§. 698.), dum autem idem decernunt, voluntatem ad idem determinant, unusquiſque nempe ſuam §. 497. *part.* 1. *Conſenſus conventionis inhærens.*

Qui igitur accurate dijudicare voluerit, undenam hoc, vel illud ſit; is ſingulos probe perpendere debet, quales ſint in ſe & quid ab iisdem pendeat.

§. 702.

Quomodo obligatio in conventione naſcatur.

Conventiones obligant, quatenus promiſſionem continent. Etenim ex promiſſione naſcitur obligatio (§. 393.). Etſi adeo conventiones per ſe non obligent (§. 701.); obligare tamen debent, quatenus continent promiſſionem.

Ita paulo ante vidimus, in contractu emtionis venditionis ex eo, quod de pretio conventum ſit, non oriri obligationem pretium ſolvendi, ſed ex promiſſione dandi pretium, ut venditor det rem.

§. 703.

Quando conventioni inſit promiſſio.

Qui inter ſe conveniunt, ut unus eorum alteri, vel ambo ſibi invicem ad quid præſtandum obligentur; eorum unus alteri quid præſtare promittit, vel ambo ſibi invicem quid præſtare promittunt. Qui enim inter ſe conveniunt, ut unus eorum alteri ad quid præſtandum obligetur, illi una decernunt, ab uno alteri quid præſtandum eſſe (§. 698.), conſequenter unus eorum indicat, velle ſeſe alteri quid præſtare, & in alterum jus transferre hoc a ſe exigendi, alter vero indicat, velle ſeſe, ut idem ſibi præſtetur (§. 497. *part. 1. Theol. nat.*), & §. 236 *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ille igitur ſe quid præſtiturum promittit (§. 361.); hic vero promiſſum acceptat (§ 2.). Patet itaque ſi qui inter ſe conveniunt, ut unus eorum alteri ad quid præſtandum ſit obligatus, eorum unum alteri quid promittere. Eodem prorſus modo liquet, ſi qui inter ſe conveniunt, ut ambo ſibi invicem ad quid præſtandum obligentur, ambos ſibi invicem promittere, quod unus alteri quid ſit præſtiturus.

Si inter nos convenit, quod tibi dare debeam quinque aureos, ego quinque aureos tibi promitto. Et revera ex promiſſione naſcitur obligatio quinque aureos tibi dandi. Non opus eſt, ut qui inter ſe conveniunt, ut unus eorum alteri obligetur, expreſſis verbis dicant, unum eorum alteri obligatum eſſe debere: ſufficit enim verbis declarare animum ſuum, quæ obligationem inferunt. Quod vero hic demonſtramus, conveniens eſt ei, quod ſupra evicimus, neminem ſeſe alteri perfecte obligare poſſe niſi promittendo (§. 393.). Quotieſcunque igitur a voluntate tua proficiſcitur obligatio, perfecta nimirum, de qua hic ſermo eſt; actum promiſſionis adeſſe deprehendes; ſiquidem penitius in eum inquirere volueris, actum nimirum obligatorium, quo obligatio inducitur (§ 551. p. 1. *Phil. pract. univ*), in ſuos ſimplices reſolvendo. Quodſi cuidam dubium oriatur, quod in Jure Romano obligationes contrahi dicantur, non ſolum verbis, quemadmodum fit in promittendo, verum etiam re & conſenſu; is monendus eſt, ſuo loco nos oſtenſuros etiam in iis caſibus obligationem a promiſſione tanquam fonte derivari: quod adeo verum eſt, ut idem etiam ad eas obligationes extendatur, quæ ex quaſi contractu naſcuntur.

§. 704.

Num obligatio ſit valida, quando de ea convenit.

Qui inter ſe conveniunt, ut unus alteri ad aliquid præſtandum obligetur; obligatio valida eſt. Si qui enim inter ſe conveniunt, ut unus alteri ad aliquid præſtandum obligetur; qui alteri ad quid præſtandum obligatus eſſe vult, is eidem ſeſe quid præſtiturum alteri promittit (§. 703.). Enimvero promiſſor promiſſario perfecte ſeſe obligat (§. 363.), & promiſſum ſervare (§. 431.), adeoque præſtare tenetur, quod ſe præſtiturum promiſit (§. 430.), conſequenter obligatio ipſius valida eſt. Valida igitur etiam eſt obligatio, ſi qui inter ſe conveniunt, ut unus alteri ad aliquid præſtandum obligetur.

Oſtenditur etiam hoc modo. Qui inter ſe conveniunt, ut unus alteri ad quid præſtandum obligetur, iidem conſentiunt, ut unus alteri ad quid præſtandum obligatus (§. 699.). Enimvero homines ad dandum & faciendum, conſequenter ad

Digitized by Google

ad quid præſtandum (§. 80.), ſeſe ſibi invicem obligare poſſunt mutuo conſenſu (§. 357.). Ergo ſi qui inter ſe conſentiunt, ut unus alteri ad quid præſtandum obligetur; is huic ad præſtandum obligatur, adeoque valida eſt obligatio.

Forſan dubium ex collatione harum demonſtrationum orietur, quaſi etiam ſine promiſſione unus alteri obligari poſſit, nimirum ea conſenſu. Enimvero ſi demonſtrationem de obligatione ex conſenſu orta (§. 357.) cum definitione promiſſionis (§. 361.) conferre volueris; facile animadvertes, verbis vel factis, quibus mutuus conſenſus de dando & faciendo declaratur, ineſſe promiſſionem.

§. 705.

Quando correi promittendi ſibi invicem teneantur.

Si duo correi promittendi, vel debendi inter ſe conveniant, ut qui ſolus ſolverit totum, ſeu quod promiſſum erat unus præſtiterit, alteri de parte dimidia teneatur; de ea ſibi invicem tenentur. Et idem valet de pluribus. Etenim ſi qui inter ſe convenerint, ut unus alteri ad aliquid præſtandum obligetur, obligatio valet (§. 704.), adeoque etiam valet, ſi duo correi promittendi, vel debendi inter ſe conveniant, ut, qui ſolus totum ſolverit, vel promiſſionem adimpleverit, alteri de parte dimidia teneatur, conſequenter ſibi invicem de parte dimidia tenentur. Et idem eodem modo intelligitur de pluribus.

Alia eſt ratio correorum ſtipulandi, vel credendi; alia correorum promittendi, vel debendi. Ibi enim obligatio dandi ratam alteri in eo, qui accepit ſolus, quod debebatur omnibus conjunctim, non deſcendit ex eorum voluntate, quemadmodum in his reſtituendi ratam ei, qui ſolus dederit, prouti ex demonſtratione ſuperiori elucet (§. 687.).

§. 706.

An ex duobus rebus promittendi unus pure, alius in diem vel ſub conditione promittere poſſit.

Si plures correi promittendi conſtituantur, unus pure, alius in diem, alius ſub conditione quacunque obligari poteſt. Promiſſionem modo fieri poſſe pure, verum etiam in diem vel ſub conditione quacunque, per ſe patet & ex anterioribus abunde manifeſtum eſt. Neque quicquam obſtat, quo minus, ſi plures eandem rem in ſolidum promittant, alius pure, alius in diem, alius ſub conditione quacunque promittat: id quod denuo per ſe patet. Enimvero ubi unus eandem rem tibi pure, alius in diem, alius ſub conditione quacunque promittit in ſolidum, ſinguli adhuc eandem rem in ſolidum promittunt. Quamobrem ſi unus pure, alius in diem, alius ſub conditione quacunque eandem rem promittat, cum correi promittendi per hoc conſtituantur, quod ſinguli eandem rem in ſolidum promittant (§. 692.), erunt qui ita promittunt omnino correi promittendi.

A promiſſoris voluntate unice pendet, utrum pure, an in diem, vel ſub conditione quacunque tibi promittere voluerit. Quamvis adeo promiſſario magis conſultum foret, ſi correi promittendi ſinguli pure promitterent, prouti ex propoſitione ſequente apparet, & ex ſupra demonſtratis haud difficulter colligitur; cum tamen ipſi acquieſcendum ſit in voluntate promittentium, nec ultra eandem quenquam eorum ſibi obligare poſſit (§. 392.), eo contentus eſſe debet jure, quod ex tali promiſſione conſequi poteſt.

§. 707.

Jus promiſſariis ab ejusmodi correis acquiſitum.

Si unus correorum pure, alius in diem, vel ſub quacunque conditione promiſerit; ab eo qui promiſit in diem, nil exigi poteſt, antequam dies venerit, nec ab eo, qui ſub quacunque conditione promiſit, antequam conditio extiterit; ab eo tamen, qui pure promiſit, ſtatim quod promiſſum eſt omne exigi poteſt. Quoniam quod in diem promittitur exigi non poteſt, niſi die iſto præterlapſo (§. 501.),

adeo-

Digitized by Google

adeoque exigi nequit, antequam dies venerit; a correo promittendi, qui nonniſi in diem promiſit, nil exigi poteſt, antequam dies venerit. Similiter quia quod ſub conditione quacunque promittitur, cum non ante conſtet num valida ſit promiſſio, quam certum ſit conditionem extare (§. 467.), nec promiſſor ante promiſſionem adimplere teneatur (§. 468.), non ante exigi poteſt, quam certum ſit, conditionem extare; a correo promittendi nil exigi poteſt, antequam conditio extiterit, vel eam extare certum ſit. Enimvero quoniam obligatio unius correi non dependet ab ea alterius (§ 851. *Ontol.*), utpote cum unuſquiſque propria ſua voluntate ſeſe alteri obligaverit eodem prorſus modo, ac ſi ab aliis eadem res non fuiſſet promiſſa; quod ea ab uno exigi non poſſit, antequam dies aliqua venerit, ab alio autem non poſſit exigi, antequam conditio aliqua extiterit, hoc minime obſtat, quo minus, qui pure promiſit, teneatur ex promiſſione ſua, adeoque ad eam adimplendam compelli poſſit, antequam dies, in quem promiſit alius, venerit, vel conditio, ſub qua promiſit alius, extiterit, præſertim cum in arbitrio promiſſarii, cui ſinguli in ſolidum tenentur (§. 692.), poſitum ſit, a quonam id, quod promiſſum eſt, exigere velit (§. 695.). Quamobrem ab eo, qui pure promiſit, ſtatim quod promiſſum eſt omne exigere poteſt, etiamſi dies, in quem promiſit alius, nondum venerit, vel conditio, ſub qua alius promiſit, nondum extet.

Si plures fuerint correi debendi, tot ſunt diverſæ obligationes, quot ſunt correi, cum ſinguli tibi teneantur in ſolidum ex propria promiſſione (§. 692.), ad nihil vero ex eo, quod alius vel alii eandem rem in ſolidum tibi promiſerint. Tenetur quilibet correorum eodem prorſus modo, ac ſi alius præterea eandem tibi in ſolidum non promiſiſſet. Quatenus vero obligationes iſtæ nonniſi unam eandemque rem continent, quæ nonniſi ſemel peti poteſt, reſpectu promiſſarii non habentur niſi pro una. Vides adeo obligationem correorum, promittendi alio reſpectu eſſe unam, reſpectu nimirum promiſſarii; alio autem eſſe multiplicem, reſpectu nimirum ipſorummet correorum. Unde porro patet, quandonam de obligatione correorum ratiocinandum ſit tanquam de una eademque, quandonam vero tanquam de pluribus diverſis. Similiter jus promiſſarii id, quod debetur, exigendi ſpectatur tanquam unum reſpectu ejus, quod debetur, quippe quod nonniſi ſemel accipi poteſt. idem vero etiam ſpectatur tanquam multiplex reſpectu correorum debendi. Unde denuo liquet, quandonam de eodem ratiocinandum ſit tanquam de eodem, quandonam tanquam de multiplici. Atque hæc ſunt principia analytica ad id, quod ex obligatione correorum & jure ejus, qui eos ſibi obligatos habet, conſequitur, inveſtigandum utilia. Erunt forſan nonnulli, qui inutilem exiſtimaturi ſunt promiſſionem ejus in diem, vel ſub conditione, quod ab eo, qui pure promiſit, ſtatim exigi poteſt, etiam antequam dies iſte venerit, & ſi conditio non extiterit. Enimvero cum fieri poſſit, ut qui correorum pure promiſit, ſolvendo non ſit, aut totum debitum ſolvere non poſſit; non inutile eſt, ſi alius adhuc vel in diem, vel ſub conditione tibi adhuc obligetur. Similiter ſi ab illo diffi ilius fuerit exactio, id quod non una de cauſa accidere poteſt, præſtat alium adhuc ſibi obligatum habere vel in diem, vel ſub conditione. Quoniam neminem fore arbitror, qui monitus hanc utilitatem non perſpiciat, non opus eſt, ut de ea apertius dicatur.

§. 708.

Si unus tibi rem quandam promittit, & alius nonniſi partem ejus, ſive ſub ea conditione, ſi qui totam promiſit, promiſſionem non adimpleverit, vel totam non adimpleverit, ſive ſimpliciter ſeu pure, ita tamen ut quoad hanc partem in ſolidum teneri velit; duæ ſunt diverſæ promiſſiones, & a promiſſore partis pars exigi nequit in caſu priori, niſi excuſſo promiſſore totius; in caſu autem poſteriori pars a te exigi poteſt, promiſſore totius nondum excuſſo. Etenim ſi unus tibi rem quandam promittit, & alius nonniſi partem ejuſdem, promiſſio partis & promiſſio totius non modo ſunt duæ diverſæ promiſſiones reſpectu promittentium, quorum unuſquiſque ex ſua promiſſione tenetur; verum etiam reſpectu objecti, ſeu ejus, quod promittitur, cum utique aliud ſit promittere totum, aliud promittere partem. Quamobrem cum neque reſpectu promittentium, neque reſpectu rei promiſſæ haberi poſſint pro una; immo ſi rem promiſſam concipias tanquam

divi-

diviſam in duas partes, quarum una non niſi ab uno, altera vero a duobus conjunctim promittitur, cum aliud ſit promitti partem aliquam ab uno ſolo, & aliam a duobus conjunctim, ita ut unusquiſque de hac in ſolidum teneri velit; erunt etiam hoc reſpectu duæ diverſæ promiſſiones. *Quod erat primum.*

Quodſi promiſſor partis eam ſub hac conditione promiſit, niſi alter promiſſionem totam adimpleverit; cum promiſſio conditionata non ante adimplenda ſit, quam certum ſit, conditionem poni (§. 468.), hoc vero certum eſſe minime poſſit, niſi promiſſore totius excuſſio; a promiſſore partis nil exigi poteſt, niſi promiſſore totius excuſſo. *Quod erat alterum.*

Denique ſi tu partem ejuſdem promiſiſti ſimpliciter, quod alter totum promiſit, nec ſub ea conditione, ſi promiſſor totum non præſtiterit, ita tamen ut quoad hanc partem in ſolidum ipſi teneri velis, cum tu & alter quoad hanc partem promiſeritis rem eandem nonniſi ſemel dandam, quando vero plures eandem rem nonniſi ſemel dandam tibi ita promittunt, ut quilibet eorum in ſolidum teneatur, tibi jus ſit eandem exigendi, a quocunque volueris (§. 695.); pars a te exigi poteſt, promiſſore totius nondum excuſſo. *Quod erat tertium.*

Ex. gr. petis a me & Cajo, ut tibi conjunctim promittamus eosdem decem aureos. Ego tibi promitto decem, ita ut in ſolidum teneri velim; ſed Cajus non promittit niſi partem dimidiam, ita ut nonniſi in quinque teneri velit. Ego igitur & Cajus tibi tenemur in quinque, unusquiſque in ſolidum, ac præterea ego in quinque ſolus. Tu igitur quinque vel a me, vel a Cajo exigere potes, prouti tibi viſum fuerit; aſt reliquos quinque nonniſi a me. Alia itaque promiſſio eſt eorundem quinque aureorum, quos tam ego, quam Cajus in ſolidum debemus, alia promiſſio quinque aureorum, quos ego ſolus debeo. Vel Cajus quinque aureos tantummodo promittit ſub ea conditione, ſi ego non ſolverem decem. Alia igitur eſt promiſſio mea pura decem aureorum, alia promiſſio Caji ſub conditione decem a me non ſolutorum facta. Hic non tenetur tibi ſolvere quinque, niſi ubi decem, adeoque hos etiam quinque ego non ſolverim.

§. 709.

Qui in ſubſidium promiſit ad quid teneatur.

Si in hypotheſi propoſitionis præcedentis indefinite alter promiſerit id, quod ſolvere non potuerit qui ſe in ſolidum obligavit; promiſſio conditionata eſt, nec ab eo quid exigi poteſt, niſi excuſſo promiſſore altero, &, ſi hic nihil ſolvere poſſit, in ſolidum ipſe tenetur. Etenim ſi quis alteri rem quandam promittit, & tu promittis id, quod dari ab altero non poteſt; nonniſi ſub hac conditione promittis, ſi alter totum, quod promiſit, dare non poſſit, adeoque conditionata eſt promiſſio tua (§. 462.). *Quod erat primum.*

Quoniam itaque promiſſionem conditionatam promiſſor adimplere non tenetur, quam certum ſit conditionem poni (§. 468.), hoc vero in hypotheſi propoſitionis præſentis conſtare non poteſt, niſi promiſſore principali excuſſo, immo antequam eum excuſſeris, conſtare nequit, quid a te ſit exigendum, cum tu tenearis in id, quod alter ſolvere nequit (*per hypoth.* & §. 431.); evidens eſt, nihil a te exigi poſſe, niſi promiſſore principali excuſſo. *Quod erat ſecundum.*

Denique quoniam te obligaſti ad ſolvendum id, quod ſolvere nequit promiſſor principalis; totum omnino ſolvere debes, ubi is nihil ſolvere poteſt. Quamobrem cum in ſolidum teneatur, qui totum, quod debetur, ſolus ſolvere tenetur (§. 683.); ſi promiſſor principalis nihil ſolvere potuerit, tu in ſolidum teneris. *Quod erat tertium.*

Exemplum paulo ante datum (*not.* §. 708.) mutatis mutandis facile huc applicatur, ut adeo in re facili prolixiores eſſe minime debeamus.

§. 710.

An correus conſtitui poſſit pro.

Si unus quid promittit tibi & alius nonniſi certam ejus partem, ita ut quoad hanc partem una cum altero promiſſore in ſolidum teneri velit; quoad hanc partem

correi

correi promittendi ſunt. Etenim id, quod promittitur ex duabus conſtat partibus, quarum alteram promittit unus ſolus, alteram vero promittunt duo conjunctim, ita ut uterque in ſolidum teneri velit. Quamobrem cum duæ ſint diverſæ promiſſiones, quarum una a duobus promittitur res eadem, altera autem unus quid promittit; illa conſiderari poteſt tanquam ſola facta, citra reſpectum ad hanc alteram. Enimvero cum duo rei promittendi ſint, qui eandem rem in ſolidum promittunt (§. 692.); duo etiam rei ſeu correi promittendi eſſe debent, qui rei jam promiſſæ certam quandam partem in ſolidum promittunt.

mittendo partem rei ab alio promiſſæ.

Equidem non ignoro aliter videri Juris civilis interpretibus, quod putent non eandem promitti rem, ſi alius decem aureos, alius nonniſi quinque promittat; non tamen ratio iſta ſufficit, ut aliter ſtatuamus. Etenim ſi quis quinque aureos promittit tanquam partem ſummæ decem aureorum, is omnino promittit eoſdem quinque aureos, quos promiſit alter, adeoque quoad ſummam quinque aureorum idem ab utroque promiſſum eſſe evidens eſt. Nec ulla ratio eſt, cur non æque quoad partem debiti alicujus conſtitui poſſint duo correi debendi, quam quoad totum, immo in caſu præſenti accuratius loquendo, cur non unus correorum præterea ſeſe obligare poſſit ad aliud quid præſtandum eidem, cui tanquam correus ad aliud tenetur. Et ſi vel maxime quis eos correos appellare nolit, de iis tamen eadem concedere tenetur, quæ de correis demonſtrantur, manifeſto indicio, quod etiam correorum definitio ad eos applicari poſſit: quidni ergo & definitum competere iiſdem debet (§. 349. *Log.*)? Sed de nomine nemini litem movebimus, præſertim cum in Jura naturæ, prouti ſupra jam monuimus (*not.* §. 692.), hac appellatione prorſus carere queamus. Quodſi quis exiſtimet, correorum conſtitutionem eſſe inventum Juris Romani, de quibus adeo non ſit agendum in Jure naturæ; eum perpendere velim, eſſe eandem actum poſſibilem, actus autem humanos poſſibiles omnes regi jure naturali, & conſtitutionem correorum fuiſſe poſſibilem & lege naturali eorum jura & obligationes fuiſſe definita, antequam de iis conſtaret Romanis & quicquam de iis decernerent.

§. 711.

Si in literis abſenti quid promittis & is in literis acceptet; promiſſio valida eſt. Unum enim idemque eſt, ſive voluntatem noſtram alteri declaremus viva voce, ſive per ſcripturam. Quamobrem cum de conſenſu promiſſoris & promiſſarii dubitari non poſſit, ſi uterque voluntatem ſuam in literis declaravit (§. 658. *part. 1. Phil pract. univ.*); mutuo autem conſenſu perficiatur obligatio (§. 357.); quin promiſſio in literis facta & in literis acceptata valeat, extra omnem dubitationis aleam poſitum.

An promiſſio in literis facta ſit valida.

§. 712.

Si promiſſio in literis facta viva voce acceptetur, vel viva voce facta acceptetur in literis; promiſſio valet. Quoniam voluntas literis declarata æquipollet voluntati verbis ſignificatæ, cum ad promiſſionem ſufficiat, ut ſufficienter quomodocunque ſignificetur voluntas (§. 361.), nec aliud requiratur in acceptatione (§. 2.); eodem, quo in propoſitione præcedente, modo patet, promiſſionem valere, ſi in literis facta viva voce acceptetur, vel vice verſa viva voce facta in literis acceptetur.

Num promiſſio in literis & acceptatio viva voce fieri poſſit & contra.

Cum ex ſuperioribus conſtet, ante acceptationem revocari poſſe promiſſionem (§ 596); per ſe patet, ubi ex intervallo fit acceptatio, quod quo minus fiat, naturaliter nihil obſtat, promiſſionem interea non revocari debere, donec acceptatio fieri poſſit, ut adeo non opus ſit, in propoſitionibus de promiſſione & acceptatione in literis facta adjici reſtrictionem, niſi interea promiſſio revocetur. Quando nimirum non additur, promiſſionem revocari, eam non revocari intelligitur, cum hypotheſi non plura ſint adjicienda, quam ea continet. Ex iis enim ſolis, quæ in hypotheſi ſumuntur demonſtratur, quod aſſeritur.

§. 713.

§. 713.

Promiſſio mere liberalis ſeu benefica quænam ſit.

Promiſſio mere liberalis dicitur, ſeu *benefica*, quando promiſſarius ad nihil viciſſim præſtandum ſeſe obligat. Aſt *non mere liberalis* ſeu *oneroſa*, ſi promiſſarius ad aliquid viciſſim præſtandum ſeſe obligat.

Ex.gr. Si tibi promitto nummum aureum, tu vero nihil mihi viciſſim præſtare teneris, promiſſio mere liberalis eſt. Enimvero ſi tibi promitto nummum aureum, & tu te obliges viciſſim ad MS. aliquod mihi communicandum; promiſſio non eſt mere liberalis, ſed oneroſa.

§. 714.

Quando acceptatio præſumatur.

In promiſſione mere liberali, ſi nullæ proſtant rationes in contrarium, acceptatio præſumitur; in oneroſa non item, niſi adfuerint rationes evidentes in contrarium. Quando enim liberaliter quid promittitur, is, cui promittitur, ad nihil viciſſim præſtandum obligatur (§. 713.), adeoque rem, quam ipſi te daturum promittis, gratis accipit, aut quod te ipſi facturum promittis, gratis facis. Quamobrem cum nemo accipere reſpuat, quod ipſi gratis datur, vel ſibi fieri nolit, quod alter gratis in commodum ſuum facere velit, niſi adſint rationes ſingulares, cur id habere, vel gratis habere, aut in ſuum commodum fieri, vel gratis fieri nolit; quamdiu iſtiuſmodi rationes ignoramus, adeoque tales non adeſſe putantur, probabiliter omnino colligitur, promiſſum acceptatum iri (§. 578. *Log.*) Quamobrem cum præſumatur acceptatio, quæ probabiliter colligitur (§. 244. *part. 2. Jur. nat.*); in promiſſione mere liberali, ſi nullæ proſtant rationes in contrarium, acceptatio præſumitur. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi promiſſio fuerit oneroſa, promiſſarius ad aliquid viciſſim præſtandum ſeſe obligare debet (§. 713.). Quamobrem cum homines non eodem modo judicent de eo, quod ſibi utile, vel commodum eſt, & num præſtet eo, quod offertur, carere, quam iſtud præſtare, ad quod viciſſim præſtandum ſeſe obligare debeant; in promiſſione oneroſa, niſi adfuerint rationes particulares, eædemque evidentes in contrarium, probabile eſſe non poteſt, id, quod promiſſor offert, acceptatum iri (§. 578. *Log.*). Quamobrem ſi oneroſa fuerit promiſſio, acceptatio non præſumitur, niſi rationes evidentes in contrarium proſtent (§. 244. *part. 2. Jur. nat.*). *Quod erat alterum.*

Ex. gr. Ego Titio promitto triginta aureos, quando doctor fiet, cum id fieri firmiter decreverit; vix dubitari poteſt, quin promiſſum ſit acceptaturus, ubi nobis nullæ perſpectæ ſunt rationes, cur eos accipere nolit. Quamobrem acceptatio facile præſumitur. Aſt ubi tibi nummum aureum promitto, ut mihi communices MSC. quoddam rarum, quod in pretio habes; non ſatis apparet, utrum nummo aureo carere, quam MS. iſtud mihi communicare malis. Quamobrem in hoc caſu acceptatio non præſumitur, niſi adſint rationes aliæ, ex quibus probabiliter colligitur, te nummum iſtum aureum lubenter habere velle, vel communicationem MSC. poſtponere carentiæ nummi. Hoc clarius patebit, ubi de præſumtionibus egerimus.

§. 715.

Num acceptatio innoteſcere debeat promiſſori ut valeat promiſſio.

Si promiſſor velit, ut valeat promiſſio, ſi acceptetur; ea ſtatim valet, quamprimum acceptata fuit, quamvis acceptatio nondum innotuerit promiſſori: aſt ſi promiſſor nolit promiſſionem valere, niſi quando acceptatam intellexerit; non ante valet, quam acceptatio ipſi innotuerit. Duplici modo fieri poteſt promiſſio, vel hoc modo: volo, ut valeat promiſſio, ſi acceptetur; vel hoc modo: volo, ut valeat promiſſio, ſi acceptatam intellexero. Quoniam in arbitrio promiſſoris jus rem aliquam, vel factum quoddam a ſe exigendi in promiſſarium transferre volentis (§. 361.), unice poſitum eſt, quomodo promittere velit (§. 12.); a voluntate ipſius unice pendet, num promiſſionem valere velit, quamprimum acce-

acceptata fuerit, etiamſi acceptatio ipſi nondum innotuerit, vel non ante valere velit, quam ea ipſi innotuerit. Quamobrem cum promiſſarius promiſſorem ultra voluntatem ſuam ſibi obligare nequeat ad dandum, vel faciendum acceptatione ſua (§. 382.); ſi promiſſor velit, ut valeat promiſſio, ſi acceptetur, ea ſtatim valet, quamprimum acceptata fuerit, etiamſi acceptatio eidem nondum innotuerit: quodſi vero idem nolit promiſſionem valere, niſi quando acceptatam intellexerit, non ante valet, quam acceptatio ipſi innotuerit.

Monuit jam hoc *Grotius* de J. B. & P. lib. 2. c. 11. §. 15. & ex iis, quæ ſequuntur, patebit, non inanes fingi ſubtilitates. Ipſius autem propoſitionis veritas adeo manifeſta eſt, ut ſine probatione facile admittatur, quemadmodum quoque eandem ſumit *Grotius* & qui ipſum preſſo pede ſequitur *Puffendorfius* de J. N. & G. lib. 3. c. 6. §. 15. Sed in eo potiſſimum verſatur difficultas, quomodo conſtet de animo promittentis, cum vulgo promiſſores non apertis verbis dicant, utrum horum velint, ut adeo ad præſumtiones ſit deſcendendum, quæ haud raro non carent difficultate ſua.

§. 716.

Quomodo morte promiſſoris promiſſio fit invalida.

Si promiſſor velit, ut valeat acceptatio, ſi acceptata fuerit, ac interea moriatur, antequam acceptatio ipſi innotuerit; promiſſio valet. Si vero nolit promiſſionem valere, niſi quando acceptatam intellexerit, ac interea moriatur, antequam acceptatio ipſi innoteſcere potuerit, non valet. Immo etiam non valet, ſi ante moriatur promiſſor, quam acceptatio facta. Etenim ſi promiſſor velit, ut valeat acceptatio, ſi acceptata fuerit; ea ſtatim valet, quamprimum acceptata fuit, nec obſtat, quod acceptatio ipſi non innotuerit (§. 715.). Quamobrem ſi moriatur, antequam acceptatio, ipſo nimirum adhuc vivente facta, innoteſcere potuerit; mors ejus minime obſtat, quo minus valeat promiſſio, cum, quod ante mortem promiſſoris jam validum eſt, morte ipſius invalidum fieri nequeat, neque enim jus promiſſario acceptando quæſitum (§. 382.), auferri iterum poteſt (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*). Valet itaque promiſſio, ſi promiſſor velit eam valere, ſi acceptata fuerit, utut ante moriatur, quam acceptatio ipſi innotuerit, ſeu innoteſcere potuerit. *Quod erat primum.*

Quodſi promiſſor velit acceptationem ſibi innoteſcere debere, antequam valere debeat promiſſio; nec ea ante valet, quam acceptatio ipſi innotuerit (§. 715.). Quodſi ergo moriatur, antequam acceptatio ipſi innoteſcere potuerit; ut ipſi innoteſcat fieri nequit, adeoque impoſſibile eſt, ut promiſſio fiat valida. Quamobrem ſi promiſſor nolit valere promiſſionem, niſi quando acceptatam intellexerit, ea non valet, ſi moriatur, antequam acceptatio ipſi innoteſcere potuerit. *Quod erat ſecundum.*

Quodſi promiſſor moriatur, antequam acceptatio facta fuerit, cum ſine acceptatione obligatio promiſſoris non ſit valida (§. 365.), dum moritur, promiſſario ad nihil adhuc obligatus eſt. Quamobrem cum nemo mortuus alteri obligari poſſit; ſi poſt mortem promiſſoris fiat acceptatio, nullum inde jus conſequi poteſt promiſſarius. Promiſſio itaque valet, niſi ante mortem promiſſoris fuerit acceptata.

Quoad tertium *Grotio* l. c. §. 17. aliter videtur: exiſtimat enim acceptari poſſe promiſſionem, etiam mortuo promiſſore, cum perfecta ſit ab una parte, quanquam revocabiliter, quod in legatis apertius conſpiciatur. Enimvero alia eſt legatorum, quam eorum, quæ inter vivos promittuntur, ratio. Teſtator enim vult, legatum a legatario non ante acceptari poſſe, niſi ſe mortuo, atque adeo niſi mortuo teſtatore acceptando jus aliquod acquirere valet. Contra promittentem autem pro vero haberi nequit, niſi quod ſufficienter indicavit (§. 428.). Quamobrem ex eo ſolo, quod alteri promiſerit, immo etiam voluerit, promiſſionis efficaciam initium capere debere ab eo tempore, quo ea acceptatur, nondum intelligitur, eum velle, ut etiam poſt ipſius mortem acceptari poſſit. Aliud enim eſt definire tempus, a quo alteri obligatus eſſe velis; aliud vero velle, ut ſuum in bonis ſucceſſorem alter ſibi obligare poſſit invitum ſe mortuo: id quod ſuo loco, quando de legatis acturi ſumus, apertius perſpicere dabitur. Dantur enim adhuc rationes aliæ, cur valeat legatum, etſi poſt mortem demum teſtatoris acceptatum.

§. 717.

§. 717.

Quomodo promiſſio valere poſſit, acceptatione poſt mortem promiſſoris facta.

Si promiſſor velit, ut valeat acceptatio, etiamſi poſt mortem ſuam demum fiat, ipſe autem moriatur, antequam promiſſio acceptata fuit; facta acceptatione poſt mortem ipſius promiſſio valet. Etenim ſi promiſſor velit, ut valeat acceptatio, etiamſi poſt mortem ſuam demum fiat: hoc ipſo declarat, ſe velle promiſſario obligatum eſse de præſenti, antequam acceptatio fieri poſſit, ita ut non ſecuta perimat obligationem, ſecuta vero eandem ſubſiſtere faciat. Promiſſionem hoc modo fieri poſse patet ex iis, quæ in demonſtratione propoſitionis ſuperioris (§. 715.), dicta ſunt. Quodſi ergo moriatur, antequam promiſſio acceptata fuerit, obligatio ejus, quam ſibimet ipſe ultro impoſuit, jam adeſt, & facta acceptatione poſt mortem ipſius ſubſiſtit. Quamobrem patet, ſi promiſsor velit, ut valeat acceptatio, etiamſi poſt mortem ſuam demum fiat, ipſe autem moriatur, antequam promiſſio acceptata fuit; facta acceptatione poſt mortem ipſius promiſſio valet.

Hoc demum modo intelligitur, quomodo obligatio tranſire poſſit in hæredes, quæ quamdiu nondum exiſtit, in eos tranſire nequit. Et quamvis ſine acceptatione alias promiſſor non obligetur promiſſario (§. 365.); non tamen hoc obſtat, quo minus etiam jam obligatus haberi velis, quando præſumis acceptationem promiſſarii. Quodſi enim fallat præſumtio, obligatio perimitur; ſi non fallat, ſed acceptatio ſequitur, ea ſubſiſtit. Facile autem apparet, quando vis acceptationem adhuc valere debere, etiamſi te mortuo demum fiat, te præſumere, quod promiſſarius promiſſionem ſit accepturus, immo tantum non pro certo habere, quod ſit accepturus. Præterea vehementer velle debes, ut rem promiſſam accipiat promiſſarius, nec morte tua ejus jacturam faciat. Alias enim non curares, ſi promiſſio, te mortuo, minime effectum aliquem haberet. Neque vero eſt, quod exiſtimes, inanes fingi ſubtilitates. Etenim quid impedit, quo minus præſenti actu ſtatim tradas rem, quam abſenti promittis, etiamſi ignores, num eam ſit accepturus? Nonne vero perinde eſt, alteri velle eſſe obligatum, & actu tradere, antequam conſtet, num ſit accepturus. Nimirum in utroque caſu actus perfectus cenſetur a parte tua, adhuc perficiendus ab altera: quod poſterius niſi fiat, quod perfectum erat a parte tua, iterum reſcinditur. Atque nunc demum intelligitur, promiſſionem ſpectari poſſe ut perfectam ab una parte, quoniam tunc pure vis, quod alias non vult promiſſor niſi ſub tacita hac conditione, ſi acceptetur. Quoniam tamen contra promiſſorem pro vero haberi nequit, quod non ſufficienter indicavit (§. 428.); ideo nec gratis ſumi poteſt, ipſum velle ut promiſſio habeatur perfecta a parte ſua, adeoque ut valeat acceptatio poſt mortem ſuam facta. Sane multæ ſunt rationes, cur alteri hoc, vel iſtud promittamus, quod non promitteremus, ſiquidem nobis conſtaret, nos brevi morituros, quemadmodum non deſunt rationes plures, cur alteri actu rem quandam demus, quam non daturi eſſemus, ſiquidem mortem inſtantem prævideremus. Quodſi adeo acceptatio poſt mortem facta ſine ulla reſtrictione validam efficeret promiſſionem; promiſſor promiſſario contra voluntatem ſuam obligari poſſet: quod omnino abſurdum (§. 382.). Ceterum rationes adhuc aliæ adduci poſſent, quibus evincatur, promiſſionem ante acceptationem non haberi poſſe pro perfecta a parte promiſſoris, ita ut a voluntate promiſſarii unice pendeat, utrum ea ſubſiſtere velit, nec ne, niſi quæ diximus abunde ſufficere arbitraremur.

§. 718.

Quando promiſſio facta intelligatur, ſi acceptatio præſumitur.

Si promiſſor acceptationem præſumit; promiſſio facta intelligitur, ut valeat, ſi acceptatio facta ſit: in caſu oppoſito, ut valeat, ſi acceptatam intellexerit. Etenim ſi promiſsor acceptationem præſumit, probabiliter ipſi eſt, promiſſionem acceptatum iri (§. 244. *part. 2. Jur. nat.*), adeoque eandem jam prævidere ſibi videtur, conſequenter quodammodo perinde eſt, ac ſi ea jam ipſi innotuiſset. Nulla igitur ratio eſse videtur, cur promiſſionem tum demum valere velir, ſi acceptatam intellexerit, nondum vero, ſi acceptata fuerit. Quamobrem ſi promiſsor acceptationem præſumit; promiſſio facta intelligitur, ut valeat, ſi acceptatio facta ſit. *Quod erat unum*.

Enimvero ſi acceptationem non præſumit, nec probabile ipſi videtur, promiſſionem acceptatum iri (§. *cit.*), ſed ſubdubitat. Quo magis itaque optat, ut ea

ea acceptetur, vel etiam dubitat, num acceptaturus eam ſit promiſſarius; eo magis deſiderat, ut acceptatio ſibi innoteſcat, ut num valida ſit promiſſio ſibi conſtet (§. 365.). Quamobrem velle potius videtur, ut valeat promiſſio, ſi acceptatam intellexerit, quam ut valeat, ſi acceptata fuerit. Quod ſi ergo promiſſor acceptationem præſumit; promiſſio facta intelligitur, ut valeat, ſi acceptatam intellexerit. *Quod erat alterum.*

Si rem attente conſideres, facile animadvertes, te in caſu priori jam obligatum promiſſario tibi videri, cum de actu obligatorio perficiendo non dubites, in poſteriori autem caſu, quia de eo perficiendo adhuc dubitas, noſſe deſideras, quid futurum ſit. Atque adeo prior promittendi modus convenit caſui priori; poſterior autem poſteriori.

§. 719.

Quomodo promiſſiones liberales & onerosæ intelligantur factæ.

Quoniam in promiſſionibus mere liberalibus acceptatio præſumitur, niſi proſtent rationes in contrarium, in oneroſa vero præſumitur, niſi adſint rationes evidentes in contrarium (§. 714.), quando vero promiſſor acceptationem præſumit, promiſſio facta intelligitur ut valeat, ſi acceptatio facta ſit (§. 218.), adeoque ſtatim valet, quamprimum acceptata fuerit (§. 715.), & ex adverſo quando promiſſor acceptationem non præſumit, promiſſio facta intelligitur, ut valeat, ſi acceptatam intellexerit (§. 218.), adeoque tum demum valere incipit, quando acceptatio ipſi innotuit (§. 715.); *promiſſio mere liberalis ſtatim valet, quamprimum acceptata fuit, etiamſi acceptatio promiſſori non innotuerit, modo non adfuerint rationes evidentes, ob quas de acceptatione futura dubitavit promiſſor*; ex adverſo autem *promiſſio oneroſa non valet, ſi promiſſori non innotuerit acceptatio, modo non adſint rationes evidentes, ob quas acceptationem præſumebat.*

In caſu particulari facilius eſt judicare, quinam fuerit promittentis animus, ſive promiſſio mere liberalis fuerit, ſive oneroſa. Etenim quando de præſumtione acceptationis ſtatuendum, ad rationes potiſſimum particulares in caſu dato animum advertere tenemur, ut appareat, in quamnam contradictionis partem animum inclinare potuerint. Sed hoc magis ſpectat ad interpretationem pactorum & promiſſionum ſeu conventionum quarumcunque, & ad doctrinam de præſumtionibus, a quibus haud raro illa pendet, quam ut hic loci de iis pluribus ſit agendum. Immo ſi Logica probabilium extaret, qualem jam deſideravit *Leibnitius*; ex ea petenda forent principia generalia ad talia demonſtranda rigoroſius.

§. 720.

Quando utraque valeat, mortuo promiſſore antequam ipſi innotuerit acceptatio.

Similiter quoniam in promiſſionibus mere liberalibus acceptatio præſumitur, in oneroſa non item, niſi utrobique adſint rationes in contrarium (§. 714.), adeoque promiſſio mere liberalis facta intelligitur, ut valeat, ſi acceptatio facta, niſi ob rationes particulares acceptatio præſumi minime potuerit, promiſſio vero oneroſa facta non intelligitur, niſi ut valeat, ubi promiſſor acceptationem factam intellexerit, niſi ob rationes particulares acceptatio præſumta (§. 718.); *promiſſio mere liberalis valet, etiamſi promiſſor moriatur, antequam ipſi innoteſcere potuerit, niſi ob rationes particulares acceptatio præſumi minime potuerit, promiſſio* autem *oneroſa non valet, ſi promiſſorem mori contingat, antequam acceptatio ante mortem ejus facta ipſi innoteſcere potuerit, niſi rationes adſint, ob quas eam præſumiſſe intelligitur.*

Non eſt quod excipias hoc pacto difficillimum fore ut definiatur in caſu particulari, num mortuo promiſſore, antequam acceptatio facta ipſi innoteſcere potuerit: de eo enim hic non eſt quæſtio, ubi inquirimus quid rationi, per quam lex naturæ nobis innoteſcit (§. 259. p. 1. *Phil. pract. univ.*), conveniat. Alia vero quæſtio eſt, quid ad præſcindendas lites hic conveniat Juri poſitivo: de qua ſuo loco.

§. 721.

Miniſter quinam ſit obligationum contrahendarum, vel jurium acquirendorum.

Miniſter dicitur is, per quem conſenſum noſtrum alteri ſignificamus. Unde *Miniſter promittendi* eſt, per quem alteri quid promittimus, vel promiſſionem a nobis factam ſignificamus. Et in genere *Miniſtrum obligationis contrahendæ* appellamus, per quem obligationem contrahi volumus ſive ex parte noſtri, ſive ex parte alterius, aut obligatio contracta ſignificatur. *Miniſter* vero *acceptandi* vocatur, per quem acceptationem noſtro nomine fieri volumus, ſeu qui noſtro nomine acceptat, quod datur vel promittitur, aut acceptationem ab alio factam nobis ſignificat.

E.gr. Si ego volo, ut tu meo nomine promittas Titio decem aureos, & tu te hoc facere velle promittis atque poſtea facis, Miniſter es, quia Titio voluntatem meam ſignificas, & in ſpecie Miniſter promittendi, quatenus ipſi ſignificas, quid ipſi promittam. Dici etiam potes Miniſter obligationis contrahendæ, quatenus acceptatione a Titio facta obligationem præſtandi, quod promiſſum eſt, ad me ſpectantem contrahis. Quodſi vero velim, ut tu meo nomine acceptes, quod Titius mihi eſt promiſſurus, Miniſter acceptandi es: immo etiam dici potes Miniſter obligationis contrahendæ, quatenus mihi obligas Titium ad præſtandum id, quod promiſit. Enimvero ſi tabellarius litteras ſive epiſtolam ad Mævium defert, in qua ipſi ſignifico, me eidem promittere rem certam; non erit is miniſter in hoc negotio, & quidem non Miniſter promittendi, quatenus promiſſio per eum Mævio non ſignificatur, nec obligationis contrahendæ, quatenus per eum Mævio promiſſionem acceptanti non obligor. Quodſi Mævius ejuſdem opera utatur in epiſtola ad me deferenda, qua mihi acceptationem ſignificat; erit idem nec hoc reſpectu Miniſter acceptandi, quoniam acceptationem factam non ſignificat, nec obligationis contrahendæ, quatenus per eum de obligatione contracta certi non reddimur.

§. 722.

Quo effectu utamur miniſtris in negotiis noſtris acquirendis.

Quoniam *miniſtri* nonniſi conſenſum aliorum ſignificant, vel conſenſus aliorum per eos ſignificatur (§. 721.) *nil agunt ſuo nomine, ſed nomine ejus, qui eorum miniſterio utitur, nec ſibi jus acquirunt, aut ſe obligant, ſed jus acquirunt & obligationem contrahunt ad eos ſpectantia, qui eorum miniſterio utuntur.*

Abunde hoc patet, modo ad exemplum (*not.* §. 721.) animum advertere velis. Habet vero ſeſe miniſter in promittendo & acceptando, ſeu obligationibus contrahendis, & juribus acquirendis tantummodo per modum inſtrumentis ac ideo etiam pro cauſa inſtrumentali habetur. Quoniam tamen non omnes miniſtri ejuſdem ſunt conditionis, neque adeo omnes idem efficere valent; adeo porro exponendum eſt, quæ differentia inter eos intercedat.

§. 723.

An per miniſtros obligationes contrahi & jura ab aliis acquiri poſſint.

Per miniſtros nos aliis obligare & jura ab aliis acquirere poſſumus. Etenim per miniſtros aliis ſignificamus conſenſum noſtrum (§. 721.). Quoniam vero perinde eſt, ſive alteri conſenſum noſtrum verbis aut literis, ſive per miniſtrum ſignificemus, cum in utroque caſu de eodem alteri conſtet, cujus eum noſſe intereſt; dubio caret, quod per miniſtros conſenſum noſtrum aliis ſignificare valeamus. Enimvero homines ad dandum & faciendum perfecte ſeſe ſibi invicem obligare poſſunt mutuo conſenſu (§. 357.). Ergo etiam per miniſtros ſeſe aliis obligare & alios ſibi obligare valent. *Quod erat unum.*

Ex obligatione naſcuntur jura ipſi reſpondentia (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum obligationes contrahi poſſint per miniſtros, *per demonſtrata*; quin per eoſdem jura quoque acquiri poſſint dubitari haud quaquam poteſt. *Quod erat alterum.*

Quodſi denuo ad exemplum paulo ante (*not.* §. 721.) animum advertere velis; nihil difficultatis ſupereſſe poterit.

§. 724.

§. 724.

Quantum juris miniſter habeat.

In voluntate ejus, qui miniſterio alterius utitur, poſitum eſt, quantum juris in miniſtrum conferre velit. Etenim qui miniſterio alterius utitur, is alii voluntatem ſuam, ſeu conſenſum ſuum ſignificaturus, vel ſemet per eundem alii, vel alium ſibi obligaturus & vel jus quoddam in alium translaturus, vel ab alio acquiſiturus (§. 721.), & quicquid miniſter agit, id non ſuo, ſed ejus nomine agit, qui ejus miniſterio uti vult (722.). Quamobrem non ab arbitrio miniſtri pendet, quid agat, ſed unice id agere debet, quod tu voluiſti, conſequenter non plus juris habet, quam tu in eum conferre voluiſti. Enimvero a tua unice voluntate pendet, num & in quonam alterius miniſterio uti velis, adeoque in eum tantundem juris ad negotium tuo nomine gerendum conferre potes, quantum tibi viſum fuerit. In voluntate igitur tua poſitum eſt, quantum juris in miniſtrum conferre velis.

Per alium facit, qui miniſterio alterius utitur, quod ipſe facere debebat, vel quia non vult, vel quia non poteſt. Multæ nimirum ſunt rationes, cur quid per alios facere malimus, quam ut ipſimet faciamus; nec pauciores ſunt rationes, quæ impediunt; quo minus ipſimet quid facere poſſimus, adeoque per alium id facere teneamur. Quoniam utrumque experientia obvia loquitur; ideo non opus eſt ut iis recenſendis immoremur.

§. 725.

Differentia miniſtrorum.

Quoniam miniſter non plus juris habet, quam in eum conferre voluit, qui miniſterio ejus utitur (§. 724.), miniſter autem conſenſum ſuum alteri ſignificaturus (§. 721.), vel tantummodo eligi poteſt eo fine, ut promiſſionem promiſſoris, aut acceptationem promiſſarii ſignificet, vel ut ipſe nomine promiſſoris promittat, vel nomine promiſſarii acceptet; *miniſter vel promiſſionem promiſſoris, aut acceptationem promiſſarii ſignificare, vel ipſe nomine promiſſoris promittere, vel nomine promiſſarii acceptare poteſt. Et idem ſimiliter intelligitur in aliis caſibus contrahendarum obligationum & acquirendorum ex iis reſultantium jurium.*

Majus omnino jus eſt alteri alieno nomine quid promittendi, vel alterius nomine promiſſum acceptandi, quam jus tantummodo promiſſionem, vel acceptationem factam ſignificandi. Hinc diverſa etiam ſunt, quæ ex utroque jure reſultant, prouti ex ſequentibus patebit.

§. 726.

Cur alteri ſignificandum, cujus miniſterio & in quantum eodem uti velimus.

Similiter quoniam in arbitrio tuo poſitum eſt, quantum juris in miniſtrum conferre velis (§. 724.), de voluntate autem tua ei, cum quo per miniſtrum agere conſtituiſti, conſtare nequit, niſi eadem ipſi ſignificetur aut quovis modo aliquo indicetur; *ſi tu per miniſtrum cum alio agere conſtituiſti, neceſſe eſt ut eidem ſignifices, aut alio quovis modo indices non modo quod per eum cum ipſo agere velis, ſed etiam quantum juris in eum contuleris, & quod eidem ſignificaſti, id contra te pro vero habendum* (§. 427.).

Nimirum ita demum de voluntate tua certus eſſe poteſt is, cum quo per miniſtrum agere decreviſti, & novit, quid agi cum eo conveniat, ne actus irriti committantur.

§. 727.

Obligatio ejus, qui per

Si quis per miniſtrum cum alio agere conſtituit, eidem ſe obligare tenetur, quod, quicquid is acturus eſt voluntati ſuæ indicatæ convenienter, id a ſe actum haberi velit.

Digitized by Google

miniſtrum cum alio agit. *velit*. Etenim per miniſtrum cum alio agis, quia ipſe agere vel non vis, vel non potes, non alio tamen fine, quam ut negotium perficiatur. Neceſſe igitur eſt ut, quod agit miniſter, a te actum habeatur: & tu miniſtri actum pro tuo agnoſcere teneris. Quamobrem ſi per miniſtrum cum alio agere conſtituiſti, eidem te obligare teneris, quod quicquid miniſter cum altero ſit acturus, id a te actum putetur. Quoniam tamen miniſter non plus juris habet, quam in eum conferre voluiſti (§. 724.), & quantum eidem tribuere volueris, ei, cum quo is agit, ſignificare, aut modo quocunque indicare teneris (§. 726.); ei, cum quo agitur per miniſtrum, te obligare teneris, quod quicquid acturus es voluntati tuæ indicatæ convenienter, id a te actum habere velis.

Niſi ei cum quo per miniſtrum, voluntatis tuæ interpretem, agis, obligatus eſſe velis, ut a te actum putetur, quod is tuo nomine agit; validitas actus tota penderet a voluntate tua, ut pro arbitrio tuo eum irritum facere poſſes, quotieſcunque pœniteret. Nemo adeo tecum per miniſtrum agere vellet, cum certitudo eſſe debeat in negotiis humanis. Hæc adeo obligatio a modo agendi per miniſtros ſeparari nequit.

§. 728.

An tacita eſſe poſſit. Quoniam per miniſtrum cum altero valide agi nequit, niſi ei, cum quo agitur, obligatus ſis ad a te actum habendum, quod miniſter tuo nomine agit; *Qui per miniſtrum cum alio agit, tacite ipſi obligatur, quod a ſe actum haberi velit, quicquid is voluntati ſuæ indicatæ convenienter acturus eſt.*

Qui ſerio cum altero agit, non velle poteſt nihil egiſſe. Neceſſe adeo eſt ut velit, quicquid miniſter agit, illud eſſe ratum. Ipſe adeo modus agendi per miniſtrum obligationem iſtam comprehendit, adeoque tacite jam eidem ineſt. Quodſi ubivis tuta ſemper eſſet fides, nec ulla hominum foret inconſtantia, neque a veracitate vel latum unguem unquam recederetur, voluntas per miniſtrum ſignificari abſque ullo inſtrumento & in tacita ratihabendi obligatione acquieſci poterat: ſed cum non ſit ea hominum indoles, non ſint iis mores; ideo conſultius non modo, verum etiam neceſſarium eſt, ut per literas declaretur voluntas & in iiſdem ſimul expreſſa comprehendatur obligatio.

§. 729.

Quomodo perficiatur. Quia per miniſtrum cum alio acturus ſe obligare tenetur, quod quicquid is acturus eſt, voluntati ſuæ indicatæ convenienter, id a ſe actum putare velit (§. 727.), nemo vero ſeſe alteri perfecte obligari poſſit niſi promittendo (§. 393.); *per miniſtrum cum alio acturus promittere tenetur, ſe, quicquid voluntati ſuæ, cujus interpretem conſtituit miniſtrum, convenienter idem ſit acturus, id a ſe actum haberi velit.* Et quoniam is, *cum quo agitur*, ipſo facto declarat, ſe in hoc conſentire, *dum cum miniſtro agit* (§. 658. *part.* 1. *Phil. pract. univ.* & §. 2. *b.*), *promiſſum acceptat & ſic efficitur valida promiſſio* (§. 365.).

Videmus adeo, quomodo is, cum quo per miniſtrum agitur, illum, qui per miniſtrum cum ipſo agit, ſibi obliget ad ratihabendum, quod cum miniſtro agitur, ut nihil in perficienda obligatione iſta admittendum ſit precarium, ſed ea, facti analyſi (§. 992. *Log.*), cum primis Juris naturæ principiis cohæreat: quo ipſo intelligitur, obligationem iſtam vim ſuam habere a lege naturæ, & quod contra eam ſit legi naturali repugnare, adeoque peccatum eſſe (§. 440. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quando tacita ſit promiſſio (§. 728.); id minime obſtat, quo minus eodem, quem oſtendimus, modo acceptetur. Sane ſi promiſſio expreſſis verbis facta non fuerit, qui cum miniſtro agit tacitam ſupponit &, niſi eam acceptare vellet cum ipſo non ageret. Jure naturali bona fide eſt agendum, adeoque omnia, quæ per ipſam naturam negotio alicui inſunt, facta etiam intelliguntur, quia factum intelligi debet id omne, ſine quo negotium perfici nequit, quemadmodum ex ipſa negotii natura demonſtrantur, quæ eidem inſunt, prouti ad demonſtrationes animum advertenti palam fit.

§. 730.

§. 730.

Miniſter ſeſe obligare debet ei, qui ejus miniſterio utitur, quod ea agere velit, quæ hic ſuo nomine ab ipſo agi vult, nec quicquam agere, quod voluntati ipſius ſibi ſignificatæ adverſatur, aut eadem non continetur. Miniſter enim nonniſi interpres eſt voluntatis ejus, qui miniſterio ipſius utitur (§. 721.), & nil agit ſuo nomine, ſed quicquid agit, ejus nomine agit, qui ejus miniſterio utitur (§. 722.). Quamobrem qui eum miniſtrum eligit ſuamque voluntatem eidem indicat; is omnino vult, ut agat, quod ſuo nomine ab ipſo agi vult, nec quicquam agat, quod voluntati ipſius ſibi ſignificatæ adverſatur, aut eadem non continetur. Quoniam vero nemo alteri per naturam ſuam eidem ad hoc obligatus eſt, quod per ſe patet; ideo neceſſe eſt ut miniſter ſeſe obliget ei, qui ejus miniſterio utitur, quod ea agere velit, quæ hic ſuo nomine ab ipſo agi vult, nec quicquam agere, quod voluntati ejuſdem adverſatur, aut eadem non continetur. *Obligatio miniſtri.*

§. 731.

Quoniam miniſter ſeſe obligare debet ei, qui ejus miniſterio utitur, quod ea agere velit, quæ hic ſuo nomine ab ipſo agi vult, nec quicquam agere, quod voluntati ipſius ſibi ſignificatæ adverſatur, aut eadem non continetur (§. 730.), nemo autem alteri ſeſe obligare poſſit, niſi promittendo (§. 393.); *miniſter promittere debet ei, qui ejus miniſterio utitur, quod ea agere velit, quæ hic ſuo nomine ab ipſo agi vult, nec quicquam agere, quod voluntati ipſius ſibi ſignificatæ adverſatur, aut eadem non continetur.* Quoniam vero promiſſio ſine acceptatione valida non eſt (§. 365.), acceptatio autem præcedit promiſſionem ſi quis a te ſibi promitti petit (§. 10.); *promiſſio miniſtri per hoc acceptata intelligitur, quod eum miniſtrum eligit ejus miniſterio uſurus, ſuamque voluntatem eidem ſignificat.* *Quomodo obligatio iſta perficiatur.*

Nemo non videt, hic ſupponi miniſtrum eligi perſonam, quæ tui juri ſubjecta non eſt, conſequenter non aliunde jam obligata ad faciendum, quod tu ab ea fieri vis, nec quicquam committendum voluntati tuæ adverſum. Quæ vero paulo ante (§. 728. & *not* §. 729.), diximus de tacita obligatione ejus, qui per miniſtrum cum altero agit; idem etiam mutatis mutandis tenendum de tacita obligatione miniſtri ad ea, quæ vi propoſitionis præſentis promittere tenetur.

§. 732.

Si tabellarius moritur & alius epiſtolam, in qua ſit promiſſio, ad promiſſarium perfert; promiſſio valide acceptatur, nec revocari poteſt. Tabellarii enim opera non utitur promiſſor, niſi eo fine, ut epiſtola ad promiſſarium perferatur, adeoque perinde eſt, ſive tabellarius, ſive alius quicunque eam perferat, cum per epiſtolam promiſſario innoteſcat voluntas tua, quam per eam ipſi innoteſcere voluiſti, a quocunque tandem ea perferatur. Etſi adeo tabellarius moriatur & alius epiſtolam voluntatis tuæ indicem ad promiſſarium perferat; nulla ſane ratio eſt, cur ille non æque acceptare poſſit promiſſum ac ſi a tabulario epiſtolam accepiſſet. Valide igitur promiſſio acceptatur. *Quod erat unum.* *An mortuo tabellario promiſſio revocari poſſit.*

Quoniam itaque promiſſio poſt acceptationem revocari nequit (§. 596.); nec ideo revocari poterit, quod mortuo tabellario epiſtolam illius indicem alius pertulerit. *Quod erat alterum.*

Voluntatem tuam declaras verbis ſcriptis, quæ in epiſtola continentur, non vero verbis tabellarii, quæ pro tuis haberi vis, adeoque actus promiſſionis eo modo ſubſiſtit, ſi vel maxime

xime tabellarius ipſe epiſtolam non perferat, morte, immo etiam alia quacunque de cauſa impeditus, quo eum ſubſiſtere voluiſti, niſi revocetur promiſſio, antequam acceptatio fieri potuerit. Nullo adeo modo conſenſus tuus, qui ad producendam obligationem requiritur, vitiatur morte tabellarii.

§. 733.

An promiſſio revocari poſſit epiſtola ad promiſſarium nondum perlata.

Promiſſionem revocare licet, antequam epiſtola ejus index, ad promiſſarium perferatur. Antequam enim epiſtola ad promiſſarium perferatur, acceptatio fieri nequit, quod per ſe patet. Enimvero ante acceptationem promiſſio revocari poteſt (§. 596.). Ergo etiam revocare eandem licet, antequam epiſtola ejus index ad promiſſarium perferatur.

Revocationem promiſſionis in hoc caſu non eſſe impoſſibilem, ut ea pro non dabili haberi poſſit, non opus eſſe judicamus, ut apertius doceamus.

§. 734.

Quando revocari poſſit mortuo tabellario.

Quoniam promiſſionem revocare licet, antequam epiſtola ejus index ad promiſſarium perferatur (§. 732.), ſi de morte tabellarii certior fiat promiſſor, & ob eam ſpatium revocandi concedatur; *promiſſor mortuo tabellario revocare poteſt promiſſionem, antequam litteræ ab eodem perferendæ ab alio perferantur.*

Patet promiſſionem hic non revocari, quia tabellarius mortuus, ſed quia illa nondum acceptata: tabellarii enim in ipſo negotio nulla habetur ratio, quippe cujus validitas ab eo nullo prorſus modo dependet.

§. 735.

Num promiſſio in literis facta acceptari poſſit, antequam ha fuerint perlatæ.

Si ex relatione, vel literis alterius tibi innotuerit, quid in epiſtola ad te ſcripta tibi promiſerim, antequam ea ad te fuerit perlata, & tu promiſſionem acceptes, antequam epiſtolam acceperis, acceptatio non valet. Etenim ego tibi voluntatem meam de eo, quod tibi præſtiturum decrevi, declarare non volui niſi per epiſtolam, quam ad te ſcripſi, nec tu de voluntate mea ante certus eſſe potes, quam ubi eam acceperis, conſequenter nec me tibi obligare volui niſi per iſtam epiſtolam (§. 363.). Quamobrem patet promiſſionem ante acceptari non poſſe, niſi poſtquam epiſtolam acceperis, cum toto illo tempore perinde ſit, ac ſi tibi nondum promiſiſſem, &, ubi alius refert, vel ad te ſcribit, qualem ad te exaraverim literam, perinde omnino eſſe, ac ſi quis dixerit, me tibi quid promittere velle. Quoniam itaque promiſſio acceptari nequit, antequam ea fuerit facta (§. 2.); ſi ex relatione vel literis alterius tibi innotuerit, quid in epiſtola ad te ſcripta tibi promiſerim, acceptatio ante facta, quam ea ad te fuerit perlata, non valet.

§. 736.

Cur ea non obſtante revocari poſſit promiſſio.

Quoniam acceptatio non valet, ſi promiſſio in epiſtola facta acceptetur, antequam ea ad promiſſarium perlata fuerit, etiamſi aliunde ipſi eadem innotuerit (§. 735.), adeoque pro nulla habetur, ante acceptationem vero *promiſſio* revocari poteſt (§. 596.); *revocari* ea etiam *poteſt, ſi ex relatione, vel literis alterius tibi innotuerit, quid in epiſtola ad te ſcripta tibi promiſerim, antequam ea ad te fuerit perlata, & tu ea nondum perlata promiſſionem acceptes.* Immo quia acceptatio ante epiſtolam acceptatam facta nulla eſt *per demonſtrata; promiſſio adhuc revocari poteſt, poſtquam epiſtola jam ad te fuit perlata, ſi in acceptatione ante facta, quam perlata fuerit, acquieſcas.*

Digitized by Google

Facile patet, hoc etiam valere in eo caſu, quando tabellarius moritur, antequam literas ad te perferre potuerit, ut ab alio poſt mortem ejus tardius ad te perferantur, quam alias tibi redditæ fuiſſent.

§. 737.

Similiter quia promiſſio non valet, ſi ante moriatur promiſſor, quam acceptatio facta (§. 716.), niſi voluerit, ut valeat acceptatio, etiamſi poſt mortem ſuam demum fiat (§. 717.), acceptatio autem non valet, quæ fit antequam epiſtola, in qua promiſſio continetur, ad promiſſarium perferatur, etiamſi ea aliunde ipſi innotuerit (§. 735.); *ſi promiſſor moriatur, antequam epiſtola promiſſionis index promiſſario reddatur, non obſtante acceptatione ante mortem facta, quod aliunde jam eidem innotuerat argumentum epiſtolæ, promiſſio non valet.* *Num valeat promiſſio, acceptatione facta vivo promiſſore, ſed nondum accepta epiſtola.*

§. 738.

Si *tu a me petieris, ut tibi quid promittam, & ego in literis reſpondens tibi id promittam, promiſſio valet, etiamſi demum poſt mortem meam ad te perferantur: revocari tamen promiſſio poteſt, quamdiu ad te non fuerint perlatæ.* Etenim ſi tu a me petieris, ut tibi quid promittam, & ego tibi hoc promitto, acceptatio promiſſionem præceſſiſſe intelligitur (§. 10.). Quamobrem ſi in literis tibi promitto, quod a me petis; quamprimum eas accipis, & promiſſio a me facta, & acceptatio a te facta intelligitur, conſequenter promiſſio valida eſt (§. 363. 364.). Quoniam vero voluntatem ante mortem non mutavi, quam vivus literis declaravi, adeoque ad rem nihil facit, cum a te acceptatio non demum fieri debeat, ubi illas acceperis *per demonſtrata*, quod illa poſt mortem meam demum tibi innoteſcat; nulla omnino ratio eſt, cur non valere debeat promiſſio, etiamſi epiſtola ejus index demum poſt mortem meam ad te perferatur. Erit adeo omnino valida. *Quod erat unum.* *Quid ſtatuendum, ſi in literis a te rogatus promittam.*

Enimvero cum acceptatio non ante a te facta intelligi poſſit, quam promiſſio a me facta tibi fuerit, nec hæc tibi a me ante facta eſt, quam ubi epiſtolam ejus indicem acceperis, quoniam nonniſi eadem tibi declarare volui conſenſum meum, ante acceptationem autem promiſſio revocari poteſt (§. 596.); quin ea revocari poſſit, ſi a me petieris, ut tibi promittam, & ego in literis promittam, antequam hæ ad te perferantur, dubitari nequit.

Magna differentia eſt, num moriar, antequam epiſtola ad promiſſarium perfertur, an vero revocem promiſſum, antequam epiſtola ad eum perferri potuit. Etenim in caſu priori promiſſio ſubſiſtit, quia a mortuo revocari nequit; in poſteriori autem ſubſiſtere nequit, quia revocatur. In caſu adeo priori epiſtola, quam accipis, conſenſum promittentis declarat, qui conſenſit, cum adhuc conſentire poſſet; in poſteriori autem diſſenſum ſuum jam declaravit, dum quod ſcripſerat revocavit, antequam epiſtolam, qua continebatur promiſſio, acciperes, & de conſenſu ipſius quicquam tibi conſtaret. Permittendum unicuique eſt, ut voluntatem ſuam mutet, quamdiu nil agit contra jus alterius (§. 377.), quod nullum eſt, antequam epiſtola fuerit perlata. Aliud nimirum eſt velle promittere, aliud actu promittere. Qui epiſtolam ſcribit, tibi promittere vult; ſed dum ſcribit aliam, qua declarat, ſe promittere nolle, quod petis, actu non promittit, adeoque perinde eſt, ac ſi diceret: decreveram equidem tibi permittere, quod petebas, aſt re melius expenſa promittere nolo. Si ais, quamprimum epiſtola ſcripta & tabellario tradita fuerit, promiſſio facta; facile conceditur, promiſſionem factam, ſed revocabiliter, quæ morte promiſſoris irrevocabilis efficitur in caſu priori, conſequenter quando ad te perferuntur literæ, promiſſionis non revocatæ indices ſunt.

§. 739.

Si miniſter promittendi moritur, antequam alteri meo nomine promittere, vel promiſſionem a me factam ſignificare potuerit; promiſſionem revocare licet. Etenim unum, idemque eſt, ſive per epiſtolam, ſive per miniſtrum tibi ſignificem pro- *Quando miniſtro mortuo pro.*

pro-

miſſionem revocare liceat. promiſſionem a me factam, cum miniſter hoc in caſu fungatur vice epiſtolæ; & utroque modo idem obtineatur, nimirum ut promiſſio facta tibi innoteſcat. Enimvero promiſſionem revocare licet, antequam epiſtola ejus index ad te perferatur (§. 733.). Ergo etiam ea revocari poterit, antequam miniſter voluntatem meam tibi expoſuit. Hoc autem fieri nequit, ipſo mortuo. Quamobrem eo mortuo promiſſionem revocare licet. *Quod erat unum.*

Quodſi miniſter tibi meo nomine promittere debet, ſi moritur, antequam promiſerit; promiſſio facta nondum eſt. Enimvero quamdiu promiſſio non facta eſt, ea nec acceptari poteſt (§. 2.). Quoniam itaque ante acceptationem promiſſionem revocare licet (§. 596.); eam quoque revocare licet, mortuo miniſtro, antequam meo nomine tibi promiſerit. *Quod erat alterum.*

Æquipollentia ſignificandi voluntatem ſuam per epiſtolam & per miniſtrum in caſu priori manifeſta eſt, ut a nemine in dubium vocari poſſit: quemadmodum enim verba ſcripta, ita etiam a te prolata & per miniſtrum repetita ſunt animi tui ſigna, per quæ unum idemque indigitatur. Unde verba miniſtri loquentis habentur pro tuis, ut perinde ſit, ſive tu, ſive miniſter alteri loquatur. Enimvero ſi quis noverit, quid tibi ſignificare debeat, vel debuerit, & idem alteri dicit; verba ejus non habentur pro tuis, cum tu per eum alteri loqui nolueris. Quamobrem in hoc caſu perinde eſt, ac ſi epiſtolæ nondum perlatæ ſententiam quis alteri referret: cujus relationem non eſſe attendendam in contrahenda obligatione ex ſuperioribus conſtat (§. 735.). Tu obligatus es ei, cui per miniſtrum promiſſionem a te factam ſignificas, ut verba hujus agnoſcas pro tuis (§. 727); ſed hæc obligatio ceſſat, ſi quis alius eandem a te factam ſignificat, per quem eandem ſignificari haud quaquam voluiſti. Miniſter hoc facit jure, quod tu ipſum contuliſti; alter nullo jure facit. In caſu poſteriori jus tuo nomine promittendi habet miniſter, & tu obligaris promiſſario ad promiſſionem factam pro tua habendam (§. cit.). Utrumque ceſſat, ſi alius hoc facere vellet. Immo cum revera non poſſit, niſi referre, quid miniſter meo nomine facere debeat, vel debuerit; quis non videt, prorſus diverſa eſſe, alterius nomine promittere & referre, quod alius quidam alterius nomine quid promittere debeat, aut debuerit?

§. 740.

Quando inſcio miniſtro promiſſio revocari poſſit. ***Si miniſter electus eſt ut promiſſionem ſignificet, promiſſio ipſo inſcio revocari poteſt.*** Si enim per miniſtrum alteri promiſſionem ſignifices, perinde eſt ac ſi per epiſtolam hoc faceres, conſequenter quamdiu ad alterum non venit, nec promiſſionem ſignificavit, perinde eſt ac ſi epiſtola ad eum non fuiſſet perlata. Quamobrem cum epiſtola nondum perlata valide revocatio fiat, etiamſi poſt eam eadem adhuc perferatur (§. 738.); promiſſionem quoque revocare licet, quamdiu miniſter eam ſignificaturus nondum ſignificavit, etiamſi is poſt revocationem eam ſignificet. Atque adeo patet, ſi miniſter electus eſt, ut promiſſionem ſignificet, ipſo etiam inſcio promiſſionem revocari poſſe.

Nimirum in hoc caſu actus miniſtri in obligationem contrahendam non influit, ſed tantummodo in notitiam promiſſionis a te factæ. Quamvis adeo verba ipſius habeantur pro tuis, nil tamen inde conſequitur, quam ut alter intelligat, te ipſi hoc vel iſtud promiſiſſe. Quamobrem cum propter interpoſitam revocationem promittentis promiſſio amplius acceptari nequeat, nulla quoque contrahi poteſt actu miniſtri obligatio (§. 765.).

§. 741.

Revocatio juris in alterum collati quia ſit. ***Jus in alterum collatum revocari*** dicitur, quando qui contulit declarat, id ipſi competere non debere.

Ita jus in miniſtrum collatum revocat promiſſor, ſi eidem indicat, quod promiſſionem a ſe factam tibi non ſignificare, vel ſuo nomine tibi non promittere debeat: quo facto nullum amplius jus eſt promiſſionem ſignificandi, vel tuo nomine promittendi, conſequenter ſi non attenta revocatione alterutrum tamen facit, factum ſuum haberi nequit pro facto promiſſoris, nec idem ullum ſortitur effectum juris reſpectu hujus.

§. 742.

Digitized by Google

§. 742.

An jus in miniſtrum collatum ſit revocabile.

Jus in miniſtrum collatum is, qui contulit, pro lubitu revocare poteſt. Cum enim per miniſtrum facias, quod ipſemet facere debebas; quando eum miniſtrum eligis, in ipſum confers jus tuo nomine faciendi, quod per ipſum fieri vis, veluti promiſſionem a te factam ſignificandi, vel tuo nomine promittendi (§. 721.). Enimvero a voluntate tua unice pendet, num quid ipſe, an per miniſtrum facere velis, non a voluntate miniſtri: quod per ſe patet. Et quando in ipſum jus tuo nomine quid faciendi confers, non tibi adimis jus voluntatem tuam mutandi, conſequenter nec in eum confers jus non patiendi, ut voluntatem tuam mutes. Quando igitur eandem mutas, nihil fit contra jus ipſi pro ſe quæſitum. Sed permittendum eſt unicuique, ut voluntatem ſuam mutet, quamdiu nil agit contra jus alterius (§. 577.). Ergo etiam ei, qui per alium quid facere voluit, mutare licet voluntatem per alium hoc faciendi. Patet itaque te declarare poſſe miniſtro, quod per ipſum fieri nolis, quod per eundem facere volueras, conſequenter jus tuo nomine id faciendi ei competere non debere. Jus in alterum collatum revocatur, quando qui contulit declarat, id ipſi competere non debere (§. 741.). Quamobrem jus in miniſtrum collatum is, qui contulit, pro lubitu revocare poteſt.

Quod ipſe facere decreviſti, etiam non facere potes, ſi aliter videatur. Cum vero perinde ſit, utrum ipſe, an per alium facias; quidni & per alium non facere poteris, quod per eum facere decreveras? Quodſi vero miniſtro competeret jus irrevocabile faciendi, quod tuo nomine ab ipſo fieri debere voluiſti; per alium facere tenereris, quod per eum facere decreviſti: id quod omnino abſurdum nemini non videbitur. Nemo propterea, quod quid per alium facere vult, conditionem ſuam deteriorem fieri vult. Quando itaque miniſtrum eligis, jus tuo nomine hoc faciendi in eum transfers ſub tacita hac conditione, niſi alter viſum fuerit, antequam faciat. Si quis tuo nomine quid promittere, vel promiſſa acceptare debet; mandatum promittendi, vel promiſſa acceptandi habet, prouti ſuo loco conſtabit. Sed quoniam hic loci de mandato nondum agi poteſt; a nomine quoque abſtinendum eſſe duximus. Quando vero de mandato ſumus acturi, patebit principia hic demonſtrata latius patere.

§. 743.

Quando promiſſio inſcio miniſtro revocari nequeat.

Si miniſter electus eſt, ut ipſe promittat; promiſſio ipſo inſcio revocari nequit, & ſi facta revocatio ipſi non innotuerit, promiſſio ab eo facta, non obſtante revocatione, valida eſt. Etenim ſi miniſter electus eſt, ut ipſe promittat; in eum contuliſti jus tuo nomine promittendi & ei, cui promittendum, te obligas, quod promiſſionem ab ipſo factam pro facta a te habere velis (§. 727. 728.). Quamdiu igitur jus iſtud non revocas, conſequenter ipſum non moneas, ne tuo nomine promittere debeat (§. 741.); jure promittit & tu promiſſionem ab eo factam ratam habere, ſeu pro tua agnoſcere teneris. Quamobrem cum promiſſio revocetur, quando declaratur, te ex promiſſo teneri nolle (§. 595.); evidens eſt te illam revocare non poſſe, niſi miniſter moneatur, ne promittat, conſequenter eodem inſcio. *Quod erat unum.*

Quoniam itaque revocatio promiſſionis miniſtro, qui electus eſt, ut ipſe promittat, inſcio irrita eſt *per demonſtrata*; ea non obſtante facta a miniſtro promiſſio valida eſſe debet. *Quod erat alterum.*

Nimirum in hoc caſu perinde eſt, ac ſi promiſſionis revocatio, mutato conſilio, denuo a te revocata fuiſſet, & tu ſubſiſtere velis voluntatem priorem, qua jus promittendi tibi competens in miniſtrum contuliſti. Quodſi enim hoc ſubſiſtere nolis, neceſſe eſt, ut jus in eum collatum revoces: quod utique facere poteras (§. 742.). Jus promittendi; quod in alium contuliſti, non habes, quamdiu illud non revocas. Ecquis enim habet, quod dedit alteri, etſi revocabiliter? Quamobrem promiſſio a te facta non ante intelligitur, quam miniſter promiſerit, quamdiu promittendi jus habet. Promiſſio autem nondum facta proprie revocari

nequit (§. 595.); ſed tantum non fieri poteſt. Si non fieri debet, jus in miniſtrum collatum revocandum (§. 741.). Contradictoria ſunt, velle ut valeat promiſſio a miniſtro facta & velle ut valeat, quamdiu factum miniſtri pro tuo agnoſcere teneris. Contradictoria autem velle cum non ſit hominis ſani; nec contradictoriorum volitio in negotiis admittenda. Aliter autem hoc evitari nequit, niſi miniſter moneatur, ne tuo nomine alteri promittat, ubi ex ejus promiſſione teneri non vis. Quodſi enim jure promittendi revocato promittere adhuc auſit, hoc nullo jure facit, cumque ei, cui promittendum erat, idem fuerit ſignificatum, acceptatio ejus, quod a te non promittitur, nulla eſt (§. 2.). Atque adeo tum demum irrita erit promiſſio, ſi & miniſter moneatur, ne promittat, & is, cui promittendum, ne promiſſionem, quæ a miniſtro fieri poterat, pro tua habeat, quia animum promittendi mutaviſti, antequam ullus extaret actus obligatorius, quo tenebaris vel ad promittendum, vel ad promiſſum ſervandum.

§. 744.

An jus in miniſtrum collatum extinguatur morte ejus, qui contulit.

Jus in miniſtrum collatum extinguitur morte ejus, qui contulit. Qui enim jus in miniſtrum contulit, idem pro lubitu revocare (§. 742.), adeoque declarare poteſt, quod ipſi competere non debeat (§. 741.). Totum adeo pendet in duratione a voluntate ejus, qui contulit: tamdiu nimirum durat, quamdiu id durare vult, qui contulit. Quoniam itaque voluntas cum morte deſinit; jus quoque mortuo eo, qui contulit, durare nequit, adeoque morte ejus, qui contulit, jus in miniſtrum collatum extinguitur.

Quamdiu ipſe quid facere potes, per alium quoque id facere potes. Enimvero quando moreris, facere non potes, quod facere volebas. Ergo te mortuo nec alius tuo nomine facere poteſt. Factum alterius haberi debet pro facto tuo. Quomodo vero factum alterius pro tuo haberi poteſt, quando factum aliquod tuum extare nequit? Quæ hic moveri poterant difficultates in nonnullis caſibus, de iis diſpiciemus ſuo loco, quando de mandato ſumus acturi. Tum vero conſtabit, propoſitionem præſentem nulla indigere reſtrictione; ſed ex alio fonte naſci exceptionem.

§. 745.

An poſt mortem promiſſoris miniſter promittere poſſit.

Si promiſſor moritur, antequam qui electus eſt miniſter, ut promittat, promiſerit promiſſio poſt mortem facta invalida eſt. Etenim ſi promiſſor moritur, jus miniſtri extinguitur (§. 744.). Nullum adeo cum ſit poſt mortem promiſſoris jus miniſtri, promiſſio poſt mortem promiſſoris a miniſtro facta nulla eſt, adeoque invalida.

Non licet excipere, valere promiſſionem, ſi promiſſor voluerit eam etiam poſt mortem ſuam valide acceptari poſſe (§. 717.). Quando enim hoc vult, promiſſio a parte ipſius jam perfecta eſſe debet, adeoque miniſter eligi non poteſt, ut promittat ipſe; ſed ſaltem ut promiſſionem ſignificet: id quod contra hypotheſin.

§. 746.

Promiſſio miniſtri contra jus arcanum facta num ſit valida.

Si miniſter, qui electus eſt, ut promittat, contra jus ei, cui promittere debet, non indicatum quid promittit, quod vi juris eidem indicati promittere poterat; promiſſio valida eſt; tibi tamen tenetur ad damnum datum reſarciendum; immo & jus puniendi eum tibi naturaliter competit. Etenim, ei cui per miniſtrum promittis, ſignificandum, quantum juris in eum contuleris, & quod eidem ſignificaſti, id contra te pro vero habetur (§. 726.). Quamvis adeo jus miniſtri reſtringere placuit ultra ea, quæ ſignificaſti; jus tamen ejus, quale ſignificaſti, contra te pro vero habetur. Quamobrem cum te obliges ei, cui per miniſtrum promittis, quod quicquid ille juri tibi indicato convenienter promiſſurus eſt, a te promiſſum agnoſcere velis (§. 727.); etiamſi miniſter, qui electus eſt, ut promittat, contra jus ei, cui promittere debet, non indicatum

tum

Digitized by Google

tum quid promittat, modo vi juris tibi ſignificati promittere poterat, promiſſio omnino valida eſt. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam plus promittit, quam promittere debebat, quatenus jus alteri indicatum tamen reſtringere placuit, ne eodem pro lubitu ſuo uti poſſet; damnum tibi vel dolo, vel culpa ſua dat (§. 488. *part.* 2. *Jur. nat.* & §. 705. 730. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum damnum omne dolo, vel culpa datum ſit reſarciendum (§. 580. *part.* 2. *Jur. nat.*); ſi miniſter, qui electus eſt, ut promittat, contra jus in eum collatum quid promittat, ad damnum tibi datum reſarciendum tenetur. *Quod erat ſecundum.*

Cum te lædat, qui damnum tibi dat (§. 532. *part.* 2. *Jur. nat.*); miniſter vero, qui contra jus ipſi collatum quid promittit tibi damnum det *per demonſtrata*; dum ita promittit, te lædit. Quamobrem cum tibi natura competat jus eum puniendi, qui te lædit (§. 1061. *part.* 1. *Jur. nat.*); tibi etiam naturaliter competit jus puniendi miniſtrum, qui contra jus in ipſum collatum quid promittit. *Quod erat tertium.*

Diximus jam ante (*not* §. 742.), miniſtrum electum, ut ipſe promittat, habere promittendi mandatum. In hypotheſi adeo propoſitionis præſentis mandatum duplex habet, alterum manifeſtum, quod notum eſt promiſſario, alterum arcanum, quod huic ignotum, ſibi autem notum. Promiſſio igitur in caſu propoſitionis intelligitur facta contra mandatum arcanum, non vero contra mandatum manifeſtum. Enimvero ex ratione ſuidem indicata terminis hiſce abſtinere maluimus. Monere tamen hæc libuit, ut, quæ hic demonſtrantur, conferri poſſint cum iis, quæ habet *Grotius* ipſumque ſecuti alii, qui terminis aliis utuntur.

§. 747.

Si is moritur, cui miniſter, qui electus eſt ut promittat, promittere debebat; jus promittendi, quod habet, extinguitur. Etenim miniſter, qui electus eſt, ut promittat, non plus juris habet, quam in eum conferre voluiſti (§. 724.), conſequenter non habet jus niſi promittendi ei, cui per eum quid promittere volebas. Enimvero ubi hic moritur, antequam eidem promittere potuit, quod promittere debebat; poſt mortem ejus eidem promittere nil poteſt. Quamobrem nec ullum amplius ipſi competit jus nomine alterius quid promittendi, adeoque morte ejus, cui promittendum erat, jus promittendi extinguitur. *Num morte promiſſarii jus miniſtri extinguatur.*

Quando voluntate alterius agimus, id præciſe agendum eſt, quod alter a nobis agi velle dixit: ſecus enim actio a noſtra, non ab ipſius voluntate proficiſcitur, nec haberi poteſt pro actione ejuſdem naturaliter. Actiones humanæ conſtant ex actibus internis & externis. Interni ſunt actus intellectus, per quos determinatur voluntas & actus voluntatis, a quo dependent actus externi, qui motibus organorum corporis perficiuntur. Actiones hominum per internos inprimis humanæ ſunt. Unde actio externa aliena pro tua haberi naturaliter poteſt, quatenus a tua proficiſcitur voluntate, dum actus voluntatis alterius non modo idem eſt cum tuo, ſed & ab actibus intellectus tui totus pendet. Atque hinc patet, intellectum proprium nullo modo influere debere in actum voluntatis miniſtri, niſi expreſſe hoc voluerit, qui eum miniſtrum elegit & nonniſi ſub formula generali conſtituit, ut negotium gerat, prouti ex re conſtituentis maxime eſſe judicaverit. Quicquid vero voluntate conſtituentis etiam ſub formula generali indicata continetur, ab eo ne latum quidem unguem recedendum. Quodſi hæc attente meditemur, uberior lux affulgebit non modo in præcedentibus, verum etiam in iis, quæ mox ſequuntur, & quæ ſuo tempore & loco de mandato ſumus demonſtraturi.

§. 748.

Promiſſio per miniſtrum acceptata valida eſt. Quando enim miniſter promiſſionem acceptat, hoc facit tuo nomine (§. 722.), & tu acceptationem ab ipſo factam pro tua agnoſcere teneris (§. 727.), conſequenter perinde eſt ac ſi promiſſio tibi facta a te ipſo acceptata fuiſſet. Enimvero acceptatione tua promiſ- *Num promiſſio per miniſtrum acceptari poſſit.*

ſio

ſio efficitur valida, ut revocari minime poſſit (§. 596.). Valida igitur etiam eſſe debet promiſſio per miniſtrum acceptata.

Nemo non intelligit, quæ de promiſſione per miniſtrum facta demonſtrata ſunt, ſuo etiam modo ad acceptationem per miniſtrum factā applicari poſſe, ut adeo prolixiores eſſe non debeamus. Nec minus patet eidem miniſtro & jus promittendi & jus acceptandi conferri poſſe, prout negotii natura requiſiverit. Sed hæc omnia clariora adhue evadent ſuo loco, ubi de mandato ſumus acturi.

§. 749.

Quantum valeat promiſſio mihi de tibi præſtando facta.

Si quis mihi promittit, ſe tibi quid præſtiturum, & ego hoc accepto; is in me transfert jus ipſum compellendi, ut tibi det, ſi & tu acceptes, niſi acceptatione hac facta promiſſum ſervet: interea dum nondum conſtat, utrum acceptaturus ſis, nec ne, promiſſio mihi facta revocari non poteſt, ego tamen eam remittere poſſum. Quodſi enim quis mihi promittit, ſe tibi quid præſtiturum, in me transfert jus a ſe exigendi, ut præſtet tibi, quod promiſit (§. 361.). Quamobrem cum promiſſa ſint ſervanda (§. 431.), poſtquam promiſſio acceptatione valida effecta (§. 365.); ubi ego promiſſionem acceptavero, promiſſor pati debet, ut efficiam, quo promiſſio adimpleatur, ſeu tibi præſtetur, quod ſe præſtiturum tibi mihi promiſit (§. 430.). Quodſi ergo promiſſum, acceptatione etiam a te facta (§. 468.), ſervare noluerit, vel diſtulerit; mihi competit jus eum compellendi, ut tibi præſtet, quod ſe tibi præſtiturum mihi promiſit. *Quod erat primum.*

Enimvero cum promiſſio mihi facta ſit ſub hac conditione, ſi & tu acceptes, adeoque conditionata eſt (§. 462.), conditionata autem promiſſio revocari nequeat (§. 600.); nec promiſſio mihi facta de tibi præſtando revocari poteſt interea, dum nondum conſtat, utrum acceptaturus ſis, nec ne. *Quod erat ſecundum.*

Denique cum conditionata ſit promiſſio, ſcilicet ſi & tu acceptes *per demonſtrata*; ante acceptationem tuam promiſſor mihi obligatus non eſt ad tibi præſtandum, quod promiſit (§. 468.), conſequenter nec ego mea acceptatione jus quoddam tibi quæſivi, ſed ſaltem mihi *per demonſtr. n.* 1. Quamobrem ſi jus meum remitto, antequam de promiſſione mihi facta tibi conſtiterit & tu eandem acceptaveris, immo etiamſi conſtiterit, modo nondum acceptaveris; nulla tibi fit injuria (§. 859. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quoniam itaque naturaliter quilibet jus ſuum remittere poteſt, quamdiu nihil fit contra jus tertii (§. 117.), conſequenter quando remiſſio fit abſque injuria tertii (§. 859. *part.* 1. *Jur. nat.*); ego etiam jus exigendi a promiſſore, ut tibi præſtet, quod ſe tibi præſtiturum mihi promiſit, conſequenter promiſſionem remittere poſſum. *Quod erat tertium.*

Jure quidem Romano §. 4. 18. L. de inut. ſtipulat. non valet promiſſio, qua mihi promittitur quod tibi præſtandum; ſed hoc prorſus civile eſt, non naturale: id quod etiam agnovit *Grotius* de J. B. & P. lib. 2. c. 11. § 18 Et hodienum inter gentes haud infrequentes ſunt iſtiuſmodi promiſſiones.

§. 750.

Ad quid vi iſtius promiſſionis tibi tenear.

Si quis mihi promittit, ſe tibi quid præſtiturum, & acceptatione mea facta ego tibi promiſſionem ab altero mihi factam indico; acceptatione tua ego tibi obligor ad efficiendum, ut promiſſio adimpleatur, aut jus meum, ſi volueris, tibi cedendum. Etenim ſi quis mihi promittit, ſe tibi quid præſtiturum, & ego promiſſum accepto; mihi competit jus ipſum compellendi ad præſtandum id, quod ſe tibi præſtiturum mihi promiſit, ſiquidem & tu acceptaveris (§. 749.). Quodſi ergo promiſſionem ab altero mihi factam tibi indico eo fine, ut tu mihi ſignifices, utrum eam acceptare velis, nec ne; animus omnino mihi eſt efficiendi, ut quod promiſſum eſt tibi præſtetur, ſi acceptaveris, conſequenter tacite tibi promitto, ſi non expreſſe, me effecturum, ut quod promiſſum eſt tibi præſte-

tur,

tur, ſi acceptes. Quamobrem ubi promiſſionem mihi pro te factam acceptas, valida etiam ſit promiſſio a me tibi facta (§. 469.), conſequenter ego tibi obligor ad efficiendum, ut promiſſio adimpleatur (§. 363.). *Quod erat primum.*

Enimvero promiſſor in me contulit jus ipſum compellendi, ut tibi det, ſi & tu acceptes (§. 749.). Quamobrem cum & tu jus hoc mihi cedere valeas, & ego jus ad id exequendum te compellendi remittere poſſim, ſi tuum mihi cedis (§. 117.), ceſſio autem inſcio ac invito promiſſore a me fieri queat (§. 89.); ſi tu volueris, ut tibi cedam, ego vero hoc facere malim, quam promiſſorem compellere ad id, quod promiſit, tibi præſtandum, ad jus promiſſorem compellendi, ut promiſſionem adimpleat, tibi cedendum obligor. *Quod erat ſecundum.*

Qui mihi promittit, ſe tibi daturum, ſi acceptes, non tibi, ſed mihi obligatur, utut quod intereſt promiſſum eſſe totum ad te pertineat. Quamobrem nec acceptatione mea, quæ ſaltem conditio eſt, a qua promiſſionis tibi factæ validitas dependet (§. 467.), mihi acquiritur jus compellendi promiſſorem ad id, quod ſe mihi præſtiturum tibi promiſit. Quodſi ergo tu te mihi non obligares, conſequenter non promitteres te hoc facere velle, niſi ultro promiſſo ſteterit promiſſor: promiſſio tibi facta mihi inutilis foret, cum ex ea nihil conſequi poſſem, niſi te volente, adeoque quod mea intereſt promiſſum eſſe, acceptatione mea etiam ſecuta, prorſus foret arbitrii tui, cum ego te compellere non poſſem ad compellendum promiſſorem, ut ſtet promiſſo; niſi ultro eodem ſtare vellet. Quodſi jus a promiſſore tibi quæſitum mihi cedis; perinde eſt ac ſi promiſſio mihi facta eſſet. Quamobrem ſi tu eum vi adigere nolis ad promiſſum adimplendum, ego vero hoc facere velim; jus tuum quin mihi cedere poſſis, dubium non eſt. Hac ipſa autem ceſſione ab obligatione liberaris, qua mihi tenebaris. Qui circa hoc promiſſionis genus porro emergere poſſunt caſus, iidem decidantur ex iis, quæ de obligatione ad id, quod intereſt, in ſuperioribus demonſtrata fuerunt. Quædam etiam patebunt per ea, quæ de jure & obligatione hæredum ſuo loco demonſtrabuntur. Non igitur opus eſt, ut de illis apertius dicamus: de his autem ut dicamus, per methodi leges nondum fieri poteſt.

§. 751.

Si ego te præſente tertio abſenti promitto, me hoc ipſi præſtiturum, nec tu ab ipſo electus fueris miniſter, ut acceptes; acceptatio nulla eſt, nec ego ex hac promiſſione teneor tertio. Etenim ſi ego te præſente tertio abſenti promitto me hoc ipſi præſtiturum, tu vero ab ipſo non fueris electus miniſter, ut acceptes; acceptatio a te ejus nomine facta haberi nequit pro acceptatione ejus, in cujus perſonam confertur promiſſio (§. 727.), nec tibi jus eſt alterius nomine acceptandi (§. 724.). Quamobrem acceptatio nullo jure a te facta nulla eſt, cumque ſine acceptatione jus nullum promiſſarius conſequatur (§. 365.), nec jus ullum ex hac promiſſione inutiliter a te acceptata is, in cujus perſonam ea confertur, acquirere poteſt. Ego igitur ex hac promiſſione eidem ad nihil teneor.

An pro tertio acceptatio fieri poſſit, jure acceptandi in me collato.

Si non electus es miniſter ab eo ut acceptes; de voluntate ejus, in cujus perſonam confertur promiſſio, nec tibi, nec mihi promittenti conſtare poteſt. Vi adeo ipſius definitionis apparet, acceptationem tuam nullam eſſe (§. 2.).

§. 752.

Quoniam acceptatio tua nulla eſt, ſi ego te præſente abſenti tertio promitto, nec is te miniſtrum eligit, ut acceptes (§. 751.), quamdiu autem promiſſio acceptata non eſt, ea a me revocari poteſt (§. 596.); *ſi ego te præſente tertio abſenti promitto, nec tu electus es miniſter ab eo, ut acceptes, non obſtante acceptatione tua, promiſſio revocari poteſt.*

An illa promiſſio revocari poſſit.

Ex. gr. Si dico: dabo Titio decem aureos, & tu ipſi amicus reſpondes: ego ejus nomine accepto; promiſſionem revocare licet, ſive ſtatim ſive ex intervallo, prout viſum fuerit.

§. 753.

§. 753.

Promiſſio ab eo acceptata, qui miniſter acceptandi non electus, quando irrevocabilis.

Si abſenti quid promitto, & ego volo, ut tu ejus nomine acceptes; promiſſionem revocare nequeo, antequam conſtet, num is, ad quem promiſſio ſpectat, acceptationem tuam ratam habuerit, nec tu medio illo tempore promiſſum remittere vales. Quodſi enim volo, ut tu abſentis nomine, cui quid promitto, promiſſionem acceptes; hoc ipſo declaro, me acceptationem tuam pro acceptatione ejus, ad quem promiſſio ſpectat, habiturum, ſiquidem is velit, adeoque conditionate tibi promitto, acceptatione tua promiſſionem validam effici debere. Quamobrem ſi tu promiſſionem abſenti factam acceptes ejus nomine, cum conditionata promiſſio revocari nequeat (§. 600.); nec acceptata a te voluntate mea promiſſio in abſentis perſonam collata revocari poteſt, antequam conſtet, num eam ratihabeat is, ad quem promiſſio ſpectat. *Quod erat primum.*

Quoniam acceptationem tuam pro acceptatione ejus habeo, ad quem promiſſio ſpectat, modo is eam ratam habere velit; validitas promiſſionis non a tua, ſed ejus potius voluntate pendet, in cujus perſonam ea fuit collata (§. 467.). Quamobrem cum expectandum ſit, quid hic velit; tu promiſſum medio illo tempore, ad quod tibi jus nullum eſt, remittere non potes. *Quod erat alterum.*

Equidem non ignoro, *Teſmarum* in Notis ad *Grotium* aliter ſentire quoad alteram propoſitionis partem, propterea quod in poteſtate ejus ſitum ſit, qui fidem promittentis adſtrinxit, remittere illud vinculum, quamdiu ad illius, cui promiſſum eſt, notitiam nondum pervenerit, quid inter nos actum fuerit: non tamen hoc ſufficit ad ſententiam *Grotii* refellendam. Neque enim ideo promiſſum remittere nequis, quia fidem meam acceptatione tua adſtrinxiſti; ſed quia nullum tibi jus eſt ad promiſſum, quod remittere poſſes. Dum enim ego tibi promiſi me acceptationem tuam pro acceptatione alterius, in cujus promiſſio perſonam collata eſt, habere velle, quamdiu non conſtet contrarium; tibi jus acceptandi contuli, quo cum fueris uſus, dum acceptaſti, cum factum infectum fieri nequeat, jus hoc remittere non potes. Nihil adeo habes ex promiſſione, quod remittere poſſes, nec ulla adeſt ratio, cur me liberare poſſis ab obligatione conditionata, quam acceptatione tua contraxi & quæ per me tota in voluntatem promiſſarii collata eſt. Alia prorſus eſt ratio, ubi tibi promitto me tertio quid daturum: tum enim a tua voluntate pendet, utrum promiſſionem ſubſiſtere, an eam remittere velis, prouti ante demonſtravimus (§. 749.).

§. 754.

Pœnalis promiſſio quid operetur, ubi tertii gratia promittitur tibi.

Si promitto, me tibi daturum e. gr. duodecim aureos, niſi alteri cuidam decem dederim, & tu promiſſum acceptes; liberum mihi eſt, num tibi duodecim, an alteri decem aureos dare velim. Etenim in hoc caſu tibi promitto duodecim aureos ſub conditione, niſi alteri dederim decem, conſequenter non ante tibi obligor ad dandum aureos duodecim, quam ſi alteri non dedi decem (§. 478.). Quoniam vero in arbitrio meo poſitum eſt, utrum conditionem, ſub qua promiſi, adimplere velim, nec ne, hoc eſt, an dare nolim alteri decem aureos; mihi omnino liberum eſt, num tibi duodecim, an alteri decem aureos dare velim.

§. 755.

Quomodo effectum ſortiatur.

Quoniam adeo mihi liberum eſt, num tibi duodecim, an alteri decem aureos dare velim *ſi tibi duodecim promiſi, niſi alteri dem decem* (§. 754.); *tu me compellere potes ad dandum alteri decem, dum me compellis ad dandum tibi duodecim.*

Nimirum quando tu me compellis ad dandum tibi aureos decem, ego excipio conditionem negativam nondum exiſtere (§. 490.). Cum enim conditioni non adjectus ſit dies, qui jam præ-

tes.

terlapſus eſt; adhuc eadem adimpleri poteſt, nimirum in caſu præſenti nunc dare poſſum alteri decem aureos: quo facto promiſſio tibi facta evaneſcit (§. 534.), nec ego tibi duodecim dare teneor. Nemo non intelligit, ita non promitti, niſi promiſſio majoris ſub conditione non præſtiti minoris ſit pœnalis (§. 606.), ſive promiſſor ultro, ſive rogatus ita promiſerit. Ex. gr. Dico, me Titio dare velle decem aureos. Tu dubitas, an ſim daturus. Ego reſpondeo: Dabo tibi duodecim, niſi Titio dem decem. Aut tu rogas: Viſne mihi dare duodecim, niſi Titio dederis decem? & ego, ut ante reſpondeo: Volo. Hic evidens eſt, duodecim tibi promitti pœnæ nomine.

§. 756.

Quando onus in gratiam tertii adjectum revocabile.

Onus promiſſioni in commodum tertii adjectum a promiſſore revocari poteſt, antequam hoc fuerit acceptatum. Etenim ſi onus adjicitur in commodum tertii, tacite promittis tertio factum alienum, ejus nempe, cui adjecto hoc onere expreſſe promittitur (§. 585.), adeoque tacita hæc promiſſio tertio non prodeſt, antequam eam acceptet (§. 365.). Quoniam itaque promiſſio revocari poteſt, antequam acceptetur (§. 596.); promiſſio etiam illa tacita, conſequenter onus in commodum tertii promiſſioni adjectum revocari poteſt.

In arbitrio promittentis eſt, num velit onus promiſſioni adjicere, conſequenter hoc tibi promittendo tacite ſimul promittere factum quoddam tuum. Quodſi ergo tacitam hanc promiſſionem, antequam ex ea jus quoddam tertio quæſitum, revocare, adeoque te ab onere promiſſioni adjecto liberare velit, cum hoc fiat abſque injuria (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*), eccur non facere poſſit? Onus vel conditio eſt, vel modus (§. 585.). Quando in priori caſu revocatur onus, quod conditionate erat promiſſum, id mutata voluntate pure promittitur. Quando idem revocatur in poſteriori, obligatio modi adimplendi remittitur. Ecquis vero dubitaverit, cum a promittentis voluntate pendeat modus promittendi (§. 11.), & mutatio voluntatis tibi permittenda, quamdiu nil fit contra jus tertii (§. 377.), quod conditionate promiſſum fuerat denuo pure promitti poſſe, & te alterum ab obligatione liberare poſſe, qua tibi adhuc ſolus tenetur? Sunt qui aliter ſentiunt, ſed abſque ratione, quemadmodum ex modo dictis apparet, & *Grotius* jam monuit lib. 2. cap. 11. §. 19.

§. 757.

Fides quid ſit.

Fides dicitur conſtantia voluntatis alteri verbis declaratæ de eo, quod facere, vel dare velimus. Quamobrem cum voluntas conſtans eſſe non poſſit, niſi moraliter verum loquaris, aut, mutato conſilio, moraliter verum locutus videri velis (§. 1062, *part. 1. Theol. nat.* & §. 150. *huj.*); *fides ſupponit, ut moraliter vera loquaris, aut, quæ per mendacium tibi hactenus ſoli cognitum locutus es, mutato conſilio in moraliter vera vertas.*

Cicero Offic. 1. c. 7. fidem appellat dictorum conventionumque conſtantiam & veritatem; recte omnino, quemadmodum ex dictis apparet. Sed veritas non recte inſeritur definitioni, cum ex conſtantia fluat. Quod vero initio ſine veritate dictis accedere poſſit veritas, facile patet. Etenim ponamus, te dicere, quod quavis occaſione alterum ſis Patronis commendaturus, non tamen tibi eſſe animum hoc faciendi, dum dicis. Evidens eſt te non moraliter verum loqui (§. 150.), adeoque nullam eſſe dictorum veritatem. Enimvero quodſi poſtea perpendas, te minime decere, ut falſa loquaris, & firmiter tibi proponas dictis addere factum; verba, quæ ante erant moraliter falſa, in moraliter vera vertuntur ex poſt facto. Et tum accedere poteſt conſtantia animi, quæ, dum verba proferebas, nondum accedere poterat. Perinde vero eſt, ſive verba, quibus declaras dandi, vel faciendi animum, in conventionibus proferantur, ſive alia quacunque occaſione, neque adeo opus eſt, ut conventionum in definitione expreſſa fiat mentio.

§. 758.

Fidem dare, ſervare,

Hinc *fidem dare* dicitur, qui affirmat ſe, quod dicit ſe præſtiturum, præſtare velle, vel alterum certum eſſe jubet de veritate dictorum. *Fidem ſervare* di-

citur,

Digitized by Google

fallere adſtringere quid ſit.

citur, qui quod ſe præſtiturum dicit, præſtat. *Fidem fallere* dicitur, qui non præſtat, quod ſe præſtiturum dixit. *Fidem* denique *alterius adſtringere* dicitur, qui ipſum obligat ad fidem ſervandam.

Hinc homo nullius fidei dicitur, qui multa ſe facturum dicit, ſed quando facere debet non facit, ita ut verbis ejus nulla inſit veritas.

§. 759.

Quando promiſſor fidem ſervet, quando fallat.

Qui promiſſa ſervat, fidem ſervat: qui non ſervat, fidem fallit. Quando enim promiſſor promiſſa ſervat, quod ſe præſtiturum dixit, præſtat (§. 430.). Enimvero qui præſtat, quod ſe præſtiturum dixit, fidem ſervat (§. 758.). Ergo qui promiſſa ſervat, fidem ſervat. *Quod erat unum.*

Qui promiſſa non ſervat, is non præſtat, quod ſe præſtiturum affirmaverat (§. 430.). Enimvero qui non præſtat, quod ſe præſtiturum affirmaverat, fidem fallit (§. 758.). Ergo qui promiſſa non ſervat, fidem fallit. *Quod erat alterum.*

Hinc fidem ſervare & promiſſum ſervare vulgo promiſcue uſurpantur. Non tamen propoſitionem invertere licet, affirmando eum, qui fidem ſervat, ſervare promiſſum, & qui non ſervat, promiſſum non ſervare: ſervare enim fidem latius patet, quam ſervare promiſſum, cum non ſtatim perfecta promiſſio ſit, quando dicis te alteri quid præſtiturum, cum & nuda aſſertio (§. 371.), vel pollicitatio eſſe poſſit (§. 367.). Differunt nempe ſervare fidem & ſervare promiſſum, quemadmodum genus & ſpecies, ut adeo promiſſum ſervare idem ſit quod fidem ſervare in promiſſis, quemadmodum ex collatione definitionis utriuſque ſtatim apparet (§. 361. 758.).

§. 760.

Num promiſſor fidem ſuam adſtringat promiſſario.

Promiſſor promiſſario non modo fidem dat, verum etiam adſtringit. Etenim promiſſor perfecte ſeſe obligat promiſſario (§. 363.), ſcilicet ad præſtandum id, quod ſe præſtiturum promittit (§. 361.), non modo tacite, vel etiam expreſſe affirmat, ſe hoc præſtiturum eſſe, quod ſe præſtiturum dicit (§. *cit.*). Quoniam itaque fidem dat, qui affirmat ſe præſtiturum, quod dicit; fidem vero ſuam adſtringit, qui ad id præſtandum ſe obligat, quod ſe præſtiturum dicit (§. 758.); promiſſor promiſſario non modo fidem dat, verum etiam adſtringit.

Honeſtati adeo magis adverſatur, ſi promiſſor fidem datam fallit, quam ſi hoc faciat alius qui eandem alteri non adſtrinxit.

§. 761.

Quomodo promiſſarius fidem promiſſoris adſtringat.

Promiſſarius acceptando promiſſum fidem promiſſoris ſibi adſtringit. Etenim acceptatione demum promiſſarius ſibi obligat promiſſorem (§. 381.), ad dandum ſcilicet vel faciendum id, quod ſibi promittit (§. 361.). Quamobrem cum fidem alterius adſtringat, qui ipſum obligat ad ſibi præſtandum, quod præſtiturum ſeſe affirmat (§. 758.); promiſſarius acceptando promiſſum fidem promiſſoris ſibi adſtringit.

§. 762.

Pollicitatorum fidem ſuam adſtringat.

Pollicitator fidem dat, ſed non adſtringit. Etenim pollicitator declarat, ſe alteri quid præſtare velle, & in hoc propoſito ſeſe perſeveraturum (§. 367.), adeoque affirmat, ſe præſtiturum, quod dicit. Quoniam itaque fidem ſuam dat, qui affirmat, ſe præſtiturum, quod dicit (§. 758.); pollicitator fidem dat. *Quod erat unum.*

Enim-

Digitized by Google

Enimvero pollicitator non niſi imperfecte ſeſe obligat alteri, cui ſe quid præſtiturum pollicetur (§. 369.), & cum in alterum transferre nolit jus id a ſe exigendi (§. 367.), perfecte eidem obligari non vult (§. 238. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum fidem ſuam non adſtringat, qui alteri perfecte obligatus eſſe non vult (§. 758.); pollicitator fidem ſuam ei, cui pollicetur, non adſtringit. *Quod erat alterum.*

§. 763.

Qui nude aſſerit ſibi eſſe animum tibi quidpiam præſtandi, fidem ſuam non dat. Qui enim nude aſſerit, ſibi eſſe animum tibi quid præſtandi, is non declarat, ſe in hoc propoſito eſſe perſeveraturum (§. 371.), conſequenter nec affirmat, ſe revera præſtiturum id, quod præſtandi animum nunc habet. Enimvero qui non affirmat, ſe præſtiturum, quod dicit, is fidem ſuam non dat (§. 758.). Quamobrem nec fidem ſuam tibi dat, qui nude aſſerit, ſibi eſſe animum tibi quidpiam præſtandi. *An nude aſſerendo detur fides.*

Hioc clarius eluceſcit, quænam ſit differentia inter perfectam promiſſionem, pollicitationem & nudam aſſertionem.

§. 764.

Quoniam qui nude aſſerit ſibi nunc eſſe animum hoc præſtandi alteri, fidem non dat (§ 763.), idem non affirmat ſe præſtiturum, quod dicit (§. 758.). Quamobrem cum fidem is fallat, qui ſe præſtiturum affirmat, quod dicit, nec tamen præſtat (§. 758.); *qci nude aſſerit, ſibi nunc eſſe animum hoc alteri præſtandi, nec id præſtat, fidem non fallit.* *Num fidem fallat, ſi non præſtat quod dixit.*

Fidem oon fallit, qui oon dedit: fidem fallimus datam. Aliud vero cum ſit affirmare, ſibi nunc eſſe animum alteri hoc præſtandi, pro præſenti nimirum rerum ſtatu; aliud vero, affirmare, nos præſtituros, quod dicimus; qui prius affirmat, fidem oon dat (§. 758.), adeoque nec fallere eam poteſt.

§. 765.

In promiſſis fidem datam ſervare debemus; fallere non licet. Promiſſa enim ſunt ſervanda (§. 431.), adeoque non ſervare ea illicitum eſt (§. 722. *p. 1. Jur. nat.*). Enimvero qui promiſſa ſervat, fidem ſervat; qui non ſervat, fidem fallit (§. 759.). Quamobrem in promiſſis fidem datam ſervare debemus, nec eam fallere licet. *Num promiſſori ſervanda fides.*

§. 766.

Perfidus dicitur, qui contrarium ejus facit, ad quod faciendum fidem ſuam adſtrinxit. Hinc *perfidia* eſt vitium faciendi contrarium ejus, ad quod faciendum quis fidem ſuam adſtrinxit. *Perfidia quid ſit.*

Non ſtatim perfidus eſt, qui fidem datam fallit, vel etiam contra fidem datam quid facit. Cum enim voluntas hominum mutabilis ſit, immo haud rarius accidat, ut in melius mutetur; etiamſi mutatio in melius non ſemper ſit licita, non tamen perfidiæ notam incurrit, qoi mutato rerum ſtatu voluntatem mutat & fidem datam fallit. Sed ad perfidiam præciſe reqoiritur, ut quis fidem ſuam adſtrinxerit, & hoc non obſtante ſciens ac volens contrarium ejus facit; ad quod faciendum tenebatur. Ad eandem vero non requiritur, ut animum fallendi fidem & contra datam agamus habeamus, dum eandem adſtringimus; ſed ſufficit, ut, hoc non obſtaote, aoimum ſervandi fidem mutemus. Dantur autem ſicuti aliorum vitiorum, ita quoque perfidiæ gradus: de quibus tameo non agendum eſt in Jure Naturæ, ſed in philoſophia morali, in qua vitiorum turpitudo demonſtranda, pro graduum varietate varia,

§. 767.

Uberius exponitur. Quoniam perfidus eſt, qui contrarium ejus facit, ad quod faciendum fidem ſuam adſtrinxit (§. 766.), qui vero fidem ſuam adſtrinxit ad eam ſervandam, conſequenter ad præſtandum, quod dicit, ſeſe alteri obligat (§. 758.); *qui contrarium ejus facit, ad quod faciendum ſeſe alteri obligavit, perfidus eſt.*

Ex. gr. Titius promittit, quod te commendare velit patrono, cujus favorem expetis munus ambiens, & te certum eſſe jubet, data dextera, quod hoc ſit facturus; ſed contrarium facit & ea animo patroni de te inſinuat, quæ animum ejus tibi non poſſunt non reddere infeſtum. Hoc dum facit, perfidiæ notam omnino incurrit. Uſui loquendo convenit, ut perfidiæ reos dicamus eos, qui contrarium ejus faciunt, ad quod faciendum ſeſe obligaverunt, quemadmodum facile patebit, ſi exempla perfidiæ obvia & omnium confeſſione talia ſufficienti acumine rimemur.

§. 768.

Quando promiſſor ſit perfidus. *Si promiſſor contrarium ejus facit, quod facturum ſeſe promiſit; perfidus eſt.* Etenim promiſſor promiſſario fidem non modo dat, ſed etiam adſtringit (§. 760.). Quamobrem ſi contrarium ejus facit, quod promiſit; utique contrarium ejus facit, ad quod faciendum fidem ſuam adſtrinxit. Enimvero qui contrarium ejus facit, ad quod fidem ſuam adſtrinxit, perfidus eſt (§. 766.). Promiſſor igitur perfidus eſt, ſi contrarium ejus facit, quod facturum ſeſe promiſit.

Oſtenditur etiam hoc modo. Promiſſor perfecte ſeſe obligat (§. 363.), ad faciendum ſcilicet, quod ſe facturum promittit (§. 361.). Quodſi ergo contrarium omnino ejus facit, quod ſe facturum promiſit; contrarium omnino ejus facit, ad quod faciendum ſe obligavit. Quamobrem cum perfidus ſit, qui contrarium ejus facit, ad quod faciendum ſeſe alteri obligavit (§. 767.); promiſſor omnino perfidus eſt, ſi contrarium ejus facit, quod facturum ſeſe promiſit.

Exemplum quod mododedimus (*not.* §. 767.), propoſitionem præſentem illuſtrat.

§. 769.

An pollicitator perfidus fieri poſſit. *Si pollicitator contrarium ejus facit, quod ſe facturum pollicitus eſt; contra fidem datam agit, ſed perfidus non eſt.* Etenim pollicitator fidem dat (§. 762.). Quamobrem quando contrarium ejus facit, quod ſe facturum pollicitus eſt, contra fidem datam agit. *Quod erat unum.*

Enimvero fidem ſuam non adſtrinxit (§. 762.). Quoniam itaque perfidus non eſt, qui non facit contrarium ejus, ad quod faciendum fidem ſuam adſtrinxit (§. 766.); quando facit contrarium ejus, quod pollicitus eſt, perfidus non eſt. *Quod erat alterum.*

§. 770.

Num nudus aſſertor perfidus fieri poſſit. *Nudus aſſertor ſi contrarium facit ejus, quod alteri ſe facturum dixit, nec contra fidem datam agit, nec perfidus eſt; peccat tamen, ſi mutatio voluntatis non fertur in melius.* Etenim nudus aſſertor non dat fidem (§. 763.), adeoque multo minus eandem adſtringit (§. 373. 758.). Enimvero qui contrarium ejus facit, quod ſe facturum dixit, fide non data, contra fidem datam agere nequit, & qui fidem ſuam non adſtrinxit, perfidus fieri haud quaquam poteſt (§. 766.). Nudus igitur aſſertor quando contrarium ejus facit, quod alteri ſe facturum dixit, nec contra fidem datam agit, nec perfidus eſt. *Quod erat unum.*

Sed quando is contrarium ejus facit, quod ſe facturum eſſe dixit, voluntatem ſuam mutat (§. 290. *Ontol.*). Quoniam itaque naturaliter homini non competit

Digitized by Google

petit jus voluntatem ſuam mutandi niſi quando mutata in melius fertur (§. 374. *huj.* & §. 192. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); ſi voluntatem ſuam in deterius mutat, contra naturæ legem facit. Enimvero qui contra legem naturæ facit, peccat (§. 440. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ergo nudus aſſertor peccat, ſi contrarium ejus faciens, quod ſe facturum alteri dixerat, voluntatem non mutat in melius. *Quod erat alterum.*

Quæ, ſi jus externum ſpectes; licite fiunt; illicita tamen eſſe poſſunt jure interno, ſeu in conſcientia. Quod jure externo tibi permittendum, non ſemper peccato caret. Derivatur enim id ex jure libertatis naturalis (§. 398), vi cujus conſcientiæ tuæ relinquendum, quid agas, modo nil agas, quod juri perfecto alterius repugnat (§. 157. *part.* 1. *Jur. nat.*), ſeu contra id, quod alteri perfecte debes (§. 236. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

§. 771.

Promiſſio, pollicitatio & aſſertio temeraria num jure interno permiſſæ.

Temere nec alteri promittere, nec polliceri quid debemus; nec temere aſſerendum, quod alteri quid præſtare velimus. Etenim temere nil faciendum; hec loquendum (§. 278.). Quamobrem nec temere alteri promittendum (§. 361.), nec quid eidem polliceri debemus (§. 367.); immo nec temere aſſerendum, quod alteri quid præſtare velimus (§. 371.).

Internam hanc obligationem vulgo etiam agnoſcunt homines. Etenim quando alterum, qui ſe quid daturum, vel facturum dixit, ad dandum, vel faciendum non obligatum cenſent, nec contra fidem eſſe putant datam, ſi id non præſtat, quod ſe præſtiturum dixit, temeritatem ejus accuſant & ſtulti nomine eum traducunt.

§. 772.

Cujusnam ſit judicium de temeritate in promittendo.

An temere quis promittat, de eo ſtatuendum non eſt promiſſario. Oſtenditur eodem prorſus modo, quo ſupra demonſtravimus, de deliberatione promiſſoris prævia non ſtatuendum eſſe promiſſario (§. 422.).

Recolenda hic etiam animo ſunt, quæ ſupra annotavimus (*not.* §. 422. 423. 424.). Atque adeo in jure externo non habetur ratio temeritatis in promittendo; ejus tamen rationem habere debet promiſſor; ne temere promittendo peccet (§. 771. *huj.* & §. 440. *part.* 1. *Philoſ. pract. univ*).

§. 773.

Officium promiſſarii circa promiſſiones temerarias.

Si temeritas promiſſoris fuerit manifeſta; promiſſionem acceptare non debemus, &, ubi poſt acceptationem ea nobis demum innoteſcit, ea remittenda, niſi tua interſit promiſſum eſſe. Idem tenendum de promiſſione animo indeliberato facta. Qui enim temere promittit, peccat (§. 771. & 440. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi temeritas promiſſoris fuerit manifeſta, eum peccare, ſi promittat, manifeſtum eſt. Enimvero nemo id agere debet, ut alter in vitio perſeveret (§. 720. *part.* 1. *Jur. nat.*), conſequenter ut agat, quod legi naturæ contrariatur (§. 322. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque peccet (§. 440. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam igitur hoc fit, ſi promiſſionem, quam temerariam eſſe agnoſcis, acceptas (§. 2.); promiſſionem temerariam acceptare non debes. *Quod erat unum.*

Quodſi temeritas promiſſoris tibi demum innoteſcit, facta a te jam acceptatione, conſequenter jure tibi quæſito (§. 381. 365.); a te factum eſſe agnoſcis, quod fieri non debuiſſet, etſi ſine culpa tua (§. 722. *huj.* & §. 750. 758. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Si tua non interſit promiſſum eſſe, res adhuc reſtitui poteſt in eum ſtatum, quo perinde eſt, ac ſi promiſſio non facta, nec a te acceptata fuiſſet, cum jus ex ea quæſitum remittere poſſis (§. 117.). Nemo dubitabit, ſi hoc non facias, te peccare velle, ut pote cum tibi ſit voluntas promiſſum etiam temerarium acceptandi, utut de temeritate promiſſoris tibi con-

ſtaret: quod tamen fieri non debet *per demonſtrata n. 1.* Quamobrem cum velle peccare etiam peccatum ſit (§. 444. *p. 1. Phil. pract. univ.*), adeoque actio legi naturæ contraria (§. 440. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ſi temeritas promiſſoris tibi demum innoteſcit, facta a te jam acceptatione, promiſſionem remittere debes. *Quod erat ſecundum.*

Quod ſi vero tua interſit promiſſum eſſe, neceſſe eſt ut damnum quoddam emergat ac lucrum ceſſet, niſi promiſſio adimpleatur (§. 662.). Quamobrem cum omnem operam dare teneamur, ut damnum quodvis, quantum in nobis eſt, a nobis avertamus (§. 493. *part. 2. Jur. nat.*); officium erga teipſum collidi-tur cum officio erga alios (§. 206. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Sed ſi officium erga ſeipſum & officium erga alios inter ſe colliduntur, officium erga ſeipſum vincit (§. 229. *part. 1. Phil. pract. univ.*), adeoque huic ſatisfaciendum (§. 208. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quare ſi temeritas promiſſoris tibi demum poſt acceptationem factam innoteſcit, ac tua interſit promiſſum eſſe; promiſſio non remittenda. *Quod erat tertium.*

Cum promiſſio fieri debeat animo deliberato (§. 391.), adeoque non debeat fieri animo indeliberato (§. 722. *part. 1. Jur. nat.*), de animo autem deliberato promiſſoris ſtatuendum non ſit promiſſario (§. 424.); haud difficulter perſpicitur, quæ de temeraria promiſſione demonſtrata ſunt, eadem de promiſſione animo indeliberato facta demonſtrari poſſe eodem modo.

Immo temeraria promiſſio ſemper fit animo indeliberato, utut non omnis promiſſio animo indeliberato facta ſtatim ſit temeraria, quemadmodum ex collatione definitionum manifeſtum eſt (§. 387. 377.). Quodſi ergo libuerit ea, quæ de promiſſione temeraria demonſtravimus, de animo indeliberato facta promiſſione demonſtrare; eadem per modum corollarii de promiſſione temeraria inferre licet. Ceterum interna obligatio ad ea, quæ hic demonſtrata fuere, vulgo agnoſcitur, quia laudatur, qui eidem ſatisfacit, reprehendi autem ſolet, qui non ſatisfacit, niſi juſtam excuſationis cauſam ſuppeditet id, quod intereſt promiſſarii. Si fiat, quod hic præcipitur, æquum dicunt omnes; ſi non fiat, iniquum dicunt ſaltem qui æquitatis ſunt amantes. Æquitas autem & iniquitas non intelligitur ſine lege naturali (§. 240. & *ſeqq. part. 1. Phil pract. univ.*).

§. 774.

Perfidia num lege naturali prohibita. *Perfidia omnis illicita, ſeu lege naturali prohibita eſt.* Etenim qui perfidus eſt, contrarium ejus facit, ad quod faciendum fidem ſuam adſtrinxit (§. 766.), conſequenter ad quod faciendum ſeſe obligavit (§. 758.), adeoque quod facere promiſit (§. 393.). Quoniam itaque promiſſa ſunt ſervanda (§. 431.), adeoque faciendum, quod promiſimus (§. 430.), conſequenter illicitum eſt non facere, quod promiſſum (§. 722. *part. 1. Jur. nat.*); perfidia quoque omnis illicita eſt, ſeu lege naturali prohibita (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Non eſt quod excipias, temere nil eſſe promittendum (§. 771.), neque etiam animo indeliberato (§. 391.). Inde enim non ſequitur, promiſſionem temere, vel animo indeliberato factam minime adimpleri debere. Si temere & animo indeliberato promiſiſti, utique peccas, quia agis, quod agendum non erat (§. 440. *p. 1. Phil. pract univ.*). Aſt ſi promiſſa non ſervas, itidem peccas, cum ea ſervare debeas (§. 431. *h.* & §. *cit. part. 1. Phil. pract. univ.*). Ecquis vero dicat, quod peccare denuo liceat, quia peccaſti, conſequenter peccando te acquirere jus quoddam denuo peccandi? Perfidia adeo cum nunquam committatur niſi facto promiſſioni contrario; ſemper quoque illicita eſt.

§. 775.

Obligatio ſervandi fidem. *Obligatio ſervandi fidem in promiſſis perfecta eſt.* Etenim qui promiſſa ſervat, fidem ſervat (§. 759.). Sed obligatio ſervandi promiſſa perfecta eſt (§. 363.). Ergo etiam obligatio ſervandi fidem in promiſſis perfecta eſt.

Ger-

Germani fidei ſervandæ tenaciſſimi erant, nec quicquam facile tam turpe habebatur, quam fallere fidem. Dictis addendam eſſe fidem ſtatuebant, ita ut iis tuto fides haberi poſſit. Enimvero quis non intelligit, quod affirmare, ſe hoc vel illud præſtiturum, idem ipſis fuerit, ac perfecte promittere, cum vellent eum alteri eſſe obligatum, qui affirmat, ſe hoc vel illud eidem præſtiturum: alteri enim te obligare non potes niſi promittendo (§. 393.). Nomina ſunt arbitraria, nec ab iis pendet veritas, ſed hæc ineſt rebus, quæ iiſdem deſignantur. Sinceritas maxime iiſdem probabatur, quæ veritatem in dictis exigit (§. 315.): probabatur fides, quæ dictorum conſtantiam urget (§. 757.). Ad perfectam adeo promiſſionem ſufficere ipſis videbatur dicere, quid alteri præſtare velis, ut eidem obligeris, cum virum ſive hominem adultæ ætatis non decere exiſtimarent dicere, te hoc vel illud acturum abſque animo deliberato. Unde proverbium: Ein Wort ein Wort; ein Mann ein Mann. Perinde igitur eſt, ac ſi dixiſſent, niſi tibi ſit animus in voluntate præſenti perſeverandi, teque obligatum eſſe velis ad addendum verbis factum, dicendum alteri non eſt, te hoc ipſi præſtare velle: quod noſtra phraſi ita reddendum; niſi perfecte promittere vis, non dic, te nunc habere animum alteri quid præſtandi. Iſtiuſmodi enim dicta ſupervacua ſunt, nec niſi vana ſpe animum alterius lactant, & odiorum ſemina ſunt. Præſtat igitur ſilere, niſi ea dicere velis, quibus plenam fidem alter habere poteſt. Dicere, & nondum habere animum dictis addendi factum, nec obligatum eſſe velle ad factum dictis addendum, mendacio æquiparabant Germani, quando ad dicendum verum alteri obligatus (§. 182.), cujus quippe intereſt ut de animo tuo tibi conſtet. Cum itaque apud eos mendacium turpiſſimum haberetur vitium; fallere quoque fidem eadem turpitudine cenſeri debebat.

§. 776.

Pollicitationes num ſint ſervandæ.

Ad pollicitationes ſervandum interne obligamur, Pollicitator enim declarat, ſe velle tibi quid præſtare & in hoc propoſito perſeveraturum (§. 367.), conſequenter affirmat ſe verbis factum additurum, adeoque quod pollicetur ſervaturum (§. 430.). Quamvis adeo nolit in te transferre jus ipſum compellendi ad addendum verbis factum (§. 367.); idem tamen ipſi eſt animus præſtandi, quod pollicetur, quemadmodum promiſſori, quod promittit, atque adeo cum ad verum dicendum obligetur perinde ac promiſſor promiſſario (§. 426.), neceſſitatem ſibimet ipſi imponit præſtandi id, quod pollicetur, adeoque ſe obligat ad præſtandum id, quod pollicetur (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam tamen nonniſi imperfecte ſeſe obligat (§. 369.); ideo nonniſi interne, ſeu in conſcientia obligatur ad pollicitationem ſervandum (§. 656. *part.* 1. *Jur. nat.*).

Si pollicitator obligatus eſſe nollet interne ad præſtandum id, quod pollicetur; nec dicere poterat, ſe in hac voluntate perſeveraturum, neque tibi fidem dare poterat; quin potius nude tantummodo aſſerere deberet, ſibi de præſenti eſſe animum hoc tibi præſtandi (§. 371.): quo pacto ſeſe nullo modo tibi obligaret. Hæc enim differentia eſt inter nudam aſſertionem, pollicitationem & promiſſionem, quod illa nullo modo (§. 373.), iſta imperfecte (§. 369.), hac perfecte alteri obligemur (§. 363.). Quando adeo pollicemur, non hoc fieri intelligitur eo animo, ut nobis liberum ſit, utrum verbis addere factum velimus, nec ne; ſed quod nolimus, alterum fidem noſtram in dubitationem adducere, ut demum opus ſit eam perfecta obligatione ſeu externa adſtringere. Quamobrem tanto magis incumbit pollicitatori, ut præſtet, quod ſe præſtiturum pollicetur.

§. 777.

Pollicitator num fidem ſervare teneatur.

Pollicitator fidem datam ſervare, non fallere debet. Interne enim obligatur ad pollicitationem ſervandam (§. 776.), adeoque ad præſtandum id, quod ſe præſtiturum pollicitus eſt (§. 430.). Enimvero fidem ſervat, qui quod ſe præſtiturum dicit, præſtat, fallit autem, qui non præſtat (§. 758.). Quamobrem pollicitator fidem datam ſervare, non fallere debet.

Pollicitator tanto tenacior eſſe debet fidei ſervandæ, quia perfecte alteri ſeſe obligare dedecori ſibi ducere videtur, fidei ſuæ vinculum æquiparans obligationis externæ vinculo, quo utique opus non erat, ſiquidem ea eſſet omnium honeſtas, ut rerum ſuarum jacturam facere mallent, quam ſuſpicionem fidei fallacis incurrere.

§. 778.

§. 778.

Jus in re quid ſit.

Jus in re dicitur jus, quod in rem ipſam nobis competit. Vocatur etiam ſubinde *Jus reale*, patrio ſermone ein dingliches Recht. Quoniam jus eſt facultas moralis agendi (§. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *Qui jus in re habet, ei competit facultas moralis vel de re ipſa, vel de aliquo ejus uſu ac inde percipiendo fructu vel de his ſimul diſponendi pro arbitrio ſuo.*

Jus adeo in re inhæret perſonæ ejus, cui competit: ſed eidem competit citra reſpectum ad aliam perſonam, quam ſibi obligatam habet. Unde vix intelligibiliter dicitur, jus in re inhærere ipſi rei. Cum enim jus ſit facultas moralis agendi (§. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); quinam erit ſenſus verborum, ſi dixeris facultatem moralem agendi quoad hanc rem tibi competentem inhærere rei ipſi? Sed in verbis ſimus faciles, modo in re conveniamus: neque enim adeo accurate loquuntur homines, ut ipſorum dictionibus ſeu loquendi formulis ſemper inſit veritas.

§. 779.

Quale jus ſit dominium.

Dominium eſt jus in re. Etenim dominium eſt jus proprium de re aliqua pro arbitrio ſuo diſponendi (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*), tam de ſubſtantia, quam de uſu & fructu quolibet rei (§. 135. 136. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quoniam itaque qui de rei ſubſtantia, uſu & fructu ejuſdem quolibet pro arbitrio ſuo diſponere poteſt, eidem jus quoddam in rem ipſam competit (§. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); dominium eſt jus in re (§. 778.).

Communione primæva ſublata, dominium eſt præcipuum jus in re, ex quo cetera jura in re tanquam ex fonte ſuo derivantur; quemadmodum ſuo loco patebit.

§. 780.

Communio primæva quale jus.

Communio primæva erat jus in re. Etenim jus, quod in communione primæva in res competebat hominibus, erat uſus earum neceſſarius (§. 21. *p.* 2. *Jur. nat.*), indigentiæ uniuſcujuſque proportionatus (§. 33. *part.* 2. *Jur. nat.*), & uniuſcujuſque judicio relinquendum erat, in quantum uſus rerum ſibi ipſi neceſſarius, & quanta ſit indigentia ſua (§. 43. *part.* 2. *Jur. nat.*), ita ut quilibet rebus uti poſſet, quibus uti liberet (§. 44. *part.* 2. *Jur. nat.*), & quando re actu quis utebatur, nemo alius ejuſdem uſum licite prætendere poterat (§. 35. *part.* 2. *Jur. nat.*). Homini adeo cuilibet competebat jus de rei cujuslibet corporalis uſu diſponendi pro arbitrio ſuo. Quamobrem cum jus quoddam in rem ipſam nobis competere debeat, ſi de ejus uſu pro arbitrio noſtro diſponendi facultatem moralem habemus (§. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quod vero in rem ipſam nobis competit jus ſit jus in re (§. 778.); communio primæva erat jus in re.

Non obſtat, quod nemo alium eodem jure excludere poterat (§. 20 *part.* 2. *Jur. nat.*), quemadmodum dominus jure ſuo, quod in re habet, excludit ceteros omnes (§. 120. *part.* 2 *Jur. nat.*): id enim non inde eſt, quod dominium ſit jus in re (§. 779.), ſed hinc potius fluit, quod idem ſit jus proprium (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*), cum jure proprio contineatur jus eodem ceteros excludendi (§. 119. *part.* 2. *Jur. nat.*). Non adeo implicat, jus commune eſſe jus in re.

§. 781.

Jus ad rem quodnam ſit.

Jus ad rem dicitur, quod nobis competit reſpectu ejus rei, ad quam præſtandam alius nobis obligatus eſt.

Ex. gr.

Ex. gr. Titius tibi obligatus eſt ad dandum nummum aureum, quem habet, ſeu qui in ipſius dominio eſt. Jus, quod tibi competit reſpectu hujus nummi, eſt jus ad rem. Tibi ſaltem competit jus Titium compellendi ad dandum nummum aureum (§. 236. *part. 1. Phil. pract. univ.*); nondum autem de ipſo nummo vel uſu ejus tibi diſponere licet pro arbitrio tuo, neque enim hoc jus in te translatum fuit eo facto, quo Titius tibi ad ipſum dandum obligatus fuit, ſed ſaltem jus exigendi, ut idem in te transferatur.

§. 782.

Cuinam juri jus ad rem cohæreat.

Jus ad rem conjunctum eſt cum jure alterum compellendi ad rem quandam præſtandam. Etenim jus ad rem tibi competit reſpectu illius rei, ad quam præſtandam alter tibi obligatur (§. 781.). Enimvero ſi quis tibi ad rem aliquam præſtandam obligatur, tibi competit jus eum compellendi ad eam præſtandam (§. 236. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ergo jus ad rem conjunctum eſt cum jure alterum compellendi ad rem iſtam præſtandam.

Jus ad rem naſcitur ex obligatione, qua alter tibi tenetur (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*). Alter tibi obligatur ad rem quandam præſtandam, quando tibi jus ad rem competit (§. 781.). Jus adeo ad rem conjunctum eſt cum jure alterum compellendi ad rem iſtam præſtandam, ad quam præſtandam tibi obligatur.

§. 783.

Jus ad rem ad quid proſit.

Jure ad rem acquiri poteſt jus in re. Etenim ſi tibi competit jus ad rem, jus habes alterum compellendi, ut rem iſtam tibi det (§. 782. 80.), conſequenter dominium ejus in te transferat (§. 675. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum dominium ſit jus in re (§. 779.); jure ad rem acquiri poteſt jus in re.

Quodſi perpendamus res non dari, niſi quæ ſunt vel corporales, vel incorporales (§. 496. 497. *part. 1. Jur. nat.*), & res etiam incorporales dominio ſubjici poſſe (§. 216. *part. 2. Jur. nat.*), immo etiam actiones noſtras liberas, tam internas, quam externas æquiparari rebus, quæ ſunt in dominio noſtro (§. 436. *part. 2. nat.*); ſtatim manifeſtum erit, propoſitionem præſentem non tantummodo in caſu particulari fuiſſe demonſtratam, Sed illuſtremus eandem exemplo. Si Titius tibi obligatur ad dandum nummum aureum, jus ad rem habes Competit enim tibi jus eum compellendi ad dandum, niſi ultro hoc fecerit. Quodſi vero obligarioni ſuæ ſatisfaciens tibi eundem actu dat; dominium in eo habes, adeoque jus in re. Atque adeo patet jus ad rem tibi profuiſſe ad acquirendum jus in re. Hinc clariſſime perſpicitur differentia, quæ intercedit inter jus in re & jus ad rem. Differunt nimirum quemadmodum ens potentia & ens actu. Qui habet jus in re, ille actu habet facultatem moralem de re vel quodam ejus uſu, aut fructu percipiendo pro arbitrio ſuo diſponendi (§. 778.); qui vero jus ad rem habet, hanc facultatem tantummodo habere poteſt, nondum actu habet. Abſit adeo ut diſtinctionem juris in jus ad rem & jus in re pro ſubtilitatibus habeamus hominum arbitrio confictis, & quæ in Jure naturæ non veniat attendenda.

§. 784.

Promiſſione quale jus acquiratur.

Promiſſione acquiritur jus ad rem. Etenim promiſſor in promiſſarium transfert jus a ſe exigendi, ut præſtet, quod ſe præſtiturum dicit, ſeu eum compellendi ad rem promiſſam præſtandam (§. 361.), nec promiſſarius acceptatione ſua aliud præterea jus acquirere poteſt (§. 382.). Enimvero cum jure alterum compellendi ad rem promiſſam præſtandam cohæret jus ad rem (§. 782.). Ergo promiſſione acquiritur jus ad rem.

§. 785.

Jus ad rem imperfectum quodnam ſit.

Quodſi quis ad rem quandam præſtandam tibi tantummodo imperfecte obligatur, jus quod tibi reſpectu illius rei competit *Jus ad rem imperfectum* dicendum.

Cum

Cum in Jure civili & poſitivo quocunque juris tantummodo perfecti habeatur ratio, jus ad rem ſemper denotat jus perfectum, quemadmodum & jus ſimpliciter dictum de jure nonniſi perfecto intelligitur. Enimvero cum in Jure naturali Juris non modo perfecti, verum etiam imperfecti habenda ſit ratio, non ſolum quia ſyſtema juris naturalis jus omne, ſive perfectum, ſive imperfectum fuerit, ambitu ſuo complecti debet, ſed & quia ſine jure imperfecto demonſtrari nequit perfectum, prouti ex demonſtrationibus anterioribus & porro ſecuturis ſatis perſpicitur; ideo nec abſonum videri debet, quod etiam jus imperfectum ad rem admittamus. Sed demus exemplum. Ex. gr. Dives naturaliter obligatur ad dandum pauperi eleemoſynam; adeoque ex hac obligatione pauperi jus quoddam naſcitur ad eleemoſynam (§. 23. *p. 1. Jur. nat.*). Quoniam vero obligatio ad iſtam nonniſi imperfecta eſt, quod ſuntere interea lubet (§. 659. *part. 1. Jur nat.*); ideo etiam jus ad eleemoſynam imperfectum eſſe debet. Repugnat nimirum tibi competere jus perfectum & alterum tibi obligari nonniſi imperfecte (§. 236. 237. *p. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 786.

Juri ad rem imperfecto quodnam jus cogereat.

Jus ad rem imperfectum conjunctim eſt cum jure eandem petendi. Si enim jus ad rem imperfectum habes, tibi competit jus reſpectu ejus rei, ad quam præſtandam alter ipſi imperfecte obligatur (§. 785.). Nullum adeo tibi eſt jus alterum cogendi, ut obligationi ſuæ ſatisfaciat (§. 238. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque jus habet petendi; ubi jus cogendi deficit (§. 234. *part. 1. Phil. pract. univ.*); jus ad rem imperfectum cum conjunctum eſt jure eandem petendi.

Quod ex obligatione imperfecta debetur, ſi petenti denegatur, tibi ferendum, cum deficiat jus cogendi (§. 238. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Differt adeo jus ad rem imperfectum a jure ad rem perfecto, ut ens potentia remota ad ens potentia proxima. Nimirum ſi fuerit perfectum, omnia adſunt quæ ad hoc requiruntur, ut jus in re ſit poſſibile; ſi autem fuerit imperfectum omnia ad poſſibilitatem juris in re requiſita nondum adſunt. Si jus ad rem perfectum eſt, fieri poteſt ut jus in re conſequaris; ſi vero imperfectum fuerit, dici equidem non poteſt impoſſibile eſſe, ut jus in re conſequaris, nec tamen etiam dici certo poteſt, quod fieri poſſit, ut idem conſequaris, quoniam eadem facilitate contrarium accidere poteſt. Quando jus ad rem perfectum eſt, a tua voluntate pendet actualitas juris in re; quando imperfectum eſt, ea non ſolum pendet a voluntate tua, verum etiam a voluntate alterius, cujus demum voluntate tuæ ſubjici poteſt, ut jus ad rem imperfectum abeat in perfectum. Quodſi demonſtrata ſuperius de differentia perfecte, & imperfecte debitorum (§. 401. & *ſeqq.*) attenta mente relegas; quæ de differentia juris ad rem perfecti & imperfecti hic dicuntur, penitus perſpicientur.

§. 787.

Ad quid proſit jus imperfectum ad rem.

Jure imperfecto ad rem acquiri poteſt jus perfectum ad rem. Etenim ſi jus imperfectum ad rem habes, ad eam præſtandam alter tibi imperfecte obligatur (§. 785.), adeoque ea tibi imperfecte debetur (§. 401.). Enimvero mutuo conſenſu perficitur, ut quod imperfecte debebatur, jam debeatur perfecte (§. 404.), conſequenter ut alter ad id præſtandum perfecte tibi obligetur (§. 401.). Quamobrem cum jus ad rem perfectum evadat, quando alter ad eam præſtandam tibi perfecte obligatur (§. 781.); jure ad rem imperfecto acquiri poteſt jus ad rem perfectum.

Non eſt quod excipias, ut jus ad rem perfectum acquiras, non opus eſſe, ut habeas jus ad rem imperfectum, cum jus ad rem acquiratur vi promiſſionis, quod perfectum eſt (§. 784.), in voluntate autem promiſſoris unice poſitum eſſe, utrum quid promittere velit, nec ne (§. 386.). Etenim tam promiſſio (§. 391.), quam acceptatio fieri debet animo deliberato (§. 392.). Quodſi vero ea expendas, quæ ad animum deliberatum cum ex parte promiſſoris (§. 394.), cum ex parte promiſſarii requiruntur (§. 395.), facile conſtabit, modo eorum, quæ in Philoſophia practica univerſali demonſtrata ſunt, non ſis ignarus, ſine jure tuo imperfecto tibi naturaliter nil eſſe promittendum, nec quod ſine eo promittitur a te acceptandum eſſe, ut adeo promiſſio, quamvis quoad juſtitiam externam ſit valida, ipſo tamen jure naturali maneat iniqua. Si ad judicia hominum obvia de promiſſorum æquitate & iniquitate animum advertas, haud difficulter perſpicies, quæ hic aſſerimus, vulgo etiam agnoſci.

§. 788.

Pactum ſive *Pactio* eſt conventio, qua duo vel plures in eandem vel eaſdem promiſſiones conſentiunt. Unde patet, *pactum omne continere vel promiſſionem ab una tantummodo parte factam, ab altera acceptatam, vel mutuas promiſſiones & earundem mutuas acceptationes.* *Pactum quid ſit.*

Ulpianus l. 1. §. 2. ff. de Pact. Pactionem ait eſſe duorum pluriumve in idem placitum conſenſum. Qui inter ſe conſentiunt, inter ſe conveniunt (§. 659.). Oſtendimus tamen ſupra (*not. §. cit.*), conventionem a conſenſu adhuc differre. Accuratius itaque pactum definitur per conventionem, quam per conſenſum, utut ad pactum omne conſenſus paciſcentium requiratur, nec ſine eo perfici poſſit, quatenus ſcilicet conventio eundem continet. Placitum vero idem hic intelligi nequit niſi de eo, quod præſtandum eſt. Hinc etiam interpretes Juris Romani mentem *Ulpiani* ita explicant, ut pactum dicant actum, quo plures de aliquo præſtando conſentiunt. Solent enim pactum & conventionem pro ſynonymis habere, quæ tamen rectius a ſe invicem diſtinguuntur; prouti ex iis intelligitur, quæ ſupra annotavimus (*not. §. 698.*). Ceterum in pactis præſtandorum fieri promiſſionem ab una, acceptationem ab altera parte, ex iis conventionibus patet, quæ pactorum nomine veniunt, ut adeo ab uſu loquendi minime abeat definitio noſtra.

§. 789.

Pacta naturaliter obligant, ſeu ſervanda ſunt. Continent enim promiſſionem, vel promiſſiones plures acceptatas (§. 788.), adeoque validas (§. 365.). Sed promiſſa ſunt ſervanda (§. 431.), & promiſſor promiſſario perfecte obligatur (§. 363.). Quamobrem pacta quoque ſervanda ſunt, & naturaliter obligant paciſcentes. *An pacta ſint ſervanda.*

Civile adeo eſt, quod jure Romano pactis nonnullis, quæ ideo nuda vocantur, detrahatur vis obligandi: quod tamen jure Canonico & moribus noſtris mutatum. Sed de eo rectius agetur in theoria juris civilis naturali, quam partem Juris naturæ facimus.

§. 790.

Qui pacta non ſervat fidem datam fallit: qui contra pacta agit, hoc eſt, *contrariam ejus agit, quod pactum, ſeu conventum fuerat, perfidus eſt.* Quoniam enim pacta promiſſionem, vel promiſſiones plures acceptatas continent (§. 785.); qui pactum non ſervat, promiſſa non ſervat, & qui contrarium ejus agit, quod pactum erat, is contrarium ejus agit, quod promiſſum fuerat. Enimvero qui promiſſionem non ſervat, fidem fallit (§. 759.), & ſi promiſſor contrarium ejus facit, quod facturum ſeſe promiſerat, perfidus eſt (§. 768.). Quamobrem qui pacta non ſervat, fidem datam fallit: qui contra pacta agit, hoc eſt, contrarium ejus, quod pactum, ſeu conventum fuerat, perfidus eſt. *Quando paciſcentes fidem fallant, quando perfidi fiant.*

Ulpianus l. 1. §. 1. ff. de pact. pactum a pactione diſtinguere videtur, dum pactum a pactione dici ait, ita ut pactio denotet actum paciſcentium, ſeu ipſam eorundem conventionem de eo, quod præſtandum promittitur; pactum autem, quod conventum eſt, ſeu id quod paciſcentes conſenſerunt, quemadmodum promiſſio diſtingui poterat a promiſſo, ita ut actus promittendi dicatur promiſſio, quod vero promittitur, & ab altero fuit acceptatum, promiſſum dicatur. Quoniam tamen uſus loquendi non fert illam diſtinctionem, quo pactum & pactio promiſcue uſurpatur; nec nobis viſum eſt abſque ulla utilitate ea a ſe invicem diſtinguere.

§. 791.

Pactum expreſſum & tacitum. *Pactum expreſſum* dicitur, quod conſenſu in idem promiſſum, vel eadem promiſſa, expreſſo fit: *tacitum* vero, quod fit conſenſu tacito.

Exempla pactorum tacitorum occurrent ſuo loco.

§. 792.

Pactum purum, conditionatum, in diem factum, mixtum quodnam ſit. *Pactum purum* eſt, quod promiſſiones nonniſi puras continet. *Conditionatum* eſt, quod promiſſiones conditionatas continet. Et in ſpecie *in diem factum* dicitur, ſi promiſſiones in diem factas continet. *Mixtum* denique eſt, quod promiſſiones alias puras, alias conditionatas & in ſpecie in diem factas continet.

Quæ igitur antea de promiſſionibus tam puris, quam conditionatis & in diem factis, atque mixtis demonſtrata ſunt; ea etiam ad pacta applicanda, cum pactorum vis omnis a promiſſione pendeat, in quam conveniunt paciſcentes, & tota per promiſſionem, in quam conventum eſt, ſubſiſtant. Hinc apparet, cur tam operoſe de promiſſione egerimus, quoniam ea faciunt, quæ demonſtrata fuere, ad intellectum pactorum. Erunt forſitan, qui ſibi perſuadebunt, pacta cum promiſſionibus a nobis confundi in unum. Enimvero non omnis promiſſio requirit conventionem, cum nuda acceptatione perficiatur, veluti ſi quis ultro liberaliter quid promittat: aſt ubi unus conditionem offert, & alter demum deliberat, quid promittere velit, tu vero viciſſim, num in hac promiſſione acquieſcere velis, niſi conditionem oblatam integram accipiat qui promittit; ibi conventio requiritur, antequam firmiter quid promiſſum dici poſſit.

§. 793.

Contractus quid ſint. Conventiones, quibus perfectæ producuntur obligationes, *Contractus* appellantur.

Sumitur in hoc ſignificatu vocabulum a JCtis Romanis. Ita *Ulpianus* l. 19. ff. de V. S. cum *Labeone* contractum eſſe dicit ultro citroque obligationem: JCti enim Romani non loquuntur niſi de obligatione perfecta, eaque civili, ob quam datur actio in foro. Quamvis vero definitio *Ulpiani* videatur arctior ſuo definito, utpote quæ non loqui videtur niſi de iis conventionibus ſeu actibus, quibus obligatio quædam producitur ex utraque parte, non tantummodo ex una; ſi tamen æquam admittamus interpretationem, obligatio ultra citroque facta etiam in ſe comprehendit obligationem ex parte tantummodo una factam, &, ſi rem accuratius penſitemus, iis etiam conventionibus, ex quibus tantummodo pars una alteri obligari videtur, ultro citroque producuntur obligationes. Ex. gr. in commodato tantummodo commodatarius videtur obligari ad rem minime deteriorandam, diligenter cuſtodiendam, & ſtatuto tempore reddendam; revera tamen commodans quoque ſeſe obligat commodatario ad nihil pro uſu rei ſuæ exigendum & ad uſum tamdiu concedendum, quamdiu vel expreſſe, vel tacite conventum fuit. Clariora hæc erunt ſuo tempore ac loco, quando de contractibus ſumus acturi.

§. 794.

An naturaliter pacta a contractibus differant. *Naturaliter contractus a pactis non differunt.* Naturaliter enim pacta obligant, perfecte ſcilicet (§. 789.), eademque conventiones ſunt (§. 788.). Quamobrem cum conventiones, quibus perfectæ producuntur obligationes, contractus ſint (§. 793.); naturaliter pacta omnia ſunt etiam contractus, conſequenter contractus a pactis non differunt.

Civile adeo eſt, quod pactis quibuſdam obligationem perfectam, civilem nimirum, ob quam datur actio in foro, detrahant, non prorſus invito jure naturali, quemadmodum ſuo loco in Theoria naturali legum civilium demonſtraturi ſumus. *Grotius* de J. B. & P. lib. 2. c. 12. actus omnes aliis utiles, extra mere beneficos, contractus appellat, & *Puffendorfius* de J. N. & G. lib. 5. c. 2. §. 4. differentiam pactorum & contractuum petit ab objecto, ſic ut contractus vocen-

centur, qui verſantur circa res & actiones in commercium venientes, adeoque dominia & pretia rerum præſupponunt; quæ circa alia ineuntur conventiones communi pactorum nomine cenſeantur. Quamvis vero, cum arbitrariæ ſint definitiones, unicuique liberam permittamus, quemnam ſignificatum vocabulis tribuere velit, modo in eodem iiſdem conſtanter utatur, nobis tamen viſum eſt vocabulum accipere in eo ſignificatu, qui non abhorret a mente JCtorum Romanorum, & quem ſimul fert jus naturæ. Tum vero omnino ſequitur, quemadmodum demonſtratio præſens loquitur, pacta & contractus jure naturali minime differre.

§. 795.

Quoniam inter ſe differunt perfecte & imperfecte debitum (§. 401.), & aliud eſt velle, ut imperfecte debitum nobis præſtetur, aliud vero noſſe velle, utrum alter, quod imperfecte debet, nobis præſtare velit, nec ne; ſiquidem vocabulis hæc accurate a ſe diſtinguere velimus, aliud peti, aliud exigi, aliud rogari, aliud denique cogi dicendum eſt. *Petere* nimirum idem eſt ac velle, ut imperfecte debitum nobis præſtetur; *Exigere* idem ac velle, ut perfecte debitum nobis præſtetur; *Rogare* idem ac velle, ut alter ſignificet, utrum imperfecte debitum nobis præſtare velit, nec ne; *cogere* denique aut *compellere* idem eſt ac vi adigere alterum ad perfecte debitum præſtandum, qui exigenti id denegat. *Petere, exigere, rogare & cogere, quomodo differant.*

Noſtrum jam non eſt inquirere, num ſignificatus hi vocabulorum conveniant menti JCtorum Romanorum, aut prolixius hoc oſtendere. Sufficit hoc modo ſine inconſtantia nos loqui poſſe in Jure naturæ, quod vagum vocabulorum ſignificatum reſpuit. Optandum foret, ut proſtaret opus de ſignificatu verborum in Jure Romano, quod nomen ſuum tueri poſſit. Quamvis enim non invideamus *Briſſonio* elogia, quæ in opus ipſius de verborum ſignificatione liberali manu congeruntur, ipſimet proni in aliorum laudes, eas vero, quæ nobis ab aliis tribuuntur, non ſine metu quodam percipientes; Briſſonianum tamen opus ab eo, quod nos animo concipimus, prorſus diverſum eſt. Deſideramus enim opus, in quo ſignificatus vocabulorum definitionibus accuratis explicetur & quod menti JCtorum conformis ſit demonſtretur, ac ubi vocabulum plures ſignificatus habere videtur omni animi ſollicitudine inquiratur, annon generalis quidam ſignificatus inſit diverſis illis, quos habere videtur, ſpecies veluti reducendo ad ſuum genus & hoc in ſuas ſpecies ſubdividendo, ne per metonymiam, aut figuram quandam aliam dicta homonymiæ tribuendo. Quam diffuſus vero hic ſit labor, quantum acumen, quantam ingenii vim requirat, facile perſpicient ii, quibus de iis, quæ diximus, judicare datum eſt. Nobis itaque non vacat, in hanc arenam deſcendere. Ceterum quæ de differentia vocabulorum petere, exigere, rogare & cogere ſeu compellere ad præſtandum dicta ſunt, ab uſu loquendi minime abhorrent. Ita iiſdem convenienter dicere ſolemus, quod pauper petat eleemoſynam; venditor exigat pretium, de quo conventum aut fides habita; creditor roget alterum, num fidejubere velit, vel promiſſarius promiſſorem, num velit promittere; creditor debitorem moroſum cogat, vel compellat ad ſolvendum debitum.

§. 796.

Contractus omnes fiunt nonniſi de dando & faciendo. Etenim in contractibus contrahentes ſeſe ſibi invicem obligant (§. 793.). Enimvero nemo ſeſe alteri obligare poteſt niſi ad dandum, vel faciendum (§. 358.). Omnes igitur contractus fiunt nonniſi de dando & faciendo. *Contractuum objectum.*

Quilibet cum altero contrahens, vel paciſcens attendit aliquam utilitatem ſuam, quam aliter percipere nequit niſi ex eo, quod is eidem dat, vel facit.

§. 797.

Quoniam contractus naturaliter a pactis non differunt (§. 794.), iidem autem de dando & faciendo fiunt (§. 796.); *pacta etiam omnia nonniſi de dando & faciendo fiunt.* Oſtenditur etiam independenter a notione contractus hoc modo. Pacta naturaliter obligant (§. 789.). Sed homines ſeſe ſibi invicem obligare non poſſunt niſi ad dandum vel faciendum (§. 358.). Quamobrem nec pacta aliter fiunt, quam de dando & faciendo. *Pactorum objectum.*

Digitized by Google

Non minus conveniri poſſe de dando, quam de ſaciendo, nemo eſt qui negare auſit, conſequenter hoc tanquam per ſe notum ſupponimus. Sed de eo quæſtio nunc eſt, utrum præterea adhuc paciſci vel contrahere detur, quam de dando & faciendo, nec ne. Atque adeo demonſtrandum erat, non dari poſſe pactum aliud; vel contractum alium, quod pactum, vel qui contractus non ſit de dando vel faciendo.

§. 798.

An inutilium promiſſio ſit valida.

Si id promittitur, quod alteri prorſus inutile eſſe manifeſtum eſt; promiſſio ſervanda non eſt. Etenim ſi quid alteri prorſus inutile eſt; nec is commodum quoddam habet, ſi præſtetur, nec damnum quoddam incurrit, ſi non præſtetur. Perinde igitur eſt, ſive præſtetur, ſive non præſtetur, conditione promiſſarii nec in melius, nec in deterius mutata, utrumlibet horum fiat. Quoniam itaque ratio nulla eſt, cur præſtari debeat, quod prorſus inutile eſt promiſſario, ſine ratione autem ſufficienter nil fieri debeat, cum nil temere ſit agendum (§. 278.); promiſſa autem non ſerventur, ſi quod promiſſum eſt non ſervatur (§. 430.); ſi id promittitur, quod alteri prorſus inutile eſſe manifeſtum eſt, promiſſio ſervanda non eſt.

Oſtenditur etiam hoc modo. Si quod promittitur alteri prorſus inutile eſt; id nullo fine (§. 932. *Ontol.*), adeoque temerarie promittitur (§. 277.). Enimvero temere nil alteri promittendum (§ 771.), nec facta promiſſio acceptanda, ſi temeritas promiſſoris fuerit manifeſta, immo acceptatio remittenda, ſi poſt eam demum illa innoteſcat (§. 773.). Naturaliter igitur obligatus non eſt ad ſervandum, qui temere promiſit. Quamobrem nec ſervanda eſt promiſſio, ſi id, quod alteri prorſus inutile eſt, promittitur.

Si tibi promitto, me per triduum ex ædibus meis non foras proditurum, tua vero non intereſt, utrum ego ſim domi, an alibi; nulla ſane ratio eſt, cur iſtiuſmodi promiſſum ſervare debeam. Neque adeo dici poteſt, temerariam iſtiuſmodi promiſſionem eſſe ſervandam. Et ita dubio procul intelligendus eſt *Cicero* offic. lib. 1. quando negat ſervanda ea, quæ ſint iis, quibus promiſeris, inutilia. Ex. gr. promitto Titio me daturum librum quendam algebraicum, qui Algebræ omnis ignarus eſt, nec ullo ejus addiſcendæ deſiderio flagrat. Non dicendum eſt; librum hunc Titio eſſe inutilem, adeoque non ſtandum promiſſis. Poteſt enim librum vendere & pretium in alios uſus impendere, veluti emendo librum ſibi utilem. Manifeſta igitur requiritur inutilitas, quæ promiſſionem inefficacem reddit.

§. 799.

Quando pacta ob inutilitatem non ſervanda.

Quoniam in pactis conſentitur in idem promiſſum (§. 788.), promiſſum vero ſervandum non eſt, ſi id alteri prorſus inutile eſſe manifeſtum eſt (§. 798.); *nec pacta ſunt ſervandæ, in quibus quod promittitur prorſus inutile eſt ei, cujus intereſſe debebat, ut ſervarentur.*

De inutilitate difficile eſt judicium: cavendum itaque, ne id præcipitetur, inprimis autem ne quod tibi inutile, idem etiam alteri inutile judices. Hinc manifeſtam eſſe debere inutilitatem ſupponimus, qualem loquitur exemplum paulo ante datum (*not.* §. 798). Quemadmodum promiſſa prorſus inutilia inter temeraria retulimus in demonſtratione propoſitionis præcedentis; ita etiam de utilitate promiſſi & conſequenter pacti (§. 788.), judicium eſſe debet ejus, qui ſibi quidpiam pactus eſt (§. 772.); niſi per ſe evidens fuerit, nullum ipſi accedere emolumentum, vel commodum, ſi pactum ſervetur, nec quicquam emergere damni, vel ceſſare lucri, ſi non ſervetur. Præſtat itaque in praxi, ut, ſi quis a pacto recedere velit ob inutilitatem alterius, ejus potius conſenſu hoc faciat, aut, antequam faciat, alteri exponat; quænam ſibi ſint rationes, cur nullam ejus eſſe credat utilitatem.

§. 800.

De quibuſnam & quomodo valida fiat pactio.

Quæ valide promittuntur, de iis etiam valide paciſcimur: & quomodo valide promittitur, eodem etiam modo valida ſit pactio. Etenim pactum initur conſenſu paciſcentium in idem vel eadem promiſſa (§. 788.). Quamobrem patet, de iiſdem valide contrahi poſſe, quæ valide promittuntur, & eodem modo validam fieri pactionem, quo valide promittitur.

Hæc propoſitio cum immediate fluat ex definitione pacti, a quo naturaliter non differt contractus (§. 794.), inſtar axiomatis de pactis, vel contractibus ſumi poterat. Placuit autem ejus diſertam facere mentionem, non modo ut tanto clarius appareat, quæ de promiſſione prolixe admodum demonſtrata ſunt, ea ad pacta etiam, ſeu contractus applicari poſſe, immo debere, quemadmodum jam ante monuimus (*not.* §. 792.); verum etiam ut beneficio hujus principii ad pacta, ſeu contractus eadem actu applicemus, ſicubi opus eſt.

§. 801.

Pactum perſonale & reale quid ſit.

Pactum perſonale eſt, quod ad perſonas paciſcentium reſtringitur, ita ut non niſi una alteri pro ſe obligata eſſe velit ad præſtationem, de qua conventum eſt. *Reale* vero eſt, quod ad perſonas paciſcentium eo modo non reſtringitur, ſed in quo non tam perſonarum paciſcentium, quam rerum præſtandarum habetur ratio.

Eodem modo jam ſupra promiſſiones diviſimus in perſonales & reales (§. 537.), ut adeo in perſonalibus conſentiant paciſcentes in promiſſiones perſonales, in realibus vero in reales.

§. 802.

Quando pactum perſonale videri poſſit, quod non eſt.

Si in pactis tantummodo mentio fiat perſonarum, quæ idem ineunt, ut conſtet, a quibuſnam pactio fuerit facta; pactum perſonale non eſt. Etenim ſi tantummodo perſonarum paciſcentium fiat mentio, ut conſtet, a quibus pactum fuerit initum, ideo idem ad perſonas paciſcentium non ita reſtringitur, ut obligatio nonniſi eorum perſonas tangere debeat. Quamobrem cum pactum perſonale non ſit quod eodem modo non reſtringitur ad perſonas paciſcentium (§. 801.); nec perſonale erit pactum, ſi in eo perſonarum ſaltem fiat mentio, ut conſtet, a quibuſnam pactio fuerit facta.

Contingit hoc, ut nomina contrahentium in contractibus & pactis exprimantur, quando eadem in ſcripturam rediguntur. Nemo autem non intelligit differre inter ſe exprimere nomina paciſcentium & pactum reſtringere ad eorundem perſonas: quorum hoc requiritur, ut pactum ſit perſonale (§. 801.).

§. 803.

Pactum perſonale morte unius paciſcentium extinguitur.

Si pactum fuerit perſonale & unus paciſcentium moriatur; pactum extinguitur. Etenim ſi pactum fuerit perſonale, unus contrahentium ad præſtandum id, de quo conventum eſt, non tenetur alteri niſi pro ſe, nec obligatus eſſe vult ad id præſtandum, niſi ipſi (§. 801.). Quodſi ergo moriatur is, qui debet, nemo eſt, qui ad id præſtandum ſit obligatus, conſequenter a quo idem exigi poterat: quodſi vero moriatur alter, cui debetur, nemo eſt, cui alter ad præſtandum id, de quo conventum erat, tenetur, & qui idem exigere poteſt. Quamobrem perinde eſt, ac ſi pactio nulla facta fuiſſet. Pactum igitur perſonale extinguitur morte unius paciſcentium.

In pacto perſonali obligationes & jura iiſdem reſpondentia perſonis contrahentium ita inhærent,

rent, ut ex iis in aliam tranſire nequeant (§. 801.), adeoque tam obligationes perſonales ſunt, quam jura perſonalia ſunt (§. 543.), quæ morte perſonarum expirant: quod eodem modo, quo id oſtenſum eſt de jure perſonali (§. 542.), de obligatione etiam perſonali patet. Immo cum jura non ponantur, niſi poſitis obligationibus; ex quibus oriuntur (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*); quemadmodum ſublata obligatione jus ſubſiſtere nequit, ita jure extincto obligationis nullus amplius eſſe poteſt effectus, conſequenter & ipſa inutilis efficitur, adeoque evaneſcit.

§. 804.

Pactum temporarium & æternum quid ſit.

Pactum temporarium dicitur, cujus duratio ad certum temporis intervallum reſtringitur. *Æternum* vero vocatur, quod nunquam finiendum, ſeu cujus duratio perpetua eſſe debet, hoc eſt, quamdiu extiterint ex utroque contrahentium parte aliqui, in quos obligationes & jura, quæ pacto inſunt, tranſmitti poſſunt.

Hoc ſenſu in ſcriptura ſacra pacta Dei cum Patriarchis inita dicuntur æterna, & fœdera pacis hodienum æterna appellari ſolent, immo ipſa etiam pax, de qua conventum eſt, æterna vocatur.

§. 805.

Qualia ſint pacta temporaria & æterna.

Pacta tam temporaria, niſi expreſſe conveniatur, morte alterutrius paciſcentium illa finiri debere, quam æterna perſonalia eſſe nequeunt; ſed omnia realia ſunt. Etenim ſi pactum fuerit temporarium, duratio ejus ad certum temporis intervallum reſtringitur (§. 804.). Quamobrem cum neuter paciſcentium norit, utrum terminum iſtud vivendo attingere poſſit, nec ne; pactum, cujus duratio ad certum tempus reſtringitur, ad perſonas contrahentium reſtrictum eſſe intelligi nequit. Quoniam itaque pactum perſonale non eſt, quod ad perſonas contrahentium minime reſtringitur (§. 801.); pacta temporaria perſonalia eſſe nequeunt. *Quod erat primum.*

Enimvero cum pacta contineant promiſſiones, in quas contrahentes conſentiunt (§. 788.), conſequenter per ea jus quoddam ad id, quod ſuum eſt, alter contrahentium in alterum transferat (§. 784.), in voluntate vero transferentis poſitum eſt, quomodo idem in alterum transferre velit (§. 11.); ſub hac quoque conditione unus alteri ad certum tempus ſeſe obligare poteſt, ſi uterque eundem terminum vivendo attingat. Quodſi ergo hæc conditio pacto adjiciatur, per eam ad perſonas contrahentium idem reſtringi manifeſtum eſt. Quamobrem cum pactum perſonale ſit, quod ad perſonas contrahentium reſtringitur (§. 801.); pactum temporarium erit perſonale, ſi fiat ſub hac conditione, ſiquidem uterque iſtum terminum vivendo attingat, ſeu ſi neuter ante eundem moriatur, conſequenter ſi expreſſe adjiciatur, quod morte alterutrius paciſcentium finiri debeat. *Quod erat ſecundum.*

Quodſi pactum fuerit æternum, idem nunquam finiri debet (§. 804.). Quamobrem cum repugnet, finiri morte alterutrius paciſcentium & nunquam finiri; ad perſonas contrahentium pactum æternum reſtringi nequit. Quoniam itaque pactum perſonale eſſe nequit, quod ad perſonas paciſcentium reſtringi poteſt (§. 801.); nec pactum æternum perſonale eſſe poteſt. *Quod erat tertium.*

Denique cum pacta omnia vel perſonalia, vel realia eſſe debeant (§. 801.), æterna autem nunquam, temporaria vero nonniſi ſub hac expreſſa conditione inita, quod morte alterutrius paciſcentium extingui debeant, perſonalia eſſe poſſint *per demonſtrata*; pacta æterna omnia, itidemque temporaria realia ſunt, niſi ſub hac expreſſa conditione fiant, quod morte alterutrius paciſcentium extingui debeant. *Quod erat quartum.*

Ne forſan ſit, qui exiſtimet, pacto temporario tacite adjici poſſe hanc conditionem, ſi quidem uterque terminum iſtum, qui eidem præfigitur, vivendo attigerit; ſequentia addi conſultum duximus.

§. 806.

§. 806.

Quando conditio per ſe inſit promiſſioni, vel pacto.

Conditio per ſe ineſſe dicitur *promiſſioni, vel pacto*, ſi ſine ea præſtatio ejus, quod promiſſum, vel de quo conventum eſt, concipi nequit.

Ex. gr. promitto tibi ſumtus ad gradum Doctoratus obtinendum neceſſarios. Nemo non intelligit, me adeos præſtandos non obligari, niſi ſi Doctor fias. Promiſſioni igitur per ſe ineſt hæc conditio, ſi Doctor fias: neque enim ulli ad gradum Doctoratus obtinendum præſtari poſſunt ſumtus, niſi Doctor fieri velis. Præſtatio adeo ejus, quod promittitur abſque hac conditione, ſi Doctor fias, concipi nequit, ea de cauſa per ſe ineſſe dicitur promiſſioni.

§. 807.

Cuinam æquipolleat.

Conditio, quæ per ſe ineſt, promiſſioni, vel pacto, pro expreſſe adjecta habenda. Quodſi enim conditio promiſſioni, vel pacto per ſe ineſt, ſine ea præſtatio ejus, quod promittitur, vel de quo convenitur, concipi nequit (§. 806.). Quamobrem qui vult tibi hoc præſtare, is velle nequit niſi ſub conditione iſta, conſequenter ſi expreſſe declarat, quod hoc præſtare velit, expreſſe etiam hoc ipſo declarat, quod præſtare velit ſub iſta conditione. Patet itaque conditionem, quæ per ſe ineſt promiſſioni, vel pacto pro expreſſe adjecta habendam eſſe.

Quodſi demonſtrationem præſentem ad exemplum modo datum (*not.* §. 806.), applicare volueris, ea clarior evadet. Nimirum ſtatim perſpicies, qui dicit, ſe tibi ſuppeditare velle ſumtus ad gradum Doctoris obtinendum neceſſarios, eundem ea ipſa dicere, ſe hosce ſumtus tibi ſuppeditaturum, ſi Doctor fies, conſequenter hanc conditionem expreſſe adjectam eſſe, cum iisdem verbis, quibus voluntatem ſuam de ſuppeditandis ſumtibus ad gradum Doctoris obtinendum neceſſariis declaravit, etiam ſignificaverit, ſe hosce ſuppeditaturum, ſi Doctor fias.

§. 808.

Cui non æquipolleat.

Quoniam *conditio, quæ per ſe ineſt promiſſioni, vel pacto* pro expreſſe adjecta habenda (§. 807.); *pro tacite adjecta haberi nequit.*

Nimirum quod verbis perſpicue ſignificatur, id non neceſſe eſt aliunde demum ut colligatur. Quamobrem nec tacite dici poteſt adjectum.

§. 809.

An conditio tacite adjecta promiſſioni vel pacto ineſſe queat.

Eodem modo intelligitur, *conditionem, quæ tacite adjicitur, per ſe non ineſſe promiſſioni, vel pacto.* Si enim per ſe ineſſet pro expreſſe adjecta habenda foret (§. 807.), nec pro tacite adjecta haberi poſſet (§. 808.), conſequenter contradictorium eſt, conditionem tacite adjici & per ſe ineſſe promiſſioni vel pacto (§. 30. *Ontol.*), adeoque impoſſibile, ut tacite adjecta conditio inſit ipſi promiſſioni, vel pacto (§. 79. *Ontol.*).

§. 810.

An pactis & promiſſionibus puris conditiones tacite adjici poſſint.

Pactis & promiſſionibus puris conditio in mente adjici nequit. Etenim conditio tacite adjecta promiſſioni, vel pacto per ſe non ineſt (§. 809.), adeoque præſtatio ejus, quod promiſſum, vel de qua conventum eſt, ſine ulla conditione concipi (§. 806.), conſequenter etiam abſque ea facta intelligi debet (§. 428.). Quodſi vero promiſſionibus & pactis conditiones tacite adjicere liceret, cujus intereat iisdem non ſtare, pro arbitrio puras promiſſiones & pacta puta in con-

dicio-

ditionata vertere poſſet, ne iis ſtandum eſſet (§. 534.). Quod cum ſit abſurdum, pactis & promiſſionibus puris conditio in mente adjici nequit.

Reſervationes mentales in promiſſionibus & pactis nullum habent locum. Cum enim in promiſſionibus ad animi noſtri ſenſa alteri indicanda obligemur (§. 426.), adeoque etiam in pactis (§. 788.), reſervationes mentales in promiſſionibus, & pactis mendacio æquipollent (§. 237.). Quodſi autem pactis & promiſſionibus puris conditionem in mente adjiceremus, id ad reſervationes mentales utique foret referendum. Quod promiſſor ſufficienter indicat, id contra ipſum pro vero habetur, non quod mente reſervat (§. 428.). Qui adeo pure promittit, vel cum altero paciſcitur, is dicere nequit, ſe conditionate promiſiſſe, vel contraxiſſe, propterea quod in ipſius voluntate poſitum erat, utrum pure, an conditionate promittere, aut contrahere vellet. Neque enim de eo quæſtio eſt, quod facere potueris, ſed quod feceris.

§. 811.

Quando conditio, quæ pura videtur, conditionata ſit.

Si pactis & promiſſionibus conditio quædam per ſe ineſt, aut tacite adhæret, vel a paciſcente ſupponitur; promiſſio pura non eſt, ſed conditionata. Etenim ſi promiſſionibus & pactis conditio quædam per ſe ineſt, præſtatio, quæ eſt in promiſſis, ſine ea concipi nequit (§. 806.), ſi vero tacite iiſdem adhæret, aut a promittente, vel paciſcente ſupponitur, neceſſe eſt, ut adſint rationes, per quas patet conditionem hanc, vel iſtam ſuppoſitam fuiſſe, alias enim recidimus in reſervationes mentales modo improbatas (*not.* §. 810.), aut qui eam ſupponit, verbis hoc ſignificare tenetur (§. 426. 788.). Utroque igitur in caſu promiſſio vel pactio ſub conditione facta intelligitur, conſequenter pura non eſt, ſed conditionata (§. 462.).

In hypotheſi adeo propoſitionis præſentis pactiones & promiſſiones puræ tantummodo videntur; ſed non ſunt. Neque adeo promiſſio & pactio, quæ pro pura habebatur tum demum in conditionatam vertitur, quando tua intereſt ne eadem adimpleatur. Oſtendi nimirum poteſt non alium promittenti, vel contrahenti fuiſſe animum, ſi vel alter aliter eundum fuerit interpretatus, ad conditionem, quæ per ſe ineſt promiſſo, vel eidem tacite adhæret, animum ſuum non attendens.

§. 812.

Ad diem quidnam promittatur.

Ad diem fieri dicitur ***promiſſio***, ſi præſtatio ejus, quod promittitur, certo tempore fieri debet.

Ex. gr. Si tibi in fine Martii vel per quinquennium quotannis promitto decem aureos, promiſſio ad diem facta intelligitur. Non eodem prorſus ſenſu ad dies vitæ præſtandum; quod tamdiu præſtandum quamdiu quis vivit.

§. 813.

Pacta quænam temporaria non ſint.

Pacta, quia iiſdem inſunt promiſſiones ad diem factæ, non ſunt temporaria. Etenim ſi promiſſio ad diem fit, præſtatio ejus tunc fieri debet, quando dies ille venerit, quem illius terminum conſtituere placuit (§. 811.), adeoque ejus, quod promittitur, præſtatio reſtringitur ad certum tempus, non vero pactum, cui ea ineſt. Enimvero pactum temporarium non eſt, niſi cujus duratio reſtringitur ad certum tempus (§. 804.). Ergo pacta, quia ipſis inſunt promiſſiones ad diem factæ, non ſunt temporaria.

Differre poſſe pacta, quibus inſunt promiſſiones ad diem factæ, a temporariis vel ex eo patet, quod pactis etiam æternis iſtiuſmodi promiſſiones ineſſe poſſint. Conſtat etiam ſine promiſſionibus ad diem factis fieri poſſe pactiones temporarias.

§. 814.

§. 814.

Pacta temporaria quando ſiniantur.

Pacta temporaria non amplius obligant, quamprimum tempus, ad quod reſtringitur eorum duratio, præterlapſum. Etenim ſi duratio pacti ad certum tempus reſtringitur, neuter contrahentium ultra iſtum terminum ſeſe alteri obligavit: id quod per ſe patet. Quamobrem ubi tempus, per quod durare debet pactum, præterlapſum; ceſſat contrahentium obligatio. Quoniam itaque pacta temporaria ſunt, quorum duratio ad certum tempus reſtringitur (§. 804.); pacta temporaria non amplius obligant, quamprimum tempus, ad quod reſtringitur eorum duratio, præterlapſum.

Nemo alterum obligare poteſt ſibi ultra voluntatem ſuam, cum mutuo conſenſu perficiatur obligatio (§. 357.), quæ nec in pactis aliter contrahitur (§. 788. 393.). Quodſi adeo unus paciſcentium alteri adhuc obligari deberet ultra tempus durationis pacti, ultra voluntatem ſuam eidem obligaretur, quia alter eundem ſibi obligatum eſſe vellet: id quod quam ſit abſonum, nemo non agnoſcit.

§. 815.

Quid inde ſequatur.

Quoniam pacta finiuntur, quando tempus præterlapſum, ad quod eorum duratio reſtringebatur, ſeu cum venerit terminus, durationi præfixus, quod per ſe patet, tunc vero non amplius obligant (§. 814.); *ſi quid pacta temporaria vetabant, ſeu quid per ea fieri non debebat, elapſo tempore, per quod durare debebant, id a contrahentibus iterum fieri poteſt.* Et eodem modo intelligitur, *ſi quid pactum temporarium jubebat,* ſeu *per idem contrahentes facere debebant, id a contrahentibus iterum omitti poſſe.*

Nimirum finito pacto contrahentes reſtituuntur in eundem ſtatum, qui fuerat ante pactum, ſublato eo, quod per pactum fuerat immutatum. Quod adeo ante pactum agere licebat, vel non agere; id quoque agere vel non agere licet, quando terminus pacti adeſt, hoc eſt, tempore durationis præterlapſo.

§. 816.

Renovatio pacti quid ſit.

Pactum renovari dicitur, ſi paciſcentes inter ſe conveniant, quod idem ultra terminum, qui ipſi præfixus fuerat, per certum temporis intervallum adhuc continuari debeat. Unde *Renovatio pacti* eſt conventio de pacto, cujus finis inſtat, vel adeſt, per certum temporis intervallum adhuc continuando.

Quemadmodum in voluntate paciſcentium poſitum erat, utrum pactum inire vellent, nec ne; ita in eorum quoque arbitrio eſt, utrum illud continuare velint, nec ne. Nemo igitur dubitare poteſt, quin renovatio pacti ſit moraliter poſſibilis, quando pacta ſemel inita non intelliguntur niſi licita. Si enim fuerint illicita, quemadmodum initio iniri non debebant, & inita obligationem validam minime producebant, id quod ex iis manifeſtum eſt, quæ de promiſſionibus illicitis demonſtrata ſunt; ita etiam continuari non debent, conſequenter renovatio facti ſolius eſt, non vero juris.

§. 817.

Quid in renovatione pactorum non immutandum.

Quoniam pactum, ſi renovatur, continuatur vel per tantum temporis intervallum, per quod duraverat, vel per majus, aut minus (§. 816.); *ſi pactum renovatur, quoad præſtationes in eo nihil immutandum.*

Non eſt, quod excipias, mutato tempore durationis, pactum non manere idem, conſequenter idem non poſſe dici continuari, adeoque nec pactum renovari (§. 816.). Tempus enim

ad eſſentialia pacti non requiritur, quippe quod per præſtationes, in quas conſenſerunt contrahentes, ſubſiſtit (§. 788 361); ſed pacto accidit eidemque intrinſecum eſt. Quamdiu adeo præſtationes eædem ſunt, tamdiu quoque pactum idem eſt. Unde toto tempore, quo ex eo tenentur paciſcentes, idem pactum ſubſiſtere dicitur. Quamobrem ſive pactum, quod finiendum erat, continuetur per totidem annos, vel dies, per quos duravit, ſive per plures, aut pauciores, idem ſemper manet pactum.

§. 818.

Differentia pacti renovati a pacto de novo inito.

Si in pacto, cujus terminus inſtat, vel adeſt, quidpiam mutetur quoad præſtationes, pactum non renovatur; ſed aliud initur. Etenim cum pactum ſit conventio duorum vel plurium in eandem vel eaſdem promiſſiones (§. 788.), conſequenter eaſdem præſtationes (§. 361.); ſi quoad præſtationes aliquid immutatur, pactum idem non eſt (§. 181. *Ontol.*), ſed diverſum (§. 183. *Ontol.*). Quodſi ergo in pacto, cujus terminus inſtat, vel adeſt, quoad præſtationes quidpiam mutetur, idem pactum non continuatur, ſed aliud initur. *Quod erat unum.*

Et quoniam pactum non renovatur, niſi quoad præſtationes nihil in eodem mutetur (§. 816.); idem in hypotheſi propoſitionis præſentis non renovatur. *Quod erat alterum.*

Non inter inanes ſubtilitates referenda diſtinctio eſt pacti renovati & de novo initi: mox enim utilitas hujus diſtinctionis apparebit.

§. 819.

Quomodo pactum fiat & renovetur.

Sine mutuo conſenſu pactio nulla fit, nec renovatur. Etenim omnis pactio conventio eſt, qua duo vel plures in idem promiſſum conſentiunt (§. 788.), adeoque ſine mutuo conſenſu pactio nulla concipi, conſequenter nec fieri poteſt. *Quod erat unum.*

Quando pactum renovatur, qui pactum antea inierunt, inſtante ejus fine, de ejus continuatione inter ſe conveniunt (§. 817.). Quoniam itaque qui inter ſe conveniunt, iidem conſentiunt (§. 699.); ſine mutuo conſenſu pactum renovari nequit. *Quod erat alterum.*

Prius ex ipſa definitione pacti patet (§. 788.), adeoque ut probetur opus non eſt, placuit tamen idem adjicere in propoſitione præſenti, in qua de renovationis modo agitur, ut citra ambages conſtet, eodem modo pacta renovari, quo fuerant facta.

§. 820.

Quomodo pactum tacite renovetur.

Si quid ab uno contrahentium pacto temporario finito fiat, quod nonniſi vi ejuſdem fieri poterat, altero conſcio, nec diſſentiente; pactum tacite renovatur. Etenim finito pacto temporario ceſſat omnis obligatio ad id, quod vi ejuſdem fieri debet (§. 814.). Quamobrem ſi eodem finito unus contrahentium faciat, quod nonniſi vi ejuſdem facere poterat; hoc ipſo facto declarat, velle ſe adhuc eodem pacto teneri. Quodſi ergo hoc fiat altero conſcio, nec is diſſentiat, dum ad declarandam voluntatem ſuam alteri tenebatur; hoc ipſo declarat, velle etiam ſeſe adhuc pacto iſto teneri (§. 659. *part. 1. Phil. pract. univ.*); uterque igitur tacite in continuationem pacti conſentit (§. 660. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem qui ex pacto ſibi invicem tenebantur tacite inter ſe conveniunt, quod idem continuari debeat (§. 699.). Enimvero ſi de pacto, quod finitum eſt, ultra terminum eidem præfixum continuando convenitur, pactum renovatur (§. 816.). Pactum igitur renovatur tacite, ſi quid ab uno contrahentium eodem finito fiat, quod nonniſi vi ejuſdem fieri poterat, nec alter facti hujus conſcius diſſentiat.

Ad renovationem pacti mutuus requiritur conſenſus, quippe quæ ſine hoc fieri nequit (§. 819.). Conſenſus tacitus cum ſit verus conſenſus (§. 662. *part. 1. Philoſ. pract. univ.*); ſive expreſſe, ſive tacite conſentiat, unum idemque eſt. Quamobrem quod expreſſo conſenſu renovatur pactum, idem quoque tacito renovari poteſt. Præſtat tamen expreſſo, quam tacito conſenſu renovari pacta, cum de tacito conſenſu ſpes concepta fallere poſſit. Sed hoc prudentiæ eſt, de quo in præſenti non agitur.

§. 821.

Quoniam *pactum, quod erat finitum*, renovatur, ſi ab uno contrahentium quid fiat, quod nonniſi vi ejuſdem fieri poterat, altero conſcio, nec diſſentiente (§. 820.); idem etiam *renovatum intelligitur, ſi quod vi pacti ab uno contrahentium fit, ab altero approbetur, veluti accipiendo, quod nonniſi ex pacto dari poterat.* *Idem porro expenditur.*

In hoc caſu tacita pacti renovatio minus difficultatis habet, quam in anteriori, ubi diſſenſus ceſſans habetur pro conſenſu, quoniam in præſenti facilius intelligitur, num factum aliquod pacto imputari debeat, cujus probatio in caſu altero non ſemper ſua caret difficultate; ut ideo conſultius eſſe dixerimus, ut conſenſu expreſſo renoventur pacta (*not.* §. 820.), quo tutior ſit fides.

§. 822.

Ex eadem ratione patet, *ſi pacto finito præſtationes mutuæ citra ullum diſſenſum continuentur, pactum tacite fuiſſe renovatum.* *Adhuc ulterius expenditur.*

Etenim quando hoc fit ab una parte, pactum tacite renovatum intelligitur (§. 820.). Quamobrem cum ab una parte adhuc fiat, quando idem quoque fit ab altera parte; recte omnino ex illo infertur renovatio pacti tacite facta, ſi præſtationes utrinque citra ullum diſſenſum ultra terminum pacti continuentur.

§. 823.

Si pactum tacite renovatur, per tantum temporis intervallum valet, quanto antea duraverat. Etenim ſi pactum tacite renovatur, facto tantummodo declaramus nos velle, ut pactum ultra ſuum terminum continuetur, eodemque elapſo adhuc ſubſiſtat (§. 820. & *ſeqq.*). Quoniam vero nullo modo ſignificatur, quanto temporis intervallo pactum iſtud adhuc ſubſiſtere debeat; ex ſilentio utriuſque contrahentium aliud colligi non poteſt, quam quod velint ad tantum tempus idem eſſe renovatum, ad quantum initio erat initum. Quamobrem ſi pactum tacite renovatur, per tantum temporis intervallum valet, quanto antea duraverat. *Duratio pacti tacite renovati.*

Ex. grat. Si pactum initio initum per decennium duraverit; renovatum ad annos decem intelligitur. Quod ſi enim per annos tantum quinque continuari adhuc deberet, expreſſa conventione de tempore durationis determinando opus erat, cum alias uterque contrahentium aliud tempus in mente reſervare poſſit, adeoque nullus eſſet ea in re conſenſus, ſine quo conventio nulla intelligitur (§. 699.). Aſt ſi uterque contrahentium conſentiat in tempus, ad quod duratio ejuſdem pacti antea erat reſtrictum; non opus eſt, ut conſenſus expreſſe declaretur, quia nihil immutatum ex ſilentio utriuſque abunde colligitur.

§. 824.

Si initio ſtatim convenitur, pactum temporarium ultra ſuum terminum continuari debere, niſi ſtatuto tempore ſignificatum fuerit ab alterutro contrahentium, ſe eo-dem ultra eundem teneri nolle, aut donec ſtatuto quodam tempore ſignificetur, ſe *Quomodo pactum ultra terminum præſti-*

Pactum continuetur vigore primæ conventionis.

ultra certum terminum eodem non amplius teneri velle; pactum non renovatur, ſed vigore primæ conventionis tamdiu ſubſiſtit, donec diſſolvatur. Etenim cum pacta ſint ſervanda (§. 789.) ea fieri debent, in quæ paciſcentes initio conſenſerunt (§. 788.). Quamobrem ſi initio ſtatim conventum fuerit, pactum temporarium ultra terminum continuari debere, niſi ſtatuto tempore ſignificatum fuerit ab alterutro contrahentium, ſe eodem ultra eundem teneri nolle; ubi neuter eorundem id ſignificavit ſtatuto tempore, pactum continuandum eſt. Eodem modo patet, idem tamdiu eſſe continuandum ultra terminum certum, niſi alteruter contrahentium ſtatuto tempore ſignificaverit, ſe eodem amplius ultra iſtum terminum teneri nolle, ſiquidem initio ita fuerit conventum. Non igitur opus eſt, ut de novo conſenſus declaretur inſtante termino, quo pactum finitur, cum ad continuationem ſufficiat conſenſus expreſſus initio conventionis utrinque datus, ex quo nata eſt continuandi pacti obligatio, niſi tempeſtive ſignificetur, ſe eadem amplius teneri nolle *per demonſtrata*. Quoniam itaque pactum non renovatur, niſi termino, quo finiendum, inſtante de eo continuando conveniatur (§. 815.); in hypotheſi propoſitionis præſentis pactum non renovatur, ſed vigore primæ conventionis ſubſiſtit *per demonſtrata*. *Quod erat unum.*

Enimvero quando initio fuit conventum, ut pactum tamdiu valeat, donec ſtatuto tempore alteruter contrahentium ſignificaverit, ſe eodem diutius ſtare nolle, unicuique permiſſum eſt, ut pactum diſſolvat, quando ipſi viſum fuerit. Quamobrem cum pacta ſint ſervanda (§. 789.); ſi hoc ab uno fiat, idem ab altero ferendum. Patet itaque pactum in hoc caſu vigore primæ conventionis tamdiu ſubſiſtere, donec ab alterutro contrahentium diſſolvatur. *Quod erat alterum.*

Exempla obvia habemus etiam in contractibus quotidianis, veluti locationis conductionis, ut adeo opus non ſit propoſitionem præſentem exemplo aliquo illuſtrare. Ceterum ipſa propoſitionis veritas admodum evidens eſt, ut nullum circa eam dubium ſupereſſe poſſit, modo attentionem tuam deſiderari minime patiaris. Quantum enim juris unuſquiſque paciſcentium in alterum conferre & in quantum unuſquiſque eorum alteri obligatus eſſe velit, ab eorum voluntate unice pendet. Quam igitur legem contractui dicunt, ea etiam utrinque ſervanda, modo nihil inſit, quod promitti non poſſit per ea, quæ de promiſſionibus in anterioribus fuſe demonſtrata ſunt: illicite enim promiſſa nullum effectum juris habent.

§. 825.

Præſtationes mutuæ & non mutuæ quænam.

Præſtationes mutuæ dicuntur, ſi unus quid alteri præſtat, & alter viciſſim ideo ipſi præſtare debet. *Non mutuæ* autem ſunt *præſtationes*, quando unus quidem alteri præſtare tenetur, alter tamen ideo eidem non viciſſim quid præſtare debeat.

* Ex. grat. Promitto tibi nummum aureum, tu mihi viciſſim ideo promittis librum quendam. Quando igitur inter nos convenit, ut tu mihi des librum, ego vero viciſſim tibi dem nummum aureum; præſtationes, in quas conſenſimus, mutuæ ſunt.

§. 826.

Quomodo mutuæ ad ſe invicem ſeſe habeant.

Quoniam præſtationum mutuarum una ideo fieri debet, quia altera fieri debet (§. 825.); *præſtationum mutuarum una ſupponit alteram tanquam conditionem.*

Ex. gr. Si tibi dare volo nummum aureum, tu vero viciſſim mihi dare debes librum quendam: ego nummum dare nolo, niſi tu dare velis librum, & tu dare non vis librum, niſi ego dare velim nummum. Quamobrem ſi ego tibi promitto nummum aureum & tu viciſſim ideo mihi promittis librum; ego utique promitto nummum, ſi tu das librum, & tu promittis librum, ſi ego dem nummum.

§. 827.

§. 827.

Quando a pacto recedere liceat.

Si pacta mutuas præſtationes continent, & unus paciſcentium præſtare nolit, quod debet; nec alter ad id præſtandum tenetur, quod ipſe debet, conſequenter a pacto recedere licet, ſi alter recedit. Etenim ſi pactum præſtationes mutuas continet, quod tu præſtare debes, ad id præſtandum te obligaſti ſub hac conditione, ſi & alter præſtet, ad quod præſtandum ſe obligavit (§. 826.). Quamobrem cum deficiente conditione promiſſio, adeoque etiam pactum (§. 800.), pro non facto habeatur (§. 534.), conſequenter tu non ex eo obligeris; ſi alter paciſcentium præſtare nolit, ad quod tibi præſtandum ſeſe obligavit, nec tu id præſtare teneris, ad quod ipſi præſtandum te obligaſti. *Quod erat unum.*

Enimvero qui non præſtat, ad quod præſtandum ſe alteri obligavit, is a pacto recedit. Quamobrem cum tu præſtare non tenearis, ad quod præſtandum te alteri obligaſti, ſi alter tibi non præſtet, ad quod præſtandum ſe tibi obligavit *per demonſtr. n.* 1. a pacto tibi recedere licet, ſi alter recedit. *Quod erat alterum.*

Probe notandum eſt, non demonſtrari, te obligatum eſſe, ut a pacto recedas, ſi alter recedat; ſed ſaltem hoc tibi licere, conſequenter jus ab eodem recedendi tibi competere (§. 170. *part. 1. Philoſoph pract. univerſ.*). Salvum igitur non obſtante hoc jure manet jus tuum alterum compellendi ad ſatisfaciendum obligationi ſuæ, ſiquidem adhuc res integra eſt, ut quod præſtitum non eſt præſtari poſſit, quia is ſeipſum ab obligatione ſua, qua tibi tenebatur ad quid præſtandum, liberare haud quaquam potuit (§. 674.). In tuo igitur arbitrio poſitum eſt, utrum a pacto etiam recedere velis, an ad præſtationem cogere eundem malis. Dantur autem ſubinde rationes, cur conſultius videatur prius: id quod inprimis in Regum ac populorum pactis obtinet, prouti ſuo loco clarius eluceſcet.

§. 828.

Quando ſine perfidia a pacto diſcedatur.

Si tu a pacto diſcedis, quia alter diſceſſit prior; fidem non fallis, nec perfidus non es. Etenim ſi tu a pacto diſcedis, quia alter diſceſſit prior, hoc tibi facere licet, nec ad id præſtandum teneris, quod præſtare promiſiſti (§. 827.), conſequenter dici nequit, quod promiſſa non ſerves. Enimvero qui promiſſa non ſervat, is fidem fallit (§. 759.), non vero qui ad præſtandum, quod promiſerat, non tenetur. Quamobrem ſi tu a pacto diſcedis, quia alter diſceſſit prior, fidem non fallis.

Oſtendi etiam poteſt hoc modo. Si præſtationes ſunt mutuæ, tu alteri præſtare quid promittis ſub ea conditione, ſi ipſe viciſſim præſtet, ad quod ſe tibi præſtandum obligat (§. 826.), conſequenter niſi a pacto recedat. Quamobrem ſi a pacto recedit, & tu viciſſim ab eodem diſcedis, quia ille prior diſceſſit; haud quaquam dici poteſt, quod non præſtes, quod te præſtiturum dixiſti. Dici igitur etiam nequit, te fidem fallere. *Quod erat unum.*

Quoniam adeo a pacto diſcedens ideo, quia alter diſceſſit prior, fidem non fallis, etſi contrarium ejus facias, ad quod faciendum fidem tuam adſtrinxeras, non tamen dici poteſt, te contrarium ejus feciſſe, ad quod faciendum adſtrinxeras fidem tuam, cum nunc perinde ſit, ac ſi hoc factum nunquam fuiſſet. Quamobrem ſi tu a pacto diſcedis, quia alter diſceſſit prior, perfidus non es (§. 766.).

Poterat etiam idem oſtendi eodem modo, quo in ſecunda demonſtratione prius evicimus. *Quod erat alterum.*

Si is fidem fallere diceretur, aut perfidiæ accuſaretur, qui a pacto recedit, quia alter ab eodem prior diſceſſit; fidem quoque fallere dicendus erat perfidiæque accuſandus, qui promiſſionem conditionatam non adimplet, conditione non exiſtente; quod quam ſit abſurdum, nemo non intelligit. Qui conditionate fidem dat, vel adſtringit, eam non dediſſe, non adſtrinxiſſe cenſendus eſt, conditione non exiſtente. Falleret demum fidem, ſi conditione

exi-

exiſtente ſervare nollet; perfidus foret, ſi contrarium ejus tum faceret, ad quod fidem ſuam adſtrinxerat. Quando vero pacta ineuntur, quæ mutuas præſtationes continent, qui conditionem offert id, quod ſibi præſtari vult, intendit tanquam finem, adeoque propter eum unice præſtitur (§. 616. p. 1. *Phil pract univ.*), & qui ad hoc præſtandum ſe alteri obligat conditionem accipiens, dum ſibi viciſſim aliquid præſtari vult, ad nihil ſe alteri obligaret, niſi is viciſſim hoc ſibi præſtari vellet. Abunde igitur liquet ita conveniri, ut uniuſcujuſque obligatio pendeat ab obligatione alterius (§. 871. *Ontol.*). Quatenus tamen uterque alterum ſibi obligatum eſſe vult ad id, quod promittit, præſtandum, non liberum ipſi relinquit, num præſtare velit, an nolit, adeoque mutua obligationum dependentia a ſe invicem non tollit jus cogendi alterum, ut obligationi ſuæ ſatisfaciat. Aliud nimirum eſt ſi conditio eſt obligatio alterius, ſub qua tu eidem obligatus eſſe vis: aliud vero ſi diverſa fuerit ab obligatione conditio. Obligatio non mutat naturam ſeu ſpeciem, ut tranſeat in jus. propterea quod ſubit vicem conditionis obligationis alterius: quatenus tamen vicem conditionis ſubit, eſſectum quoque juris habere debet, nempe jus non ſatisfaciendi obligationi ſuæ, quæ jam libertati ſuæ ſubjicitur, cum antea eidem non ſubjiceret.

§. 829.

Num ad quid diſcedenti a pacto teneatur, ubi aliquid mihi jam præſtitit.

Si quis a pacto diſcedit aliquid jam præſtitit, ego autem ipſi nihil adhuc præſtiti; ego ab eodem recedens nihil ipſi reſtituere teneor. Etenim ſi alter a pacto recedit, mihi etiam ab eodem recedere licet (§. 827.) quoniam vero pacta ſunt ſervanda (§. 789.), ipſi ab eodem diſcedere non licebat. Quodſi ergo damnum incurrit, quod mihi jam quid præſtiterit, ad quod præſtandum vi pacti tenebatur, antequam ab eadem diſcederet, non ego ipſi damnum do, ſed ipſemet dat ſibi (§. 488. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum nemo teneatur reſarcire damnum, quod dolo vel culpa ſua alteri non dedit (§. 580. *p. 2. Jur. nat.*); nec ego ipſi damnum, quod patitur, reſarcire teneor. Quando igitur qui prior a pacto diſcedit jam aliquid præſtitit, etſi a me nihil adhuc viciſſim fuerit præſtitum, nihil tamen eidem reſtituere teneor.

Præſtatio integra alterius ſubit vicem conditionis præſtationis meæ. Quando adeo totum, quod promiſit, alter præſtare non vult, non ipſi teneor ex eo, quod partem quandam præſtiterit. Et cum ea voluerim pactum ex parte mea adimplere, ſibi, non mihi imputare debet alter, quod nihil viciſſim a me accipiat, cujus intuitu quid præſtiterat.

§. 830.

Ad quid teneatur a pacto diſcedens, quando ipſi jam quid præſtitum.

Si ego a pacto diſcedenti, antequam quid præſtitit, jam quid præſtiti, & ego ab eodem quoque diſcedere volo, alter quod præſtitum eſt vel æſtimationem ejus reſtituere tenetur. Etenim cum præſtatio mea ſit conditio, ſub qua alter ad aliquid præſtandum mihi tenetur (§. 826.), præſtatione mea jam adimpleri cœpit conditio, adeoque alter etiam ex hoc tenetur ad viciſſim mihi quid præſtandum (§. 469.), conſequenter ſi a pacto diſcedit nihil præſtiturus, ipſe in cauſa eſt, ut jacturam mei faciam (§. 487. *part. 2. Jur. nat.*), adeoque damnum dat ſciens ac volens (§. 488 *part. 2. Jur. nat.*), conſequenter dolo ſuo (§. 705. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum damnum dolo datum ſit reſarciendum (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*); aut id quod præſtitum, ſi fieri poteſt, aut æſtimatio ejus reſtitui debet (§. 572. *part. 2. Jur. nat.*). Quodſi ergo a pacto diſcedenti, antequam quid præſtitit, ego jam quid præſtiti, & ego ab eodem quoque diſcedere volo, quia hoc mihi facere licet (§. 827.); alter quod præſtitum eſt vel æſtimationem ejus reſtituere tenetur.

Diſpar omnino eſt conditio ejus, qui a pacto prior diſcedit, atque illius, qui poſterior diſcedit. Prior hoc facit nullo jure, cum teneatur pactum ſervare (§. 789.), immo fidem fallit ac perfidus eſt (§. 790.): poſterior vero idem facit jure ſuo (§. 827.) nec fidem datam fallit, multo minus perfidus eſt (§. 828.). Quando igitur prior a pacto diſcedit, quod jam præſtitit, non vult ſpectari tanquam conditionem ſibi viciſſim aliquid præſtandi: hoc enim quis inerat pacto, ab eo diſcedere non poterat, quamdiu ipſi hic animus erat. Et cum a pacto diſcedit, omne quoque amittit jus, quod ex pacto habet, exigendi ſcilicet, ut ſibi viciſſim quid

Digitized by Google

quid præſtetur loco ejus, quod ipſe præſtitit. Qui vero poſterior recedit, non ideo recedit, quia ex pacto alteri teneri non vult, ſed quia hic eodem ſtare renuit, conſequenter nulla ratio eſt, cur quod ſub conditione præſtitit, ut ſibi viciſſim quid præſtetur, jam mutato animo ſpectet tanquam ſub iſta conditione non præſtitum, conſequenter ſibi reſervat jus ab altero exigendi, ut tantundem ſibi præſtetur ab altero, quantum ipſi præſtitit, etſi patiatur, ut pactum diſſolvatur.

§. 831.

Quid faciendum ei, qui totum præſtitit, antequam alter a pacto recedit.

Si ego totum præſtiti, quod ex pacto præſtare tenebar, alter vero quod viciſſim præſtare debet, præſtare non vult; mihi jus eſt ad pactum implendum alterum compellendi. Etenim ſi ego totum præſtiti, quod præſtare tenebar, ego pactum ex parte mea adimplevi, ſeu ſervavi (§. 430.); nec amplius mihi integrum eſt a pacto diſcedere, quod alias liceret, niſi idem jam adimplevissem (§. 827.). Quamobrem cum pacta obligent (§. 789.), mihi competit jus alterum adigendi, ut & ipſe idem adimpleat (§. 236. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 470. *huj.*). Si igitur ego totum præſtiti, quod ex pacto præſtare tenebar, alter vero quod viciſſim præſtare debet præſtare non vult; mihi utique jus eſt ad pactum implendum alterum compellendi.

Probe notandum eſt, quænam differentia intercedat inter jus cogendi alterum ad præſtandum, antequam ego quid præſtiti, & poſtquam ego præſtiti id, ad quod tenebar. Etenim ſi mihi eſt animus ſervandi pactum, conſequenter præſtandi id, ad quod præſtandum obligatus ſum, cum præſtatio alterius ſit conditio præſtationis meæ (§. 826); jus cogendi alterum mihi competit ad adimplendam conditionem: quod utique mihi competit (§. 361.), quia alter eam adimplere promiſit (§. 788.). Enimvero ubi ego præſtiti, quod mihi præſtandum erat, ego conditionem ex parte mea adimplevi, adeoque jus mihi eſt alterum compellendi ad præſtandum id, quod ſub ea conditione ſe præſtiturum promiſit (§. 470), nec a pacto diſcedere dici proprie poteſt, qui quod ipſe præſtare debet, præſtare non vult, ubi alter jam præſtitit, quod debebat, ſed rectius ſolvere debitum nolle dicendus. Aliter ſeſe res habet in pactis præſtationes mutuas continentibus, quam in aliis promiſſionibus conditionatis, in quibus conditionis poteſtativæ adimpletio confertur in voluntatem ejus, qui eam adimplere tenetur, ſi promiſſio valida eſſe debet: in illis enim vi pacti conditionem adimplere tenetur, quia ego præſtare volo, ad quod præſtandum ſub illa conditione ſum obligatus. Quamobrem etſi nullum mihi competat jus in promiſſionibus ſub conditione poteſtativa ex parte promiſſarii eum compellendi ad conditionem adimplendam, quia ad eam adimplendam ſeſe mihi non obligavit; jus tamen hoc mihi competit ex pacto, quod mutuas promiſſiones continet, quia unus alteri ſe obligavit ad adimplendam conditionem, ſub qua alter ſeſe ad præſtandum obligavit. Differentia hæc ſatis manifeſta eſt, modo anteriorum probe gnarus attentionem ſuam deſiderari non patiatur.

§. 832.

An continuationem pacti violati acceptare teneatur alter, cui ea offertur.

Si qui prior a pacto diſceſſit pœnitentia ductus idem continuare velit; alter id acceptare non tenetur. Etenim quando alter a pacto prior diſcedit, ab eodem quoque tibi diſcedere licet (§. 827.), conſequenter in arbitrio tuo jam poſitum eſt, utrum illud continuari velis, nec ne. Quamobrem ſi alter pœnitentia ductus idem continuare velit, tu ad idem continuandum obligatus non es (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque continuationem acceptans, pactum, a quo alter jam diſceſſerat, continuari vult (§. 2.); ſi qui prior a pacto diſceſſit pœnitentia ductus idem continuare velit, tu id acceptare minime teneris.

Non hoc pugnat cum eo, quod a pacto diſcedentem ad idem ſervandum compellendi tibi jus ſit. Etenim jus hoc tibi competit ex pacto, jus vero a pacto etiam recedendi idemque pro nullo declarandi ex facto alterius. Tui adeo arbitrii eſt, quo jure uti velis: alter vero facto ſuo jus omne, quod ex pacto habebat, amiſit; quemadmodum ex anterioribus abunde liquet. Sane qui declarat, ſe pacto teneri nolle, hoc ipſo quoque jus omne, quod ex pacto habet, omittit, quippe quod ex parte ſui pro nullo declarat.

§. 833.

§. 833.

Quid licitum, ſi continuatio acceptetur.

Quoniam ſi quis prior a pacto diſceſſit pœnitentia ductus idem continuare velit, alter id acceptare non tenetur (§. 832.); *ſi in continuationem conſentit, pro novo pacto hoc habendum, conſequenter novas* quoque *addere pro lubitu poteſt conditiones.*

Nimirum in arbitrio alterius jam poſitum eſt, utrum conditiones pacto priſtino adjectas acceptare velit, nec ne. Quodſi enim nolit, nec te ad continuationem compellere poteſt (§. 832.). Sibi imputet; quod fidei temeritatæ pœnas dare cogatur. Longe adeo melior eſt fidem ſervantis, quam fallentis conditio.

§. 834.

An ſi quis fidem fallis in alio pacto, ab alio recedere liceat.

Si quis fidem prior fefellit in alio pacto, non licet tibi recedere a pacto alio. Si alter fidem ſuam fefellit in alio pacto, tibi jus eſt recedendi ab eodem pacto (§. 827.), non vero ab alio, in quo alter fidem ſuam non fefellit, cum hic nulla adſit ratio, cur ab eodem recedere liceat. Quamobrem ſi a pacto alio recedere vis, fidem datam fallere vis (§. 790.), conſequenter fidem datam fallere vis, quia alter prior fefellit. Enimvero quando alter fidem datam in alio pacto fefellit, obligationi ſuæ non ſatisfecit (§. 765.). Tu igitur non vis ſatisfacere obligationi tuæ, quia alter eidem non ſatisfecit. Aſt ſi alter non ſatisfacit obligationi naturali, non ideo tibi permiſſum eſt eidem non ſatisfacere (§. 631. *part. 1. Jur. nat.*). Ergo ſi quis fidem prior fefellit in alio pacto, non licet tibi recedere a pacto alio.

Non attendenda hic eſt differentia, num in pacto alio quis fefellerit fidem ſuam, antequam poſterius fuerit initum, an vero hoc faciat, ubi poſterius jam initum fuerit. Temporis enim nulla habenda ratio eſt, quemadmodum ex demonſtratione intelligitur. Jura & obligationes, quæ ex diverſis pactis veniunt, a ſe invicem minime dependent.

§. 835.

Quid licitum ſit, ſi paribus utrinque præſtitis unus a pacto recedat.

Si utrinque præſtita paria ſint & unus paciſcentium a pacto recedit, alteri quoque ab eodem recedendi jus eſt; ſi vero hoc facit, alter ipſi ad nihil tenetur. Etenim ſi utrinque præſtita paria ſint, perinde eſt ac ſi nihil adhuc præſtitum fuiſſet, conſequenter ſi unus a pacto recedit, nec id continuare vult, perinde eſt ac ſi a pacto inito ſtatim receſſiſſet. Quamobrem cum tibi jus ſit recedendi a pacto, quando alter ab eodem recedit (§. 827.); quin tibi etiam ab eodem recedendi jus ſit, quando utrinque præſtita paria ſunt & alter ab eo recedit, dubitandum non eſt. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam utrinque paria ſunt præſtita, dici non poteſt, te alteri quid præſtitiſſe ſub ea conditione, ut tibi viciſſim quid præſtet, conſequenter tibi propterea damnum dari, quod a pacto recedit (§. 488. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum nihil adſit, quod reſarciri debeat (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*); ſi tu a pacto etiam recedis ad nihil alter tibi tenetur. *Quod erat alterum.*

Non minus fieri poteſt, ut quis a pacto recedat, ſi utrinque paria jam fuerint præſtita, quam ſi a neutro adhuc quidpiam præſtitum fuerit. Quod tibi naſcitur jus a pacto recedendi, ſi alter recedit, id inde eſt, quia obligatio tua dependet ab obligatione alterius, ita ut ſi hic ſuæ ſatisfacere nolit, nec tu ad ſatisfaciendum tuæ compelli poſſis. Eadem ratio adhuc ſubſiſtit, quando paria jam fuerint præſtita utrinque, præſertim cum pactum quoad reſiduas præſtationes conſiderari poſſit inſtar pacti cujuſdam peculiaris, a quo receditur, dum nihil adhuc ab utraque parte præſtitum.

§. 836.

Pactum diſſolvi dicitur, vel etiam *ſolvi*, ſi contrahentes ab obligatione, qua ſibi invicem tenentur ex pacto, liberantur. Quamobrem patet, *ſi pactum diſſolvitur, antequam ex eo quid fuerit præſtitum, perinde eſſe ac ſi nunquam fuiſſet factum, ſed ab initio ſtatim fuiſſet nullum.* *Quid ſit diſſolutio pacti.*

Equidem hic nobis non eſt animus explicandi, quomodo ab obligatione ſua liberentur, qui ex contractu ſibi invicem tenentur; quoniam tamen hactenus oſtendimus, quomodo a pactis non ſine perfidia diſcedatur, addendum adhuc erat, quomodo ſine perfidia hoc fieri poſſit.

§. 837.

Quilibet alterum ab obligatione ſibi aliquid præſtandi ſola voluntate ſua liberare poteſt. Etenim ſi tu mihi obligaris ad aliquid præſtandum, mihi jus eſt ad id, quod præſtare debes (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero jus meum remittere poſſum (§. 117.), ſola voluntate mea (§. 95.). Quando vero idem remitto, tu ab obligatione tua liberaris (§. 97.). Patet igitur quemlibet alterum ab obligatione ſibi aliquid præſtandi ſola voluntate ſua liberare poſſe. *An quilibet voluntate ſua alterum ab obligatione liberare poſſit.*

Loquimur hic de obligationibus, quæ ab hominibus facto ſuo contrahuntur, non vero de connatis, quæ a natura veniunt: in has enim homini poteſtas nulla eſt, quemadmodum alibi demonſtravimus (§. 130. *p. 1. Phil. pract. univ.*). Ex demonſtratione autem intelligitur, te alterum liberare ab obligatione, qua tibi tenetur, remiſſione juris tui, quod num acquirere velles a tua unice voluntate pendebat. Dum vero jus remittis, idem extinguitur (§. 97.), adeoque quod ſemel erat quæſitum iterum amittitur. Quidni ergo a tua etiam voluntate pendere debet, num jus ſemel quæſitum iterum amittere velis? Nemo dubitare poteſt, niſi qui jus libertatis naturalis animo non comprehendit (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 838.

Si uterque contrahentium alterum ab obligatione, qua ſibi ad aliquid præſtandum ex pacto tenetur, liberat; pactum diſſolvitur. Etenim ſi uterque contrahentium alterum ab obligatione, qua ſibi ad aliquid præſtandum ex pacto tenetur, liberat; per ſe patet contrahentes ſimul ab obligatione, qua ſibi invicem ex pacto tenentur, liberari. Enimvero pactum diſſolvitur, ſi contrahentes ab obligatione, qua ſibi invicem tenentur ex pacto, liberantur (§. 836.). Ergo ſi uterque contrahentium alterum ab obligatione, qua ſibi ad aliquid præſtandum ex pacto tenetur, liberat; pactum diſſolvitur. *Quomodo pactum a contrahentibus diſſolvatur.*

§. 839.

Quoniam quilibet alterum ab obligatione ſibi aliquid præſtandi ſola voluntate ſua liberare poteſt (§. 837.), ſi vero uterque contrahentium alterum ab obligatione, qua ſibi ad aliquid præſtandum ex pacto tenetur, liberat, pactum diſſolvitur (§. 836.); *pacta contrahentibus diſſolvere licet, ſi iiſdem ſtare nolunt.* *Quod diſſolutio a contrahentibus facta licita ſit.*

Oſtendimus in propoſitione præcedente pacta a contrahentibus diſſolvi poſſe, ſi potentiam phyſicam ſpectes; in præſenti autem evincitur idem etiam fieri poſſe, ſi potentiam moralem ſpectes, hoc eſt, jure (§. 156. *part. 1. Phil. pract. univ.*) adeoque licite (§. 170. *part. 1. Jur. nat.*). *Jus* autem *diſſolvendi pacta fluit ex libertate naturali*, quemadmodum ſtatim apparet, ſi principia, quibus in demonſtrando uſi ſumus, ad fontem ſuum reducere voluerimus (§. 992. *Log.*): id quod quodammodo jam inſinuatum eſt (*not.* §. 837.).

§. 840.

Quod diſſolutio fiat mutuo diſſenſu.

Pacta a contrahentibus diſſolvuntur mutuo diſſenſu. Diſſolvuntur enim, dum uterque contrahentium alterum ab obligatione, qua ſibi tenetur, ad aliquid præſtandum liberat (§. 838.), conſequenter declarat ſe nolle, ut alter ſibi ad hoc præſtandum ſit obligatus, ad quod paciſcens ſe obligavit. Cum paciſcerentur, pactum fiebat mutuo conſenſu (§. 819.), adeoque uterque declarabat velle ſeſe alteri ad hoc præſtandum eſſe obligatum (§. 658. *p. 1. Phil. pract. univ.*). Quando igitur pactum diſſolvitur, a ſeipſo uterque paciſcentium diſſentit (§. 659. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſenſu, quo pactio erat facta, in diſſenſum mutato. Pacta igitur a contrahentibus diſſolvuntur mutuo diſſenſu.

Pervulgatum eſt, pacta mutuo contrahentium diſſenſu diſſolvi, ut ideo propoſitionem præſentem aliis verbis efferre non potuerimus. Probe tamen perpendenda eſt demonſtratio, ne male eandem interpretemur, definitione diſſenſus perperam applicata (§. 659. *part 1. Phil. pract. univ.*). Diſſentit uterque ab eo, quod vi pacti velle debebat, quatenus non vult hoc fieri, quod vi ejuſdem fieri debebat. Ita vero diſſentientes conſentiunt, quatenus idem volunt, dum uterque vult, ſe ab obligatione, qua ſibi invicem tenentur, liberos eſſe, ſeu eam tolli debere, adeoque pactionem pro non facta habendam eſſe (§. 658. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ut pacti diſſolutio mutuo diſſenſu facta intimius perſpiciatur, ſequentia addere lubet.

§. 841.

Pactum affirmativum & negativum quid ſit.

Pactum affirmativum dicitur, quo convenitur de præſtandis: ***negativum*** vero, quo convenitur de non faciendis. Quamobrem cum non repugnet, ut uno eodemque actu conveniatur cum de præſtandis, tum de non faciendis; ***unum idemque pactum & affirmativum, & negativum ſimul eſſe poteſt.***

Ex. gr. Pactum de non extruendis munitionibus ad fluvium territoria diſtinguentem negativum eſt: pactum de auxiliis mutuis in bello ferendis affirmativum eſt.

§. 842.

Effectus diſſolutionis pactorum.

Quoniam pactum diſſolvitur, ſi contrahentes ab obligatione, qua ſibi invicem tenebantur, liberentur (§. 836.), vi autem pacti affirmativi obligantur ad aliquid præſtandum, vi negativi ad aliquid non faciendum (§. 841.); ***ſi pactum affirmativum diſſolvitur, non præſtare teneor, quod erat præſtandum***, adeoque ***omittere licet, quod antea omittere non licebat, ſi vero negativum diſſolvitur, jam facere licet, quod antea non licebat.***

Ita in exemplis modo datis (*not.* §. 841.), pacto negativo diſſoluto, munimentum ad fluvium extruere licet, qui utriuſque territoria terminat; affirmativo diſſoluto, auxilia alteri bello implicito non mittere licet.

§. 843.

Promiſſio qualis inſit pactorum diſſolutioni a contrahentibus factæ.

Si pactum a contrahentibus diſſolvitur, ſibi invicem promittunt, quod neuter ab altero exigere velit, quod ex pacto ipſi debebat. Etenim ſi pactum diſſolvitur a contrahentibus, uterque alterum liberat ab obligatione id præſtandi, quod vi pacti præſtare debebat, (§. 836.) conſequenter declarat, ſe ab altero exigere non velle id, ad quod præſtandum ex pacto ipſi tenetur, adeoque declarat, ſe hoc facere non velle, & ad non faciendum ſe obligat. Quamobrem cum hæc obligatio non faciendi contrahi non poſſit, niſi promittendo (§. 393.); ſi

pactum

pactum a contrahentibus diſſolvitur, ſibi invicem promittunt, quod neuter ab altero exigere velit, quod ex pacto ipſi debebat.

Evidens omnino eſt, quamdiu tibi fuerit animus ab altero exigendi, ut tibi præſtet, ad quod præſtandum tibi obligatur, te velle non poſſe, ut ad id præſtandum tibi non ſit obligatus, conſequenter te non poſſe habere animum ipſum ab obligatione ſua liberandi. Repugnat adeo habere animum alterum liberandi ab obligatione ſua & retinere animum ab eo exigendi, ut præſtet quod ex pacto debet. Quamobrem qui pactum diſſolvere vult, deponere debet animum ab altero exigendi, quod ex pacto ſibi debetur, conſequenter dum diſſolvit, eo ipſo ſeſe obligat ad non exigendum, quod ex pacto ſibi debetur. Promiſſio igitur non exigendi, quod ex pacto debetur, qua hæc obligatio contrahitur, diſſolutioni per ſe ineſt, nec ab eadem ſeparari poteſt. Poterat idem oſtendi ex ipſa promiſſionis definitione (§. 361.); ſed in re jam ſatis manifeſta prolixiores eſſe nolumus.

§. 844.

Conventio pactum diſſolventium.

Si paciſcentes pactum diſſolvunt, inter ſe conveniunt quod neuter ab altero exigere velit, quod ex pacto ſibi debebatur. Etenim uterque paciſcentium alterum liberat ab obligatione præſtandi, quod vi pacti præſtare debebat (§. 836) adeoque voluntatem ſuam determinant ad hoc non agendum, conſequenter hoc una decernunt (§. 497. *part. 1. Theol. nat.*). Enimvero qui una idem decernunt, inter ſe conveniunt (§. 698.). Quamobrem ſi paciſcentes pactum diſſolvunt, inter ſe conveniunt, quod neuter ab altero exigere velit, quod ex pacto ſibi debebatur.

Conventio hæc pactum diſſolventium actui, quo diſſolvitur, eodem modo ineſt, quo ante promiſſionem ineſſe oſtendimus (*not.* §. 842.), ut adeo plura eam in rem dici non ſit opus.

§. 845.

Verus modus, quo pactum a contrahentibus iterum diſſolvitur.

Pactum priſtinum pacto novo contrario a contrahentibus diſſolvitur. Etenim ſi contrahentes pactum, quod iniverunt, iterum diſſolvunt, ſibi invicem promittunt, quod neuter ab altero exigere velit, quod ex pacto ſibi debebatur (§. 842.), & de eo inter ſe conveniunt (§. 843.), conſequenter in mutuas promiſſiones conſentiunt (§. 699.). Enimvero iſtiuſmodi conventio pactum eſt (§. 788.). Quamobrem patet, pactum priſtinum pacto novo contrario a contrahentibus diſſolvi.

Atque nunc demum intime perſpicitur modus, quo pactum ſemel initum a contrahentibus diſſolvatur, & quod pacti diſſolutio non minus, quam pactum ipſum, quod diſſolvitur mutua fide nitatur (§. 75[illegible]). Sed plura de hoc pacta diſſolvendi modo addere nolumus, ne juſto ſimus prolixiores, cum quæ de eo dici adhuc poterant, ex anterioribus facile deducantur.

§. 846.

An pactum valeat, antequam in ſcripturam referatur.

Naturaliter pactum valet, antequam in ſcripturam referatur. Pacta enim fiunt mutuo conſenſu paciſcentium in eandem vel eaſdem promiſſiones (§. 788.). Quamobrem cum obligatio non contrahatur niſi promittendo (§. 393.); obligatio ſtatim adeſt, quamprimum conſenſus iſte fuit declaratus, conſequenter non alia de cauſa pactum in ſcripturam refertur, quam ut in poſterum certo conſtet, de quonam fuerit conventum. Patet itaque naturaliter valere pacta, antequam in ſcripturam referantur.

Si ſcriptura ad pacta convalidanda foret opus, pactum nullum conſiſtere poſſet, niſi in ſcripturam fuiſſet relatum: quod quam ſit a veritate alienum, nemo non intelligit. In ſcripturam rediguntur pacta, ut, quando controverſia oritur de eo, quod ex pacto debetur, id pro-

probatu non ſit difficile; aut prorſus impoſſibile, & ut præſcindantur lites de eo, quod debetur, alias facile orituræ ac ſubinde non terminandæ: non vero eo fine, ut valida efficiantur.

§. 847.

Quomodo de relatione pactorum in ſcripturam conveniri poſſit.

Si convenitur inter paciſcentes, ne valeat pactum, antequam fuerit in ſcripturam relatum & ſubſcriptum aut etiam ſigillo munitum; antequam utrumque factum non eſt validum. Etenim pacta mutuo conſenſu perficiuntur (§. 788., adeoque a voluntate paciſcentium pendet, quandonam conſenſus ipſorum immotus intelligi debeat. Quamobrem cum conveniunt inter ſe, conſenſum non ante pro immoto haberi debere, quam ubi pactum fuerit in ſcripturam relatum & ſubſcriptum, immo etiam ſigillo impreſſum, nec ante immotus intelligi poteſt (§. 428.). Quoniam itaque conſenſus non ante adeſſe intelligitur, quam pactum in ſcripturam fuerit relatum & ſubſcriptum, immo etiam obſignatum, ſine conſenſu autem mutuo pactio nulla fieri poteſt (§. 819.); nec pactum eſſe poteſt validum, antequam in ſcripturam fuerit relatum, ſubſcriptum, immo etiam ſigillo munitum, ſi inter paciſcentes expreſſe conveniatur, ne ante validum ſit.

Quodſi animum ad demonſtrationem attendas, facile animadvertes conventione paciſcentium non mutari naturæ legem, ut ſcilicet obligatio naſcatur non ex conſenſu, ſed ex conventionis in ſcripturam relatione, nominum ſubſcriptione & ſigillorum impreſſione. Quando enim convenitur, ne ante valeat pactum, quam hæc fuerint facta; paciſcentes ſaltem nolunt ſe pro conſentientibus haberi, antequam contractui in ſcripturam relato nomen ſuum ſubſcripſerint, & ſigillum appoſuerint: unicuique autem liberum eſt, quibus ſignis conſenſum ſuum indicare, & in quodnam tempus eum differre voluerit, reſervata ſibi ad illud uſque tempus libertate animum mutandi. Ceterum ita etiam paciſci poterat, ut pactum quidem ſtatim ſit validum, nec concedatur ab eodem reſilire, quamdiu in ſcripturam relatum minime fuerit; ſed tamen non ante vim ſuam exerat, quam in ſcripturam fuerit relatum, nomina fuerint ſubſcripta & ſigillo impreſſa. Quoniam enim promiſſiones fieri poſſunt in diem; de quo nullum eſt dubium; nec in dubitationem adduci poteſt, conventionibus præfigi poſſe pro arbitrio paciſcentium terminum a quo. Quemadmodum vero pacta in ſcripturam rediguntur, ut integra eorum conſervetur memoria, id quod inprimis opus eſt, quando eorum duratio ultra hominum memoriam extenditur; ita nomina ſubſcribuntur, ne quis dubitet eam revera fuiſſe contrahentium mentem, quam ſcriptura exprimit, & ſigilla apponuntur, ne de veritate ſubſcriptionis dubium ſupereſſe poſſit.

§. 848.

Jus adverſus violatorem pacti.

Naturaliter homini competit jus belli adverſus eum, qui pacta non ſervat. Etenim qui pacta non ſervat, præſtare non vult id, ad quod ipſi præſtandum ſuo conſenſu obligatur (§. 788. 430.). Sed naturaliter homini competit jus belli adverſus eum, qui præſtare non vult id, ad quod præſtandum ipſi conſenſu ſuo obligatur (§. 408.). Ergo naturaliter homini competit jus belli adverſus eum, qui pacta non ſervat.

§. 849.

Pactorum violationum juſta belli cauſa.

Quoniam homini competit jus belli adverſus eum, qui pacta non ſervat (§. 848.); *violatio pactorum juſta belli cauſa eſt.*

Hoc nimirum bello perſequimur id, quod intereſt, pacta non fuiſſe ſervata; quod adeo in caſu particulari facile determinatur. Et ejus utique habenda eſt ratio in deliberationibus de bello ſuſcipiendo.

§. 850.

§. 850.

Plura de pactis in genere demonſtrare nolumus, non modo, quod ex iis intelligantur, quæ de promiſſionibus demonſtrata ſunt in anterioribus (§. 8[illegible]0.); verum etiam quod, quando de contractibus & pactis gentium ſumus acturi, facile ſuppleri poterunt, ſi qua adhuc deſiderantur generalia, unde particularia pendent, cum tunc eorum uſus ſtatim appareat, iiſdem per particularia lux quædam affundatur, ut fiant clariora ac facilius comprehendantur, eademque hoc pacto facilius memoriæ infigantur & eadem retineantur. Accedit, quod ita etiam conſulatur iis, qui artis inveniendi rationem habent, ut perſpiciant, quomodo particularia non tantum anſam præbeant cogitandi de univerſalibus, verum etiam via haud raro faciliori ac tutiori ad ea ducant: id quod inſtituto noſtro maxime convenit, qui, quod jam aliquoties monuimus, ſatis tamen inculcare non poſſumus, lectori quoque tacite methodi tam ſyntheticæ, quam analyticæ regulas ac uſum inſinuare volumus idem cum *Seneca* ſtatuentes, quod longum ſit iter per præcepta, breve per exempla.

Cur non plura de pactis in genere dicantur.

C A P U T V.

De Aſſeveratione, Jurejurando & Voto.

§. 851.

Aſſeverare idem eſt ac conſcientia ſua teſte uti veritatis dictorum: ut adeo *Aſſeveratio* ſit probatio veritatis dictorum per conſcientiam teſtem. Patrio ſermone dicitur die Betheurung.

Aſſeveratio quid ſit.

Aſſeveramus nimirum vera eſſe, moraliter ſcilicet, quæ dicimus, ne de veritate dictorum ſit dubitandum. Niſi tibi conſtet, quod affirmatur, vel negatur, eſſe verum, probandum eſt, ut de veritate conſtet. Aſſeveratio igitur probatio eſt, qua veritas dictorum evincitur.

§. 852.

Jurare dicitur, qui Deum invocat teſtem veritatis dictorum & vindicem mendacii ac perfidiæ: ut adeo *Juramentum* ſit invocatio Dei tanquam teſtis de veritate dictorum & vindicis mendacii ac perfidiæ.

Juramentum quid ſit.

Ex. grat. Teſtis judici jurat ſe vera dicturum de eo, quod ex ipſo quæſiturus eſt. Dixit adeo ſe vera dicturum de eo, quod interrogabitur. Ne judex vel alius, cujus intereſt, dubitet, ipſum, cum a judice interrogatus reſpondit, vera dixiſſe, Deum teſtem invocat, quod habeat animum dicendi verum, quando interrogabitur; eundem invocat vindicem mendacii, ſi animum non habeat, quem ſe habere dicit, ac perfidiæ, ſi interrogatus falſum dicat, mutato animo. Juramentum adeo definimus in ſignificatu recepto, ut non ſolum ſufficiat Deo teſte uti veritatis dictorum, verum præterea depoſcenda ſit pœna divina tam mendacii, quam perfidiæ. Etſi enim ſupponamus Deum per ſe eſſe vindicem tam mendacii, quam perfidiæ, ſi teſtis veritatis dictorum invocatus fuerit; differunt tamen adhuc a Deo puniri & pœnam divinam in ſe depoſcere, quemadmodum etiam in humanis accidit, ut pœnam depoſcamus in nos delictum commiſſuros, quamvis per ſe judex idem punire ſoleat, ubi voluerimus eum tanto ſecuriorem eſſe debere, quod a delicto nos abſtenturi ſimus.

§. 853.

Si quis dubitet, te moraliter verum loqui, nec hoc conſtare poſſit ex eo, de quo verba fiunt; veritas dictorum probari nequit, niſi per conſcientiam, aut Deum teſtem.

Quando veritas di-

Dictorum probanda per conſcientiam aut Deum teſtem. *ſtem*. Etenim ſi quis dubitet, num moraliter verum loquaris, probandum eſt, verba tua cum cogitationibus tuis convenire (§. 150.). Quando vero hoc conſtare nequit ex eo, de quo verba fiunt, cum nemo præter te (§. 23. *Pſych.*), & Deum norit cogitationes tuas (§. 235. *Theol. nat.*), nemo etiam præter te & Deum perſpectam habet verborum tuorum cum cogitationibus tuis convenientiam. Quamobrem patet, ſi quis dubitet te moraliter verum loqui, nec hoc conſtare poſſit ex eo, de quo verba fiunt; veritatem dictorum probare aliter non datur, quam per conſcientiam, aut Deum teſtem.

Quando probare potes logice verum eſſe, quod dicis, ex eo etiam conſtat, te moraliter verum loqui, adeoque non opus eſt, ut veritas moralis probetur: probatur enim per hoc, quod logice verum ſit, quod dicis, & logica veritas tibi ſit perſpecta. Ex grat. Si dicis, hoc anno Mercurium per ſolem tranſiturum, & alter dubitet, num moraliter verum loquaris, tu vero ipſi oſtendas ephemerides, in quibus phænomenon prædicitur; hoc ipſo patet veritatem logicam tibi eſſe perſpectam & te moraliter verum loqui. Enimvero hoc non ſemper ſuccedit, quando veritas moralis in dubium revocatur. Ex. gr. Si teſtis promittit judici, ſe ad quæſtiones ſibi propoſitas verum dicturum; ex ipſa re, de qua quæſtiones proponuntur, conſtare nequit, num tu ad eas reſpondens verum loquaris moraliter. In hoc igitur caſu te moraliter verum loqui probare non potes niſi per conſcientiam, aut Deum teſtem. Similiter ſi dicis tibi eſſe animum hoc, vel iſtud faciendi; num revera animum habeas, nemini præter quam tibi ac Deo conſtare poteſt. Quamobrem dictorum veritatem nec probare aliter potes niſi per conſcientiam aut Deum teſtem.

§. 854.

Aſſeveratio quando ſit licita. *Si quis dubitet te moraliter verum loqui, nec hoc ipſi conſtare poſſit ex eo, de quo verba fiunt, & ejus interſit, ut de veritate dictorum ſit certus; aſſeverare hoc licet.* Etenim ſi quis dubitet te moraliter verum loqui, ejus tamen interſit, ut de veritate dictorum certus ſit; dictorum veritas probanda eſt. Quoniam tamen hoc ipſi conſtare nequit ex eo, de quo verba fiunt, *per hypoth.* probatione alia opus eſt. Enimvero cum in hypotheſi propoſitionis præſentis veritas probari nequeat, niſi per conſcientiam, aut Deum teſtem (§. 853.), verba autem temeraria non ſint, quibus in hoc caſu conſcientiam teſtem producis (§. 276.), ut ab iis ſit abſtinendum (§. 278.); quin conſcientia teſte uti liceat, dubitandum non eſt. Quoniam itaque aſſeveratio eſt probatio veritatis dictorum per conſcientiam teſtem (§. 850.); ſi quis dubitet, te moraliter verum loqui, nec hoc ipſi conſtare poſſit ex eo, de quo verba fiunt, ejus tamen interſit, ut de veritate dictorum ſit certus, aſſeverare hoc licet.

Dices forſitan, in hoc caſu etiam licitum eſſe Deo teſte uti. Enimvero patebit deinceps, Deo teſte non eſſe utendum, ubi aſſeveranti creditur vel tua non interſit, ſi non credatur, conſequenter ut Deo teſte uti licitum ſit, non unice ſufficere, ut dubitantis interſit certum eſſe de veritate dictorum. Immo aliæ adhuc ſubinde eſſe poſſunt rationes, cur ultra aſſeverationem non ſit progrediendum.

§. 855.

Alius caſus. *Si tua interſit, ne is, cui loqueris, forſan dubitet de veritate dictorum, quæ ex eo, de quo verba fiunt, patere nequit; aſſeveratio licita.* Oſtenditur eodem fere modo, quo propoſitionem præcedentem demonſtravimus.

Quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus, ea etiam de præſenti, mutatis mutandis, valent.

§. 856.

Digitized by Google

§. 856.

Aſſeverationes temerariæ illicitæ ſunt. Qui enim temerarie quid aſſeverat, temerarie loquitur (§. 851.). Enimvero temerarie nil loquendum (§. 278.). Ergo nec temerarie quid aſſeverandum, conſequenter aſſeverationes temerariæ illicitæ ſunt.

Aſſeverationes temerariæ illicitæ.

Aſſeverationes temerariæ ſunt, quæ nullo fine ſunt (§. 276.), conſequenter quando dictorum veritas non probanda (§. 851.). Quamobrem cum demonſtraverimus (§. 853. 854.), quandonam hac probatione ſit opus; ab aſſeverationibus temerariis ſibi facile cavebit, quiconſcientiam ſuam exacte cuſtodire voluerit. Rationes, quæ ab iis abſtinendum eſſe ſuadent, cum ad motiva pertineant, in philoſophia morali expendendæ.

§. 857.

Pœna adjici dicitur *aſſeverationi*, ſi aſſeverans declarat, velle ſeſe ne in poſterum quicquam ſibi credatur, aut ne habeatur pro viro honeſto, vel mali quidpiam ſibi fiat, niſi moraliter verum loquatur.

Pœna quando aſſeverationi adjiciatur.

Poteramus equidem ex notione pœnæ hoc demonſtrare (§. 285. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ſed ut evitetur prolixitas, pro definitione nominali propoſitionem præſentem accipere maluimus.

§. 858.

Quoniam pœna adjicitur aſſeverationi, ut tanto certius aſſeveranti credatur, eum moraliter verum loqui; *ſi is, cum quo tibi negotium eſt, aſſeverationi ſine pœna adjecta habet fidem plenam*, ut ſcilicet de veritate dictorum non amplius dubitet, *pœnam adjici non eſt opus*, conſequenter *ſi hoc non obſtante adjiciatur*, id nullo ſit fine, adeoque *aſſeveratio temeraria eſt* (§. 276.).

Quando ea non ſit opus.

§. 859.

Aſſeveratio nuda eſt, quæ verbis conſtat nonniſi certitudinem veritatis dictorum ſignificantibus, abſque pœna adjecta. *Pœnalis* vero *aſſeveratio* eſt, quæ pœnam adjectam habet.

Aſſeveratio nuda & pœnalis, quænam.

Ita nuda aſſeveratio eſt, quando dicis, te moraliter verum loqui adeo certum eſſe, quam certum ſit Solem in cœlo exiſtere, vel nunc lucere; te hic ſtare, aut jam loqui; tibi eſſe hoc nomen, vel te in hac dignitate conſtitutum. Certitudo nimirum veritatis dictorum æquiparatur certitudini rei cujuſcunque alterius, de qua alteri nihil dubii ſupereſt. Exempla vero pœnalis aſſeverationis patent ex ipſa definitione pœnæ aſſeverationi adjectæ (§. 857.).

§. 860.

Si is, qui quid aſſeverat, pœnam aſſeverationi adjicit; ſe ipſum obligat ad falſo non aſſeverandum. Etenim qui pœnam aſſeverationi adjicit, is declarat, quod nolit in poſterum quicquam ſibi credi, aut quod nolit pro viro honeſto haberi, ſi falſo aſſeveret (§. 857.), adeoque indicat hanc eſſe rationem, cur falſo quid aſſeverare nolit (§. 56. *Ontol.*), conſequenter cum aſſeverando motivum aliquod connectit, ne falſo quid aſſeveret (§. 887. *Pſych.*). Quoniam itaque ſeipſum obligat ad falſum non aſſeverandum, qui motivum aliquod cum hac actione connectit (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ſi is, qui quid aſſeverat, pœnam aſſeverationi adjicit, ſeipſum obligat ad falſo non aſſeverandum.

Obligatio naſcens ex aſſeverationi adjecta pœna.

Qui

Qui adeo ſub pœna quid aſſeverat, omni animi contentione id agit, ut ſibi eredatur. Unde ea confirmantur, quæ de aſſeveratione temeraria paulo ante (§. 858.) demonſtrata ſunt.

§. 861.

Jus ex pœna aſſeverationi adjecta alteri naſcens.

Quoniam qui ſub pœna quid aſſeverat, ſeipſum obligat ad falſum non aſſeverandum (§. 860.), ex obligatione autem paſſiva, quæ ex activa reſultat (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*; jus alteri naſcitur, in cujus gratiam temetipſum obligaſti, ſi pœna in ejus arbitrium collata (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*); *qui ſub pœna quid aſſeverat, in alterum transfert jus pœnam in ejus arbitrium collatam a te exigendi, niſi moraliter verum loquatur.* Immo fluit hoc ex ipſa definitione pœnæ aſſeverationi adjectæ collata cum definitione juris (§. 156. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Niſi enim hoc jus in alterum transferres pœnam exigendi, niſi moraliter verum loquaris, inania verba proferres, dum pœnam promiſſioni adjicis (§. 857.). Quod facere non licet, cum ad animi tui ſenſa alteri patefacienda obligeris (§. 853. 854.). Et ſi vel maxime inania proferres, adverſus te tamen habetur pro vero, quod dicis (§. 427.).

§. 862.

Quando aſſeveratio pœnalis illicita.

Quando nude aſſeveranti creditur, aſſeveratio pœnalis illicita eſt. Etenim ſi is, cum quo tibi res eſt, aſſeverationi abſque pœna adjecta habet fidem plenam, conſequenter ſi nude aſſeveranti credit (§. 859.), pœna temerarie adjicitur (§. 858.), adeoque pœnalis aſſeveratio temeraria eſt (§. 859.). Enimvero aſſeveratio temeraria omnis illicita eſt (§. 856.). Ergo etiam aſſeveratio pœnalis illicita eſt, quando nude aſſeveranti credirur.

Equidem non ignoro, vulgo de iis, quæ hactenus dicti ſunt, parum cogitare homines, immo facile prævideo fore haud paucos, qui nimium in cenſendis moribus rigorem accuſaturi ſunt; non tamen ſufficiens hæc ratio eſt, quæ me permovere potuit, ut ea omitterem, quæ ad intimiorem juris naturæ cognitionem faciunt, præſertim cum per ea rectius pateat juris naturæ cum doctrina Chriſti conſenſus.

§. 863.

Imprecatio quid ſit.

Mala ſibi, vel aliis ***imprecari*** dicitur, qui verbis declarat, velle ſeſe, ut ſibi vel alteri mala eveniant, vel etiam eveniſſent. Unde ***Imprecatio*** eſt ſignificatio voluntatis noſtræ de malis, quos nobis, vel aliis evenire, vel eveniſſe cupimus.

Verbum imprecari plerumque in malo, ſubinde tamen in bono etiam ſumitur ſignificatu. Quamobrem ne ſignificatui ejuſdem vim inferamus, quid ſit mala imprecari hic definire voluimus. Aſt imprecatio ſubſtantivum ſemper in mala accipitur ſignificatione. Mala ſibi imprecari, vel etiam aliis idem ſignificat, quod diris ſe vel alios devovere. Subinde etiam dicitur male ſibi vel aliis precari.

§. 864.

Quando ſub pœna imprecationis quia aſſeveretur.

Quoniam pœnam aſſeverationi adjicit, qui declarat, velle ſeſe, ut mali quid ſibi eveniat, niſi moraliter verum loquatur (§. 857.), mala autem ſibi imprecatur qui verbis declarat velle ſeſe, ut ſibi mali quid eveniat (§. 863.); *qui aſſeverando declarat velle ſeſe, ut mali quid ſibi eveniat, niſi verum dicat, ſub pœna imprecationis aſſeverat.*

Pœna imprecationis ſemper reſpicit perſonam aſſeverantis vel eorum, quos ita amat, ut eos tanquam ſeipſum conſideret (§. 659. *Pſych. empir.*), veluti liberos, vel amicum intimum.

§. 865.

Digitized by Google

§. 865.

Execratio quid ſit.

Eum execrari dicimus, cui majora mala imprecamur. Unde *Execratio* eſt majorum malorum optatio, veluti interitus, amiſſionis fortunarum ſecundarum, permanſionis in adverſis ſine ullo remedio jacturæ ſalutis æternæ.

Differunt mala gradu, ut alia aliis ſint majora. Ut adeo execrationem ab imprecatione diſtingueremus, illam ad mala majora reſtringere libuit. *Livius* execrationem vocat l. 26. c. 25. ne quis eum urbe, tecto, menſa, lare reciperet, qui victus acie exceſſiſſet: id quod definitioni noſtræ congruit. Nolumus tamen eum aliquo contendere, num apud auctores probatæ Latinitatis differentia inter imprecationem & execrationem, quam aſſignamus, conſtanter obſervetur: neque enim nobis vacat loca omnia auctorum, in quibus vocabula occurrunt, evolvere & ex contextu eorum ſignificatum eruere, & quod inconſtantiæ loquendi tribuendum, ab eo ſeparare, quod ad ſignificatum proprium pertinet, quamvis optaremus, ejuſmodi proſtare opus, Theſauri linguæ latinæ magnificum titulum omni jure tuiturum & nobis legem, a qua recedere in definiendo nefas duceremus, impoſiturum. Cum non probatam Latinitatem, ſed rerum veritatem docere intendamus, quod poſterius abſque fixo & determinato vocabulorum ſignificatu fieri nequit (§. 143. 144. *Diſc. prel.*); inſtituto noſtro abunde ſufficit, ſi vocabulis in eo utamur ſignificatu, quem iiſdem in definitionibus nominalibus tribuimus,

§. 866.

Quando aſſeveratio fiat ſub pœna execrationis.

Quoniam ſub pœna imprecationis aſſeverat, qui aſſeverando declarat velle ſeſe, ut mali quid ſibi eveniat, niſi verum dicat (§. 864.), adeoque mala ſibi imprecatur (§. 863.), qui vero majora mala ſibi imprecatur, ſeipſum execratur (§. 865.); *qui aſſeverando mala majora ſibi imprecatur, vel ſuis, niſi verum dicat, ſub pœna execrationis aſſeverat.*

§. 867.

Cur aliis mala imprecemur.

Qui alteri mala imprecatur, eum odit, & ſi hoc facit propter offenſam alterius, cupiditate vindictæ flagrat. Etenim qui alteri mala imprecatur, verbis declarat, velle ſeſe, ut alteri mala eveniant (§. 863.), adeoque mala alterius ſibi repræſentat tanquam ſibi bona (§. 892. *Pſych. empir.*), conſequenter voluptatem ex iis percipit (§. 558. *Pſych. empir.*), adeoque voluptatem percipit ex alterius tædio (§. 569. *Pſych. empir.*). Enimvero qui voluptatem percipit ex alterius tædio, eum odit (§. 668. *Pſych. empir.*). Ergo qui alteri mala imprecatur, eum odit.

Oſtenditur etiam hoc modo. Qui alteri mala imprecatur verbis declarat velle ſeſe, ut alteri mala eveniant (§. 863.), adeoque appetit tædium alterius (§. 569. *Pſych empir.*). Sed qui tædium alterius appetit, eum odit (§. 669. *Pſych. empir.*). Ergo qui alteri mala imprecatur, eum odit. *Quod erat unum.*

Qui alteri mala imprecatur, ejus tædium appetit *per demonſtrata*. Quodſi ergo male eidem imprecetur, quia ipſum offendit, tædium offendentis appetit. Enimvero qui tædium offendentis appetit, cupiditate vindictæ flagrat (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*). Ergo qui alteri mala imprecatur propter offenſam alterius, cupiditate vindictæ flagrat.

Parum refert, utrum imprecatio ſit conditionata, an pura. Si enim ſub conditione alteri male impreceris te eum odio proſecuturum, vel animum tuum vindicta adverſus eum exarſurum declaras, conſequenter animus tuus jam inclinat in odium, vel vindictam adverſus alterum.

§. 868.

An aliis mala imprecari illicitum ſit.

Mala alteri imprecari illicitum eſt. Etenim qui mala alteri imprecatur, eum odit, & ſi hoc facit propter offenſam alterius, cupiditate vindictæ flagrat (§. 867.).

(§. 867.). Sed neminem odiſſe (§. 624. *part.* 1. *Jur. nat.*), & animum ab omni vindictæ cupiditate alienum habere debemus (§. 948. *p* 1. *Jur. nat.*). Ergo nemo alteri mala imprecari debet, conſequenter mala alteri imprecari illicitum eſt.

Quodſi imprecationem tribuas iræ, qua animus excandeſcit adverſus eum, qui te offendit; non excuſatur imprecatio, cum nec ei iraſci liceat, qui nos offendit, propterea quod offendi (§. 949. *part.* 1. *Jur. nat.*): fit ita quod excuſatius peccet, qui per naturam ad iram pronus eſt, & quem, quam primum ad ſe redit animus, imprecationis pœnitet.

§. 869.

An execrationes aliorum illicitæ.

Quoniam imprecatio omnis illicita eſt, qua aliis male precamur (§. 868.), execramur vero eum, cui majora mala imprecamur (§. 865.); *execratio quoque aliorum illicita eſt*.

§. 870.

An ſibi ipſi mala imprecari, vel ſeipſum execrari liceat.

Nemo impatientia, vel aſſeverandi cauſa ſibi mala imprecari, aut ſeipſum execrari debet. Quoniam nemo hominum impatiens eſſe debet (§. 595. *part.* 1. *Jur. nat.*), is autem impatientem ſe probat, qui impatientia ſibi mala imprecatur, aut ſeipſum execratur; nemo impatientia ſibi mala imprecari, aut ſeipſum execrari debet. *Quod erat unum.*

Quando quid aſſeveramus, conſcientiam teſtem appellamus, quod vera dicamus (§. 851.), conſequenter ſi aſſeverandi cauſa mala nobis imprecamur, vel nos metipſos execramur, id non alio fit fine, quam ne alter dubitet, nos vera loqui. Enimvero ſi aſſeverationi nudæ non creditur, (§. 859.), pœna eidem adjici poteſt (§. 857.), quando intereſt tui, vel alterius ut tibi credatur, (§. 865. 855.). Ergo non opus eſt, ut tibi ipſi mala impreceris, vel te ipſum execreris, conſequenter imprecatio & execratio pro temeraria habenda (§. 276.). Quoniam itaque temerarie nihil loquendum (§. 278.), nec aſſeverandi cauſa ſibi mala imprecari aut ſeipſum execrari quis debet.

Impatientis homines duci ad male ſibimetipſis precandum, vel ſeipſos execrandos experientia obvia loquitur, ut adeo brevitatis gratia id demonſtrare noluerimus, etſi ex notione impatientiæ & appetitus facile demonſtrari poterat. Si quis aſſeveranti credere noluerit, ſi pœna adjiciatur, vix imprecationibus aut execrationibus adduci ſe patietur, ut fidem habeat dictis, cum pœna in ipſius poteſtatem conferatur, cui non ſubjiciuntur mala; quæ aſſeverans ſibi imprecatur. Urgebit adeo juramentum, de quo mox dicemus, niſi execrationem aut imprecationem pro juramento habeat, quod tamen ab eadem differre mox patebit. Quamvis enim vulgo multæ execrationum formulæ pro formulis jurandi habeantur, non tamen veritati conſentanea eſt illarum confuſio.

§. 871.

Quænam veritates de Deo juranti perſpectæ eſſe debeant.

Qui jurat, pro certo habere debet, Deum exiſtere, noſſe hominum cogitationes & actiones externas, ac punire mendacia, perfidiam & blaſphemiam. Etenim qui jurat, Deum teſtem invocat de veritate dictorum (§. 852.). Enimvero qui pro certo non habet, Deum exiſtere, nec eum teſtem invocare poteſt. Ergo qui jurat pro certo habere debet Deum exiſtere, *Quod erat primum.*

Porro qui jurat, vult ut Deus ſit teſtis, ſe vera dicere, ſeu moraliter verum loqui, conſequenter verba cum cogitationibus ſuis convenire (§. 150.). Pro certo igitur habere debet, Deum noſſe tam cogitationes ſuas, quam verba, quæ ore profert, conſequenter actiones externas. *Quod erat ſecundum.*

Denique qui jurat, Deum invocat tanquam vindicem mendacii, perfidiæ & obſcurationis gloriæ ſuæ (§. 852.), qui actus malitioſus committitur, niſi vera dicat,

dicat, qui jurat, quemadmodum mox oſtendetur (§. 872.). Quamobrem qui jurat noſſe quoque debet, Deum eſſe vindicem mendacii, perfidiæ ac obſcurationis gloriæ ipſius, ſeu actus hoſce vitioſos punire. *Quod erat tertium.*

Verum eſt, Deum exiſtere (§. 69. *part.* 1. *Theol. nat.*) & §. 21. *Theol. nat.*), cogitationes & verba, quæ ore proferuntur, cognoſcere (§. 251. 939. *part.* 1. *Theol. nat.*), actiones malas, ſeu legi naturæ adverſas (§. 153. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), punire (§. 305. 308. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) nec minus certum eſt, mendacium (§. 183.), perfidiam (§. 774.) & obſcurationem gloriæ ipſius legè naturali prohiberi (§. 1154. *part.* 1. *Jur. nat.*). Nihil adeo in definitione juramenti ſupponitur, quod non poſſit haberi pro vero. Et quoniam quilibet Deum agnoſcere (§. 1129. *part.* 1. *Jur. natur.*) & operam dare debet, ut certa ſit Dei, quam habet, cognitio (§. 1140. *part.* 1. *Jur. nat.*); a jurante nihil exigitur, niſi quod officii ipſius eſt.

§. 872.

Actus malitioſi quinam inſint juramento falſo.

Si jurans moraliter falſum loquitur, mentitur, perfidus eſt & gloriam divinam obſcurat. Qui jurat, Deum teſtem invocat de veritate dictorum (§. 852.), conſequenter eum hoc facere nequeat, niſi quando alterius, cui jurat, intereſt noſſe, quod moraliter verum loquatur (§. 853.), ſi jurans moraliter falſum loquitur, falſum utique loquitur, quando alteri jus eſt ad animi jurantis ſenſa cognoſcendum, conſequenter hic ad eadem ipſi ſignificanda obligatur (§. 160.). Enimvero mentitur, qui moraliter falſum loquitur, quando alteri animi ſui ſenſa indicare tenetur (§. 182.). Mentitur itaque jurans, ſi falſum loquitur. *Quod erat primum.*

Qui jurat, Deum teſtem invocat ac vindicem mendacii (§. 852.), conſequenter non modo verbis declarat, ſe vera dicere, verum etiam a Deo vult puniri, niſi verum dicat, adeoque ad dicendum verum ſe obligat (§. 288. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo hoc non obſtante moraliter falſum loquatur, contrarium ejus facit, quod ſe facturum dixit, & ad quod faciendum fidem ſuam adſtrinxit (§. 758.). Quoniam itaque perfidus eſt, qui contrarium ejus facit, ad quod fidem ſuam adſtringit (§. 776.); ſi jurans moraliter falſum loquitur, perfidus eſt. *Quod erat ſecundum.*

Denique qui jurat Deum invocat tanquam teſtem de veritate dictorum & vindicem actionum malarum, ſeu lege naturali prohibitarum (§. 852.), conſequenter jurejurando teſtari debet, ſe pro certo habere, quod Deus non minus cogitationes ſuas, quam verba, quæ ore profert, norit, quodque mendacii vindex ſit futurus (§. 251. 939. *part.* 1. *Theol. nat.* & §. 305. 308. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero ſi jurans moraliter falſum loquitur, ipſo facto negat, Deo competere hæc attributa. Dei igitur gloriam obſcurat (§. 1153. *part.* 1. *Jur. nat.*). *Quod erat tertium.*

Noſtrum jam non eſt omnem turpitudinem juramenti falſi demonſtrare, quoniam hoc pertinet ad Philoſophiam moralem.

§. 873.

An athei & Deiſtæ jurare poſſint.

Athei & Deiſtæ jurare nequeunt. Atheus enim negat dari Deum (§. 411. *p.* 2. *Theol. nat.*). Sed qui negat dari Deum, jurare nequit (§. 871.). Ergo atheus jurare nequit. *Quod erat primum.*

Deiſta negat, Deum curare res humanas (§. 529. *part.* 2. *Theol. nat.*), & tollit obligationem divinam non committendi actiones legi naturæ difformes (§. 539. *part.* 2. *Theol. nat.*), immo caſui tribuens, quæ providentiæ divinæ tribuenda erant (§. 535. *part.* 2. *Theol. nat.*), Deum punire actiones hominum malas non admittit (§. 305. 308. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero qui ita ſentit, Deum teſtem veritatis dictorum & vindicem mendacii ac perfidiæ invocare nequit. Quoniam itaque non jurat, qui Deum teſtem veritatis dictorum & vin-

dicem mendacii ac perfidiæ non invocat (§. 852.); Deiſta jurare nequit. *Quod erat ſecundum.*

Non loquimur de actus externi poſſibilitate phyſica; ecquis enim dubitet atheum & Deiſtam verba jurantis recitare poſſe? Sermo nobis eſt de juramenti veri poſſibilitate, ubi ad actum externum accedere quoque poteſt internus. Juramentum athei ac Deiſtæ actus temerarius eſt, qui nulli æquiparandus. Neque enim atheus, vel Deiſta ideo permovebitur ad dicendum verum, quia jurat ſe verum dicere velle, niſi abſque juramento verum dicere velit. Ab Atheo igitur & Deiſta fruſtra exigitur juramentum, cum, ubi juraverint, perinde ſit, ac ſi non juraſſent. Patet itaque atheiſmo & Deiſmo omnem tolli juramentorum uſum.

§. 874.

An jurantis verba proferre ſit jurare.

Si quis non putans ſe aſſeverare aut jurare verba aſſeverantis aut jurantis profert, nil aſſeverat, aut non jurat. Etenim ſi quis non putans ſe aſſeverare, verba aſſeverantis profert, is non novit verbis hiſce quid aſſeverari, aut de aſſeverando ſaltem non cogitat, conſequenter nec animum aſſeverandi habet. Enimvero qui animum aſſeverandi non habet, ſi verbis, quæ profert, hunc ſignificatum tribuimus; erit is utique a mente loquentis alienus, conſequenter ideo, quod verba aſſeverantis ore protulit, dici nequit ipſum aſſeveraſſe, quod vera loquatur. Patet itaque eum nil aſſeverare, qui non putans ſe aſſeverare verba aſſeverantis profert.

De eo, qui non putans jurare verba jurantis profert, eodem modo intelligitur, quod non juret.

Nimirum prava conſuetudine invaleſcere poſſunt formulæ, quæ jurantis animum exprimunt, ſine animo tamen jurandi adhiberi ſolitæ. Abſit itaque, ut iisdem tribuas ſenſum, qui jurantis menti convenit, ab eorum mente, qui iisdem crebro utuntur, prorſus alienum, utpote ipſis ignotum. Accipiuntur iſtiuſmodi formulæ loquendi ſaltem pro formulis aſſeverandi, ut nullus iisdem ſignificatus ſpecialis conſtet; immo ſubinde adjiciuntur dictis abſque animo aſſeverandi tanquam notæ affirmationis, aut negationis certæ loquenti. Hinc & contingit, ut, ſi juramentum exprobres iſtiuſmodi formulas utentibus, iidem regerant, ſe non jurare, ſed verba, quæ proferunt, eſſe tantummodo modum quendam loquendi affirmantium, vel negantium, ſeu aliquid aſſerentium.

§. 875.

Qualia ſint.

Verba jurantis prolata ab eo, qui non putat ſe jurare, temeraria ſunt. Etenim qui verba jurantis profert, dum ſe jurare non putat, verba iſta profert abſque ullo fine, fundens quaſi ſine mente ſonos, quæ patebat abſque hiſce per verba alia. Aſt verba nullo fine prolata temeraria ſunt (§. 276.). Ergo verba jurantis prolata ab eo, qui non putat ſe jurare, temeraria ſunt.

§. 876.

An talia proferre liceat.

Verba jurantis proferre non licet, ſi a non putante jurare proferantur. Verba enim prolata ab eo, qui non putat ſe jurare, temeraria ſunt (§. 875.). Sed verba temeraria proferre non licet (§. 278.). Ergo nec verba jurantis proferre licet, ſi non putes te jurare, dum ea profers.

Quamvis adeo a juramento temerario abſolvamus eum, qui non putans ſe jurare verba jurantis profert; non tamen ideo licitum ſtatuimus, ut lingua jurans mente nihil jures. Damnamus enim hanc loquendi temeritatem tanto magis deteſtandam, quanto certius aliis datur ſcandalum, & qui pravam hanc conſuetudinem imitatur, ipſe ſuſpicionem levitatis animi in jurando incurrit. Caute nimirum loquendum eſt & circumſpecte, nec utendum eſt loquendi formulis, quas ipſimet non intelligimus, cum tamen ex iis de animi noſtri ſenſis ſtatuere debeat alter.

§. 877.

§. 877.

An jurare quis poſſit abſque animo jurandi.

Si quis jurare debet, vel jurare videri vult, verba jurantia profert, animo non jurandi, pro jurante habetur. Etenim ſi quis jurare debet, vel jurare videri vult, ad verum dicendum obligatur: id quod ipſa definitione juris jurandi facile perſpicitur (§. 852.). Enimvero quando quis ad verum dicendum obligatur, quod ſufficienter indicat, id adverſus ipſum pro vero habetur (§. 427.). Quamobrem ſi verba jurantia profert, quod jurat, adverſus ipſum pro vero habetur. Atque adeo patet, ſi, quis jurare debet, vel jurare videri vult, verba jurantia profert, animo non jurandi, pro jurante habetur.

Ex gr. Teſtis jurare debet, quod vera dicere velit judici. Quodſi is formulam juramenti recitet, pro jurante habetur, ſi vel maxime ipſi ſit animus non jurandi. Quæ enim a te proferuntur verba, quando ſerio agendum, non jocandum, ea pro juramento accipit alter & accipere debet, cui juras, neque tu aliter ea accipi vis. Non noſtri cauſa juratur, ſed alterius, cui juratur, & cujus intereſt ut de veritate dictorum ſit certus. Non igitur tam a te, quam ab altero pendet, num verba, quæ a te proferuntur, juramentum revera exprimere debeant, an pro verbis ad alteri imponendum compoſitis haberi debeant.

§. 878.

Animus deliberatus ad juramentum requiſitus.

Juramentum requirit animum deliberatum. Homo enim nil agere debet abſque animo deliberato (§. 390.). Ergo nec jurare debet abſque animo deliberato, conſequenter juramentum animum deliberatum requirit.

Abeſt hic animus in iis, qui non putantes ſe jurare verba jurantium proferunt (§. 874.). Immo inde eſt, quod temeraria ſint iſta juramenta apparentia (§. 875.), cum facile intelligatur, temeritatem omnem in agendo ex defectu animi deliberati oriri (§. 387. 276.).

§. 879.

Item ad juramenti exactionem.

Qui ſibi jurari patitur, animo deliberato juramentum ab altero exigere debet. Oſtenditur eodem prorſus modo, quo propoſitionem præcedentem demonſtravimus.

Juramentum alteri deferre, vel id ab eo exigere non minus religioſum eſt, quam idem præſtare: quemadmodum ſuo loco in Philoſophia morali oſtendetur. Quamobrem non minor ſollicitudo animi eſſe debet in juramento deferendo, ſeu exigendo, quam in eodem præſtando: quæ abſque animo deliberato concipi nequit (§. 387.).

§. 880.

Obligatio ex juramento nata.

Jurans jurejurando ſe obligat ad dicendum verum. Vult enim Deum eſſe vindicem mendacii atque perfidiæ (§. 852.), adeoque pœnam divinam in ſe depoſcit, ſiquidem moraliter falſum loquatur Deum teſtem invocans (§. *cit.* & §. 282.), & ſi contrarium facit ejus, quod ſe acturum dicit (§. 766.). Quodſi ergo pro certo habet Deum exiſtere, noſſe cogitationes ſuas & actus externos omnes ac mendacium & perfidiam, itemque obſcurationem gloriæ ſuæ, quæ committitur, ſi jurans moraliter falſum loquatur, punire (§. 871.), metus pœnæ divinæ, quam in ſe depoſcit, ſiquidem moraliter falſum loquatur, oritur (§. 285. *part.* 1. *Phil. pract. univ.* & §. 820. *Pſych. empir.*), conſequenter motivum falſum non loquendi, adeoque verum dicendi per juramentum connectitur (§. 890. *Pſych. empir.*), cum eo quod juramus. Quoniam itaque ſe obligat ad agendum, qui cum eo motivum quoddam connectit, quod agendum (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Jurans jurejurando ſe obligat ad dicendum verum.

Oſten-

Oſtenditur etiam hoc modo. Jurans pœnam divinam in ſe depoſcit, quam metuendam pro certo habet, ſiquidem moraliter falſum loquatur *per demonſtrata*. Enimvero pœnis homines obligantur ad actiones tam committendas, quam omittendas (§. 228. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ergo jurans juramento ſe obligat ad dicendum verum.

Demonſtratio prior idem infert ex principiis remotis, quod ex proximo infertur in altera: id quod in moralibus ſubinde utiliter fieri alias me jam monuiſſe memini. Sane in moralibus haud raro opus eſt illa analyſi demonſtrationum in ſua principia, de qua diximus alibi (§. 992 *Log.*), ne evidentia obſuſcetur, ſine qua non expectandus eſt aſſenſus firmus.

§. 881.

Effectus juramenti. *Jurans fidem ſuam adſtringit ei, cui jurat, de veritate dictorum.* Etenim jurans jurejurando ſe obligat ad dicendum verum (§. 880.), conſequenter ad ſervandam fidem, quam dat, quod moraliter verum jam loqui velit, dum loquitur (§. 758.). Quamobrem cum fidem ſuam alteri adſtringat, qui ſe obligat ad fidem ſervandam (§. *cit.*); jurans fidem ſuam adſtringit ei, cui jurat, de veritate dictorum.

Nimirum qui vult alterum ſibi jurare, is dubitat de veritate dictorum, ſeu quod is moraliter verum loquatur: alias enim juramento non erat opus. Quamobrem vult ut alter ſeſe obliget ad dicendum verum, adeoque veri dicendi neceſſitatem moralem ſibi imponat (§. 118. *p. 1. Phil. pract. univ.*): quod quomodo fiat, ex demonſtratione propoſitionis præcedentis liquet (§. 880.). Vult adeo ut fidem datam de dictorum veritate ſibi adſtringat (§. 758.). Atque hinc apparet, fieri non poſſe, ut quis verba jurantis proferat abſque animo jurandi, ubi alter credere non vult niſi jurato, ſive jurans ſe ſponte ſua offerat ad jurandum, ſive alter cujus intereſt ut de dictorum veritate certus ſit, hoc ab eodem requiſiverit. Immo hinc etiam elucet, cur jurans non modo Deum invocare debeat tanquam teſtem veritatis dictorum, verum etiam tanquam vindicem mendacii & perfidiæ in vero non dicendo admiſſæ (§. 852.). Etenim tanquam teſtem Deum invocare debet jurans, ut probet dictorum veritatem, invocare debet tanquam vindicem mendacii & perfidiæ, ut probationi fides haberi poſſit, nec probatio ante in dubium revocari, quam contrarium fuerit probatum, ſcilicet falſo juratum eſſe.

§. 882.

Quænam expendenda ſint juranti. *Jurans probe perpendere debet, quænam dicat, num ea ſit animi ſui ſententia, quam verba ſignificant, & num ad hanc alteri patefaciendam ſub pœna divina mendacii ac perfidiæ in vero non dicendo admiſſæ ſe obligare velit.* Etenim jurans habere debet animum deliberatum (§. 878.). Quamobrem cum animo deliberato non fiat, niſi quod ante probe expenſum, num potius fieri, quam non fieri debeat, & quomodo fieri debeat, antequam fiat (§. 387.); jurans autem Deum tanquam teſtem invocat de veritate dictorum & vindicem mendacii & perfidiæ in vero non dicendo committendæ (§. 852.), & jurejurando ſe obliget ad verum dicendum (§. 880.); jurans, antequam juret, probe perpendere debet, quænam dicat, & num ea ſit animi ſui ſententia, quæ verbis ſignificatur, ac ad eam patefaciendam alteri ſeſe obligare velit ſub pœna divina mendacii ac perfidiæ in vero non dicendo admiſſæ.

§. 883.

Quænam expendenda ei, qui alterum ſibi jurare patitur. *Qui ab altero ſibi jurari vult probe perpendere debet, num jurans ea expenderit, quæ ipſi perpendenda ſunt, & num veritates de Deo ipſi ſint perſpectæ, quas pro certo habere debet qui jurat.* Etenim qui ab altero ſibi jurari patitur, nonniſi animo deliberato juramentum ab eo exigere debet (§. 879.). Quamobrem cum animo deliberato non fiat, niſi ante probe expendatur, num quid fieri, an non fieri debeat, & quomodo fieri debeat (§. 387.); juranti vero ante probe per-

pendenda ſint nonnulla, antequam juret (§. 882.), & ut jurare poſſit, certas de Deo veritates non modo perſpectas habere, verum etiam de iis certus eſſe debeat (§. 871.), conſequenter is, cui juratur, certus eſſe nequeat de obligatione jurantis, ad dicendum verum (§. 880.), qua fidem ſuam eidem adſtringit (§. 881.), niſi de utroque ſibi conſtet; evidens omnino eſt, quod is, qui ab altero ſibi jurari vult, probe perpendere debeat, num jurans ea expenderit, quæ ipſi perpendenda ſunt, & num veritates de Deo ipſi ſint perſpectæ, quas pro certo habere debet, qui jurat.

Qui ſibi jurari patitur, is aliud intendere nequit, quam quod juramento obtineri poteſt, nimirum ut jurans ſeſe obliget ad dicendum verum & de dictorum veritate fidem ſuam adſtringat, quia dicenti, vel etiam dictorum veritatem aſſeveranti credere non vult. Obligatio alterius efficax eſſe nequit, niſi credat Deum & velle, & poſſe punire mendacium, ac perfidiam in non dicendo vero admiſſam. Quamobrem neceſſe eſt, ut notis veritates eas eſſe juranti perſpectas, quæ pro certo habere debet, nec eum de iis dubitare (§. 871.). Enimvero quoniam jurans ſeſe non obligatum eſſe putat jurejurando, niſi ad ſignificandum animi ſui ſententiam, & ubi ſibi conſcius eſt, ſeſe tibi ad hoc obligare voluiſſe, ſi certus eſſe volueris de efficacia juramenti, tibi quoque conſtare debet, quidnam verbis ſuis ſignificaverit, & quod fuerit voluntas ſeſe tibi ad hæc ſignificanda ſub pœna divina mendacii ac perfidiæ obligandi. Patet itaque tibi quoque perpendendum eſſe, num jurans probe perpenderit, quæ ipſi perpendenda ſunt, antequam juret. Alia igitur eſt ratio, quod is, cui juratur, certus eſſe debeat de animo deliberato jurantis, quam quod promiſſario non ſtatuendum ſit de deliberato animo promiſſoris (§. 424.), neque a promiſſario ad eum, cui juratur, ob diverſitatem rationis, valet conſequentia.

§. 884.

Juramentum quale pactum contineat.

Juramentum continet pactum de vero dicendo. Etenim jurans ſeſe obligat ad verum alteri dicendum (§. 880.), conſequenter in eum transfert jus a ſe exigendi ut verum dicat (§. 23. *part.* 1. *Jur. nat.*), & qui ſibi jurari patitur, is vult alterum ſeſe ad dicendum verum obligare, cum nude dicenti aut dictorum veritatem aſſeveranti credere nolit, vel jurans velit, ut tanto magis ſibi habeatur fides. Conveniunt itaque inter ſe in eandem promiſſionem de vero dicendo factam (§. 361. & 8.). Enimvero conventio duorum in eandem promiſſionem pactum eſt (§. 788.). Patet igitur juramentum pactum continere de vero dicendo.

§. 885.

Quomodo jurejurando alteri obligetur jurans.

Quamobrem cum pacto producatur obligatio (§. 789.), juramentum vero contineat pactum de vero dicendo (§. 884.); *jurans alteri, cui jurat, ſeſe obligat ad dicendum verum.*

Hæc obligatio probe diſtinguenda eſt ab ea, de qua diximus ante (§. 880.). Etenim illa reſpicit ipſam perſonam jurantis, hæc vero perſonam ejus, cui juratur. Nimirum jurans ſe ipſum obligat depoſcendo in ſe pœnam divinam mendacii ac perfidiæ; idem vero ſeſe tibi obligat ex pacto, quæ ſervanda ſunt vi legis naturalis (§. 789.). Utraque obligatio tendit ad idem, nimirum ut verum dicat: non tamen violatæ idem eſt effectus. Obligatio enim, quæ jurantis perſonam reſpicit, reatum pœnæ; altera vero, quæ perſonam ejus reſpicit, cui juratur, injuriam parit. Quamobrem patet, non inani ſubtilitate haſce obligationes in juramento diſtingui.

§. 886.

An per falſos Deos jurare liceat.

Jurans per falſos Deos ſe obligat, ſi eos pro vero Deo habet, iiſque tribuit ea, quæ de vero Deo pro certo habere debet jurans. Etenim ſi falſos Deos pro vero habet, iiſque tribuit ea, quæ de vero Deo pro certo habet; omnino agnoſcit

exiſte,

exiſtere Deum, eum noſſe cogitationes & actus externos hominum; ac punire mendacium, perfidiam & obſcurationem gloriæ ſuæ (§. 871.), adeoque eos tanquam teſtes de veritate dictorum ac tanquam vindices perfidiæ ac mendacii invocare, conſequenter jurare poteſt (§. 852.). Quamobrem cum ex hac juramenti notione ſequatur, quod jurans ſeipſum obliget ad dicendum verum (§. 880.), & ad idem ſeſe alteri quoque obliget (§. 885.); jurans per falſos Deos ſe obligat, ſi eos pro vero Deo habet, iiſque tribuit ea, quæ de vero Deo pro certo habere debet.

Grotius de J. B. & P. lib. 2. c. 13. §. 2. hanc rationem reddit, quod, Deus verus, ſi pejeratum ſit, in ſuam injuriam id factum interpretetur, dubio procul ea de cauſa, quam allegat *Gronovius* in notis, quod per falſos Deos jurantium mendacium & perfidiam Deus puniverit, verum *Cambyſen* & *Xerſem* apud *Juſtinum* lib. 1. c. 9. & lib. 2. c. 12. Enimvero Deus punit mendacium & perfidiam etiam eorum, qui non jurarunt, ut adeo inde inferri non poſſe videatur, Deum verum juramentum per falſos Deos præſtitum tanquam per ſe præſtitum agnoſcere, præſertim cum dentur rationes contemtus falſorum Deorum & ſpei condonationis pœnæ, quæ in vero Deo locum non habent. Malim ego dicere, quod per falſos Deos jurans per verum Deum juraſſe intelligatur, quatenus ii repræſentantur ſub idea veri Dei, ipſis attribuendo nonniſi ea, quæ vero Deo competunt, eum ceterorum de ipſis errorum non habeatur ratio, & intentio jurantis non ſit jurare per Deos falſos, ſed per Deum verum, immo ab ipſo per Deum verum factum accipiatur.

§. 88?.

An per falſos Deos jurare poſſit, qui pro vero Deo eos non habet.

Qui falſos Deos pro Deo vero non habet, nec per eos jurare poteſt. Etenim qui falſos Deos pro vero Deo non habet, nec iis tribuit, quæ jurans pro certo habere debet, ſcilicet quod exiſtant, quod norint hominum cogitationes & actus externos, quod puniant mendacium & perfidiam (§. 871.), quin potius hæc omnia negat & pro falſo habet. Quamobrem nec falſos Deos cum aliquo effectu invocare poteſt tanquam teſtes veritatis dictorum & vindices mendacii ac perfidiæ, adeoque per eos jurare non poteſt (§. 852.).

Actus omnino foret fruſtraneus, cum per eum nec ſe ad dicendum verum, nec eodem ſe alteri ad idem obligaret jurans fundamento ceſſante obligationis, prouti ex demonſtrationibus anterioribus intelligitur. Ridiculum adeo foret exigere juramentum per eos, quos verum Deum non agnoſcit jurans, cum eadem pro arbitrio ſuo eludere poſſet. Quodſi vero confidas eum id non facturum, ſtandum erit aſſeveratione, præſertim pœnali, quæ majoris efficaciæ erit iſtiuſmodi juramento (§. 857.). Perinde nimirum eſt in præſenti ac ſi ab atheo juramentum exigere velles.

§. 888.

Quando per falſos Deos jurari non poſſit.

Qui falſos Deos pro vero Deo habet, ſed negat Deos curare res humanas, & vindicem eſſe mendacii ac perfidiæ; per eos jurare nequit. Etenim ſi quis falſos Deos pro vero Deo habet, ſed negat Deum curare res humanas & vindicem eſſe mendacii ac perfidiæ, is Deiſtæ æquiparandus (§. 529. *part.* 2. *Theol. nat.*). Quamobrem cum Deiſta jurare nequeat (§. 873.); nec per falſos Deos jurare poteſt, qui eos pro vero quidem Deo habet, ſed eos curare res humanas & vindices eſſe mendacii ac perfidiæ negat.

§. 889.

Formulæ jurandi quales eſſe debeant.

Verbis quibuſcunque jurari poteſt, modo iiſdem tribuatur ſignificatus, qui vi definitionis juramento convenit. Etenim vocabula ſunt ſigna noſtrarum perceptionum ſeu cogitationum (§. 271. *Pſych. empir.*), quibus ſignificatus pro arbitrio tribui poteſt (§. 272. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo verbis quibuſcunque eum tribuis ſignificatum, qui juramento convenit vi definitionis; iiſdem ſignificatur, quod iiſdem uſus Deum invocet tanquam teſtem veritatis dictorum & tanquam vindicem

Digitized by Google

dicem mendacii ac perfidiæ (§. 852.). Patet itaque verbis quibuſcunque jurari poſſe, modo iiſdem tribuatur ſignificatus, qui vi definitionis juramento convenit.

Sane ſi quis dicit: jura, te verum dicturum, vel verum eſſe, quod dicis, & tu reſpondes: juro; quin hoc verbo ſignificaveris, quæ in definitione juramenti continentur, adeoque perinde ſit, ac ſi dicas: Deum invoco tanquam teſtem veritatis dictorum, vel dicendorum, & tanquam mendacii ac perfidiæ, ſiquidem vera non ſint, quæ dixi, vel dictis ſpem, & jurejurando fidem datam fallam, ſiquidem tibi conſtiterit, vocabulo juro hæc ſignificari, nemo dubitare poteſt, niſi qui negare auſit, te figuram hanc triangulum vocando non idem dicere, ac ſi diceres, eam habere tria latera. Vocabula enim etiam eo fine inventa ſunt, ut uno indicari poſſit, quod multis erat efferendum. Ut vocabulum juro eum habeat ſignificatum, qui definitione juramenti continetur, ab arbitrio hominum eſt, qui hunc ſignificatum vocabulo alii cuicunque tribuere potuiſſent, ſi ipſis ita viſum fuiſſet: quidni igitur formulis loquendi quibuſcunque eundem ſignificatum tribuere poterunt, ut iiſdem idem ſignificetur, quod vocabulo juro? Solenne erat veteribus non modo paganis, verum etiam Judæis jurare per res quaſcunque, plerumque per eas, quas ſibi chariſſimas habebant, vel etiam per perſonas quaſcunque. Ita conſtat eos juraſſe per ſolem, terram, cœlum, principem, ſalutem liberorum, caput, animam ſuam; *Gellia* apud *Martialem* lib. 8. epigr. 81. jurat per uniones, quas ſibi chariſſimas rebus aliis omnibus anteponebat. *Joſephus* Geneſ. XLII. 15. jurat per Pharaonem, *David* 1. Sam. XX. 3. per animam Jonathanis amici intimi. Immo *Socrates* per canem, per anſerem & plantanum; *Zeno* per capparim jurabat. *Grotius* de J. B. & P. lib. 2. c. 13 §. 11. juramentis hiſce hunc tribuit ſenſum, quod jurantes res iſtas, per quas jurabant, vel ſibi noxias imprecati fuerint, vel in iis puniri voluerint. Nobis perinde eſt, quænam mens fuerit per res quaſcunque jurantibus, qui non de factis hominum, quorum memoria exiat, judicium interponere noſtrum intendimus, ſed de actuum moralitate, quam definit lex naturæ, in genere agere inſtituimus. Noſtrum igitur eſt demonſtrare, quo ſenſu formulæ iſtiuſmodi pro juramento licito haberi poſſint, quo autem juramenti nomen non tueantur, & quo pro illicito juramento habendæ ſint.

§. 890.

Quando juramentum per res quaſcunque æquipollet juramento per Deum.

Si quis jurat per res quaſcunque, de quarum exiſtentia nemo dubitare poteſt, vel quas ſibi chariſſimas eſſe conſtat, veritatem dictorum exiſtentiæ illarum vel pretio, in quo eas habet, comparando quoad certitudinem, vocabulo vero juro eum tribuit ſignificatum, qui vi definitionis juramenti eidem competit, juramentum per res quaſcunque æquipollet juramento per Deum. Etenim ſi jurans per res quaſcunque, de quarum exiſtentia nemo dubitare poteſt, vel quas ſibi chariſſimas eſſe conſtat, veritatem dictorum exiſtentiæ illarum vel pretio, in quo eas habet, comparat quoad certitudinem; is omnino ſignificat, adeo certum eſſe, quod moraliter verum loqui velit, quam certum eſt res illas exiſtere, vel ſibi chariſſimas eſſe, conſequenter hactenus verba ejus pro verbis aſſeverantis accipi poſſunt (§. 851.). Quodſi vero dicit: per res iſtas juro, & vocabulo juro eum tribuit ſignificatum, qui vi definitionis juramenti eidem competit; is omnino verbis hiſce, juro per hanc rem, ſignificat, ſe invocare Deum tanquam teſtem, quod moraliter verum dicat, eum adeo aſſeveranter dixit ſe moraliter verum loqui velle, & tanquam vindicem mendacii ac perfidiæ, ſi quidem moraliter verum non loquatur, quod ſe facere velle adeo aſſeveranter dixit (§. 852.). Quoniam itaque verbis quibuſcunque jurari poteſt, modo iiſdem tribuatur ſignificatus, qui vi definitionis eidem convenit (§. 889.); quin in hypotheſi propoſitionis præſentis juramentum per res quaſcunque æquipolleat juramento per Deum dubitari nequit.

Ex. gr. Si quis jurat per ſolem, quem Deum eſſe non putat, (ſi enim putaret, per falſum omnino Deum jurare dicendus eſt) & vocabulis, juro per ſolem, hoc ſignificare vult, ſe verum dicere adeo certum eſſe, quam quod ſol in cœlo exiſtat, ſeque Deum invocare tanquam teſtem, quod dicit adeo verum eſſe, quam certum ſit exiſtere ſolem & niſi ſit, tanquam vindicem tanti mendacii ac tantæ perfidiæ; nemo dubitare poteſt, verba jurantis verum eſſe juramentum & per ſolem factum æquipollere juramento per Deum facto. Nonne enim ita concipere licet formulam jurandi: Ego juro, me verum dicere velle, vel dixiſſe, adeo certum eſſe, quam certum eſt exiſtere ſolem, & niſi ſit, Deum mendacium meum ac perfidiam meam

Digitized by Google

vindicare debere. Quodſi juramentum *Gellia* per uniones ſibi cariſſimas eodem modo interpreteris, quod ipſam verum dicere tam certum eſſe affirmare voluerit, quam quod uniones ſibi ſint cariſſimæ, ac hoc ita ſeſe habere, Deum tanquam teſtem, &, niſi ita ſeſe habeat, tanquam vindicem mendacii ac perfidiæ invocaverit; juramentum per uniones factum omnino æquipollebit juramento per Deum facto: unionum enim pretium, quod iiſdem ſtatuitur, demonſtrat ſaltem certitudinem veritatis dictorum, quæ ei, cui juratur, eſſe debet, nihil vero immutat in ipſa juramenti forma, quod totum per vocabulum juro ſubſiſtit, quippe cui ſuus competit ſignificatus independenter a vocabulo unionum, nec quicquam immutatur hoc in eo, quem diximus, ſenſu adjecto. Nemo non videt, quæ de ſole & unionibus diximus, ea de re quacunque alia, cujus exiſtentia, vel pretium, quod eidem ſtatuimus, extra dubitationem ponitur, eodem modo intelligi.

§. 891.

Quando per res alias, quam Deum non juretur. *Si quis dicat, ſe tam certo verum dicere velle, quam certum ſit rem quamcunque exiſtere, vel ſibi cariſſimam eſſe; is tantummodo aſſeverat, ſe verum dicere velle, non vero jurat.* Etenim ſi dicis, tam certum eſſe, quod tibi ſit animus verum dicendi, quam certum ſit rem quandam exiſtere, vel tibi cariſſimam eſſe; ex verbis tuis aliud colligi nequit, quam quod velis alterum certum eſſe de veritate dictorum tuorum, cumque hiſce verbis utaris, ne alter dubitet de eorum veritate, ſeu ut per ea omnem dubitationem removeas, nonniſi aſſeverandi tibi animus ſit (§. 851.). Minime igitur inde colligi poteſt, te Deum invocare tanquam teſtem veritatis dictorum & tanquam vindicem mendacii ac perfidiæ, conſequenter te jurare (§. 852.). Quoniam igitur contra te, quando ad verum dicendum obligaris, pro vero haberi nequit, niſi quod ſufficienter indicas (§. 427.); ſi dicis te tam certo verum dicere velle, quam certum ſit, rem quamcunque exiſtere, vel tibi cariſſimam eſſe, tantummodo aſſeveras te verum dicere velle, non vero juras.

Ex. gr. Quando dicis: verum eſſe, quod dico, adeo certum eſt, quam quod ſol exiſtat, patrio idiomate, es ſey ſo wahr, als die Sonne am Himmel ſtehet, vel ſo wahr die Sonne am Himmel ſtehet, rede ich wahr, non juras, ſed tantummodo aſſeveras te moraliter verum loqui. Immo nec dici poteſt, te jurare, ſi dicas: Verum eſſe, quod dico, adeo certum eſt, quam quod Deus exiſtit, vel vivit, patrio idiomate: So wahr als GOtt iſt, als GOtt lebet, rede ich wahr. Juramentum non ſubſiſtit ſine animo jurandi, ſi quis vel verba jurantis profert (§. 874.), multo minus itaque jurare intelligitur, cujus verba nihil ſignificant, quod in definitione juramenti continetur, aut ad idem requiritur, niſi animus jurandi accedat, qui abſque ulla ratione præſumi non poteſt, niſi omnem aſſeverationem pro juramento haberi concedatur, ſi alteri viſum fuerit: quod quam ſit abſonum, nemo non intelligit.

§. 892.

Juramenti delatio quid ſit. *Juramentum* alteri *deferre* dicitur, qui ſufficienter ſignificat velle ſeſe, ut juret. *Juramenti* adeo *delatio* eſt actus, quo ſufficienter ſignificatur nos velle, ut alter juret.

§. 893.

Quandonam quis per res alias jurare intelligatur, quam per Deum, qui ſe jurare non dicit. *Quodſi juramentum tibi defertur, & tu dicis, tam certo verum te dicere velle, quam certum ſit rem quamcunque exiſtere, vel tibi cariſſimam eſſe; utique juras.* Etenim ſi juramentum tibi defertur, deferens vult ut jures (§. 892.). Quamobrem ſi reſpondens non neges te jurare velle, quod tam certum ſit te verum dicere, quam quod res iſta exiſtat, vel tibi cariſſima ſit, ut hac ratione declaretur, juramento non eſſe opus; ſed nude aſſeris, te verum dicere velle tam certum eſſe, quam certum ſit rem quamcunque exiſtere, vel tibi cariſſimam eſſe, te jurare velle tacite conſentis (§. 660. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem

brem cum verbis quibuſcunque jurari poſſit, modo iiſdem tribuatur ſignificatus, qui vi definitionis juramento convenit (§. 889.); quin jures, ſi juramento tibi delato dicis, tam certo verum eſſe, quod verum dicere velis, quam certum ſit rem quamcunque exiſtere, vel tibi cariſſimam eſſe, dubitandum non eſt.

Ex.gr. Si quis deſideret ut jures, verum eſſe, quod dicis, is utique vult ut probes veritatem dictorum per Deum teſtem ac vindicem mendacii & perfidiæ, niſi verum dicas (§ 852.), conſequenter ut te ipſi obliges ad dicendum verum (§. 885.) & te ipſum ad idem ſub pœna divina mendacii, & perfidiæ (§. 880. 852.). Quamobrem ſi reſpondes, quam certum eſt Deum exiſtere, aut vivere, tam certum quoque eſſe quod verum ſit hoc, quod dicis; is non aliter accipit verba tua, quam tanquam formulam juramenti, & te animum jurandi habere, ex iis colligit, ſiquidem in iis acquieſcit, nec aliis verbis ſibi jurari vult, cum non aliter præſumere poſſit, quam te animum jurandi habere. Verbis adeo tuis tribuit ſignificatum juramenti, & te quoque eundem iis tribuere contra te pro vero habetur, utpote proferentem verba, quæ pro formula juramenti haberi poſſunt, ſi in hoc conveneritis (§ 889.): id quod a vobis factum intelligitur, quia jurare juſſus hæc verba profers. Eodem modo te jurare in hoc caſu patet, ſi dicis, quæ a te dicuntur tam certo vera eſſe, quam certum eſt ſolem exiſtere (§. 890.).

§. 894.

An provocatio ad Deum tanquam teſtem ſit juramentum.

Si quis, juramento ſibi non delato, dicat Deum eſſe teſtem ſuum, quod moraliter verum loquatur; is non jurat. Etenim quod moraliter verum loquatur, probat per Deum teſtem, ſed eum non invocat tanquam vindicem mendacii ac perfidiæ, niſi verum loquatur, cum juramento non delato *per hypoth.* nulla adſit ratio, cur verba tua ad hunc ſenſum extendi debeant (§. 892. *huj.* & §. 56. *Ontol.*). Enimvero qui Deum tantummodo teſtem eſſe ſuum ait, quod moraliter verum loquatur, non vero ſimul eundem invocat, tanquam vindicem mendacii ac perfidiæ, ſi verum non loquatur, is non jurat (§. 852.). Ergo ſi quis juramento ſibi non delato dicit, Deum eſſe teſtem ſuum, quod moraliter verum loquatur, is non jurat.

Nimirum ſi dicis: Deus teſtis meus eſt, quod Titium non oderim, non aliud ſignificare vis quam hoc, quod dicis, eſſe certiſſimum, non vero animum habes jurandi. Nec ulla eſt ratio, cur pro juramento hoc haberi poſſit ab eo, cui hoc dicis. Quod ſi quæſiveris: Quid ergo ſit, ſi juramentum non ſit? ego reſpondeo, eſſe aſſeverationem ſummam. Provocas enim ad conſcientiam tuam Deo omniſcio perſpectam, adeoque veritatem dictorum probas per conſcientiam teſtem, cujus teſtis quoque eſſe poteſt ipſe Deus, qui intima hominum ſcrutatur. Erit igitur utique aſſeveratio (§. 851.), eaque ſumma, cum teſtimonium conſcientiæ majus eſſe nequeat, quam quod ne a Deo quidem in dubium vocari poſſit.

§. 895.

Quando verba, Deus eſt teſtis meus, ſint juramentum.

Si quis juramento ſibi delato dicit, Deum eſſe teſtem ſuum, quod moraliter verum loquatur; is jurat. Quoniam enim juramentum tibi defertur, tu non negans te jurare velle, ſed reſpondens verbis, quæ juramento inſunt (§. 851.); idem acceptare intelligeris (§. 2.). Quamobrem cum animum jurandi te habere recte ſumatur, nec hiſce verbis jurari repugnet (§. 889.); ſi juramento tibi delato dicis, Deum eſſe teſtem tuum, quod moraliter verum loquaris, utique juras.

Nimirum ſi ad Deum tanquam teſtem provocas, hoc fieri poteſt vel animo jurandi, vel animo non jurandi, ſed aſſeverandi. In caſu priori verbis tribuendus eſt ſignificatus juramenti; in poſteriori autem ſignificatus aſſeverationis. Utrum animum jurandi habeas, nec ne, gratis ſumi nequit, ſed ex circumſtantiis colligitur. Si tibi defertur juramentum formula non præſcripta, ſed in arbitrio tuo relicta; quando non negans te jurare velle ais, Deum eſſe teſtem tuum, hanc jurandi formulam elegiſſe videris. Noſti ſane juramentum tibi deferentem pro juramento habere verba tua, quia te jurare volens in iis acquieſcit. Quod ſi ergo tu pro juramento eadem haberi nolles, hoc utique indicandum erat. Te itaque juraſſe pro vero habendum.

§. 896.

An licitum ſit pœnam temporalem præſcribi a jurante.

In formula juramenti non debet certa quædam pœna mendacii ac perfidiæ temporalis in ſpecie exprimi: a Chriſtianis tamen jurari poteſt ſub pœna damnationis æternæ. Etenim pœnæ temporales vi nexus rerum hominibus accidunt (§. 308. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi jurans in formula juramenti certam quandam pœnam temporalem mendacii ac perfidiæ exprimit, cum ignoret, quænam in rerum nexu contineatur, vult ut Deus eundem in gratiam ſui mutet. Quamobrem cum hic rerum nexus ſapientia ac bonitate divina ſit conſtitutus (§. 741. *part.* 1. *Theol. natur.*); idem vult ut Deus agat, quod ſapientiæ ac bonitati ipſius parum convenit, conſequenter quod ipſum minime decet (§. 322. *part.* 1. *Theol. nat.*), adeoque non velit, quod ipſe vult (§. 335. *part.* 1. *Theol. nat.*), ſed quod homo fieri vult. Enimvero cum voluntas Dei homini loco propriæ voluntatis eſſe debeat (§. 971. *part.* 1. *Theol. nat.*); hoc velle minime licet. Patet itaque in formula juramenti certam quandam pœnam temporalem mendacii ac perfidiæ in ſpecie exprimi non debere. *Quod erat unum.*

Chriſtiani credunt, Deum mendaces ac perfidos poſt hanc vitam pœnis æternis afficere. Quamobrem depoſcens jurejurando in ſe pœnam damnationis æternæ, niſi moraliter verum loquatur, non vult niſi ut Deus agat voluntati ſuæ convenienter, conſequenter ceſſat ratio, cur pœna quædam temporalis in ſpecie, adeoque pœna damnationis æternæ in ſe depoſci minime poſſit. Patet itaque Chriſtianum ſub pœna damnationis æternæ jurare poſſe. *Quod erat alterum.*

Si quis veritatem determinatam contingentium, quam ea habent (§. 113. *Coſmol.*), non agnoſcit, nec quomodo Deus per nexum rerum omnia gubernet in hoc univerſo (§. 901. *p.* 1. *Theol. nat.*), perſpicit, ſed quia rebus in hoc univerſo ita providet, ac ſi ad ea, quæ fiunt, attentus hodie demum decerneret, quid facere aut permittere velit (§. 938. *p.* 1. *Theol. nat.*), eum quoque falſo jurantis pœnam, quam in ſe depoſcit, decernere poſſe arbitratur; is pœnam hanc in nexu rerum contentam & eidem convenienter ab æterno jam definitam non agnoſcit, conſequenter voluntati divinæ non adverſari putat, quod pœnam certam temporalem in ſe depoſcat jurans. Quodſi ergo hoc faciat, juramenti equidem efficaciæ nihil detrahit, cum metus pœnæ ſubſiſtat; attamen peccat (§. 440. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Salva tamen veritate, ubi quis fuerit hebetior, quam ut eandem capiat, ſtante errore informari poteſt, quod non liceat pœnam certam temporalem exprimere in formula jurandi, quia ſcilicet voluntati divinæ relinquendum, quid ſapientiæ ſuæ convenire judicet pœnam mendacii ac perjurii temporalem exacturus. Sed de hiſce diſertius dicetur in Philoſophia morali, quando de Veracitate agetur.

§. 897.

Quo ſenſu per res alias, quam Deum jurare non liceat.

Si quis per res alias, quam per Deum jurans, eas ſibi noxias imprecatur, vel in iis puniri depoſcit; juramentum illicitum eſt. Etenim ſi quis per alias res, quam per Deum jurans eas ſibi noxias imprecatur, vel in iis puniri depoſcit; is in formula juramenti pœnam certam temporalem in ſpecie exprimit, quod per ſe patet. Sed in formula juramenti non debet certa quædam pœna temporalis mendacii ac perfidiæ in ſpecie exprimi (§. 896.). Illicitum adeo juramentum eſt, ſi quis per res alias, quam per Deum jurans eas ſibi noxias imprecatur, vel in iis puniri depoſcit.

Quæ paulo ante de juramento certam quandam pœnam temporalem in ſpecie continente annotata ſunt (*not* §. 896.), ea etiam intelligenda ſunt de juramentis per res alias, quam per Deum factis eo ſenſu, quem exprimit hypotheſis propoſitionis præſentis. Peccat, qui per eas ita jurat, ut eas ſibi noxias imprecetur, vel in iis puniri depoſcat; efficaciæ tamen juramenti nihil detrahitur: manet ſalva tam obligatio, qua ſeipſum ſibi (§. 880.), quam qua ſe alteri, cui jurat, adſtringit ad dicendum verum (§. 885.). Immo ſi falſo juret, metuenda quoque ipſi eſt pœna mendacii, perfidiæ ac obſcurationis gloriæ divinæ, quæ Deo viſa fuerit.

§. 898.

§. 898.

An imprecationes & execrationes juramento licite inſerantur.

Jurans ſibi mala imprecari & ſe ipſum execrari minime debet; ſed pœnam mendacii, perfidiæ & obſcurationis gloriæ divinæ a Deo decretam in ſe depoſcit. Etenim qui ſibi mala imprecatur, is declarat velle ſeſe, ut certa quædam mala ſibi eveniant (§. 863.), & ſi ſeipſum execratur, mala hæc majora ſunt (§. 865.). Formulæ igitur juramenti inſerit pœnas temporales certas in ſpecie & iiſdem æquiparat æternas poſt hanc vitam, ſi eas vel ſpecifice determinat pro ſuo arbitratu, vel eas tanquam voluntate ſua determinandas ſpectat (§. 285. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero illicitum eſt juramentum, ſi in formula jurandi exprimitur certa quædam pœna temporalis (§. 896.), conſequenter etiam æterna ſpecifice pro ſuo arbitratu determinata, aut in genere tanquam a ſuo arbitrio pendens ſpectata. Quamobrem jurans ſibi mala imprecari & ſeipſum execrari minime debet. *Quod erat unum.*

Verum enimvero qui jurat, agnoſcere debet ac pro certo habere, Deum punire mendacium, perfidiam & obſcurationem gloriæ ſuæ (§. 871.). Quamobrem ubi eum invocat tanquam vindicem mendacii, perfidiæ & obſcurationis gloriæ ſuæ (§. 852. 872.); tantummodo declarat, ſe pœnam mendacii, perfidiæ & obſcurationis gloriæ divinæ a Deo decretam mereri ac ſubire velle, ſiquidem falſum dicat. Jurans itaque pœnam mendacii, perfidiæ & obſcurationis gloriæ divinæ a Deo decretam in ſe depoſcit. *Quod erat alterum.*

Juramentum adeo ab imprecatione & execratiooe diſtingui liquet, & ſcriptura etiam in abnegatione Chriſti a Petro facta diſtioguit Matth. XXV. 24. Cum antea aſſeruerimus, Chriſtianom ſub pœna damnationis æternæ jurare poſſe (§. 896.), noo autem majus malum damnatione æterna homini obtingere poſſit; execrationem ſui omnium maximam in juramento admittere videmur (§. 865.). Quamobrem forſitao erunt, qui a majori ad minus argumentaturi contendent, licitas quoque eſſe debere excerationes ſui mioores, adeoque etiam licitum eſſe ſibi mala imprecari (§. 863. 865.), ſiquidem liceat ſe omnium maxime execrari. Enimvero hi noo attendunt ad ea aoimum, quæ tam in demooſtratione de illicito juramento pœnam certam temporalem in ſpecie continente & juramento licito Chriſtianorum ſub pœna damnationis æternæ (§. 896.), quam in demonſtratione præſenti quoad pœnas æternas contineotur. Nimirum aliud eſt habere animum ſe ſubmittendi pœnæ divinæ, ſiquidem verum ooo dicatur, aliud vero eſt ſibimetipſi decernere ſub hac conditione pœnam ejuſque executionem Deo demandare, quaſi Deus non haberet jus puniendi, niſi a jurante in ipſum fuerit collatum. Declarat itaque jurans, Deum mendacium, perfidiam ac obſcurationem nominis ſui puniturum juſte, ut nulla ſibi ſit conquerendi cauſa, ſiquidem pœnam incurrat. Hæc probe ootaoda ſunt, ut intimius perſpiciatur, juramentum oihil continere, quod officio cuidam erga Deum, vel erga ſeipſum repugnet, modo idem perverſe non interpretemur: id quod inprimis ad tranquillandam conſcientiam eorum facit, qui, cum a juramento non ſatis intellecto abhorreant, ad jurandum tamen compelluntur. Sed de talibus diſertius dicere non eſt hujus loci.

§. 899.

Quando promiſſio datis dexteris facta ſit juramentum, quando non ſit.

Si promiſſio de vero dicendo datis dexteris vice jurisjurandi facta pro juramento accipi debet, ita promittens jurat; ſi vero pro modo adſtringendi fidem ſuam alteri, non jurat, tantummodo hæc promiſſio aſſeveratio eſt. Etenim ſi promiſſio de vero dicendo datis dexteris vice jurisjurandi facta pro juramento accipi debet; eidem tribuitur ſignificatus juramenti. Enimvero verbis quibuſcunque, adeoque etiam ſignis aliis, quæ vocabulis æquipollent, jurari poteſt, modo iiſdem tribuatur ſignificatus, qui vi definitionis juramento convenit (§. 889.). Quare ſi promiſſio de vero dicendo datis dexteris vice jurisjurandi facta pro juramento accipi debet, quin ita promittens juraſſe intelligatur, dubitandum non eſt. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi promiſſio eadem tantummodo haberi debet pro modo adſtringendi fidem ſuam alteri, cum hoc nuda promiſſione obtineatur (§. 760.); pro juramento non accipitur, adeoque nec eidem tribuitur ſignificatus, qui vi definitio-

finitionis juramento convenit. Quamobrem nec ita promittens juraſſe intelligitur (§. 349. *Log.*). *Quod erat ſecundum.*

Denique ſi quis velit, ut vice jurisjurandi datis dexteris promiſſio fiat de vero dicendo, is de veritate dictorum abſque iſtiuſmodi promiſſione dubitat (§. 417. *part. 2. Theol. nat*). Enimvero ſi quis dubitat de veritate dictorum, ea probari nequit niſi per conſcientiam, aut Deum teſtem (§. 853). Quamobrem cum promiſſio de vero dicendo datis dexteris facta accipi non debeat pro juramento *per hypot.* adeoque probatio veritatis dictorum non deſideretur per Deum teſtem (§. 852.); reſtat ut iſtiuſmodi promiſſio habeatur pro probatione per conſcientiam teſtem facta. Aſt probatio per conſcientiam teſtem facta aſſeveratio eſt (§. 851.). Quamobrem ſi promiſſio de vero dicendo datis dexteris facta vice jurisjurandi tantummodo accipiatur pro modo adſtringendi fidem ſuam; ea pro aſſeveratione habenda. *Quod erat tertium.*

Fidem datis dexteris adſtringere non ſolum hodie apud nos receptum eſt; ſed & olim apud omnes quaſi gentes receptum fuiſſe conſtat. Inprimis apud Perſas firmiſſimum hoc fuit fidei vinculum. Unde *Diodorus* l. 16. c. 43. dextra, inquit, certiſſima fidei apud Perſas arrha eſt: id quod & *Joſephus* Antiq. Jud. lib. 18. c. 22. de Parthis refert. Quod vero etiam veteres promiſſionem data dextera factam pro juramento accipi voluerint, ex iis liquet, quæ de *Cyro* fœdus cum *Hyrcanis* faciente narrat *Xenophon*. Dicebant enim *Hyrcanis* ad *Cyrum*: obſides actutum hinc profecti, hac nocte vobis adducere volumus: Tu modo *Diis teſtibus fidem nobis dato, dextramque jungito*, ut, quæ abs te acceperimus, ad alios etiam afferamus. Promiſſionis adeo data dextera factæ tanta olim fuit apud multas gentes religio, quanta juramenti eſſe poteſt: id quod inde erat, quod adeo deteſtabilis habebatur, qui fidem data dextera adſtrictam fallit, quam qui pejeravit.

§. 900.

Juramentum aſſertorium quid ſit.

Juramentum aſſertorium eſt, quod præſtatur de veritate dictorum, quibus aliquid nude affirmatur, vel negatur. Aſt *promiſſorium* vocatur, quod præſtatur de veritate dictorum, quibus aliquid promittitur.

Ita ſi juro, me hoc non feciſſe, vel nihil mihi conſtare de facto quodam alterius, vel alterum ea feciſſe, quæ dico; juramentum aſſertorium eſt. Aſt ſi juro me tibi hoc præſtiturum, juramentum promiſſorium eſt. Nimirum qui jurato promittit, per Deum teſtem probat ſe moraliter verum loqui, dum promittit.

§. 901.

Juramenti promiſſorii ſenſus.

Qui jurato promittit, per Deum teſtem ac vindicem mali probat, ſibi eſſe animum hæc tibi præſtandi, quæ ſe præſtiturum dicit, vel non faciendi, quod ſe non facturum dicit. Etenim qui jurat, is per Deum teſtem probat ſe verum dicere & eum invocat tanquam vindicem mendacii ac perfidiæ, niſi verum dicat (§. 852. 853.). Enimvero qui alteri promittit, ſe quid ipſi præſtiturum eſſe (§. 361.) & in hoc propoſito ſe perſeveraturum declarat (§. 366.). Quamobrem qui jurato promittit, per Deum teſtem ac vindicem mali probat ſibi eſſe animum hæc ipſi præſtandi, quæ ſe præſtiturum dicit, vel, ſi promiſſio ſit rei negativæ, ſe habere animum non faciendi, quod ſe non facturum dicit.

Qui alteri quid promittit, eidem verbis declarat, quinam ſit animus ejus in præſenti de futuro quoad certas præſtationes. Quodſi ergo alter dubitet de veritate dictorum, ac ideo de ea certus fieri velit; ejus potiſſimum intereſt noſſe, quod habeat animum in hac voluntate perſiſtendi, quem in præſenti declarat, & certum eſſe, ne eundem in poſterum mutet. Quoniam igitur hoc probari nequit, niſi per Deum teſtem (§ 853.), nec probatio haberi poſſit pro certa, niſi neceſſitatem quandam animum non mutandi ſibi imponat promiſſor, id quod fit Deum invocando tanquam vindicem mendacii ac perfidiæ (§ 880 *huj.* & §. 118. *part. 5. Philoſoph pract. univerſ.*); juramentum promiſſorium potiſſimum reſpicit animum præſtandi id, quod ſe præſtiturum dicit promiſſor.

§. 892.

Digitized by Google

§. 902.

Quidnam juramento promiſſorio confirmetur.

Jurato promittens juramento ſuo confirmat, ſe animum præſtandi, quem habet, mutaturum non eſſe, ſeu in præſenti voluntate ſervandi promiſſum perſeverare velle. Etenim probat, ſibi eſſe animum hæc tibi præſtandi, quæ promittit (§. 901.). Quoniam vero dicere nequit, ſibi hunc animum eſſe, niſi velit in præſenti voluntate perſeverare; juramento omnino probat, ſe in hac voluntate tibi præſtandi, quæ dicit, perſeverare velle. Enimvero hæc perſeverantia in propoſito præſtandi id, quod promittitur, jam ineſt ipſi promiſſioni (§. 366.). Quamobrem jurato promittens juramento ſuo probat verum eſſe, quod in propoſito præſtandi id, quod promittitur, perſeverare velit, conſequenter eodem id confirmat.

Nullum juramentum alium habere poteſt finem vi definitionis (§. 852.), quam ut is, cui juratur, rertus reddarur de veritate dictorum, de quibus dubitatur (§. 853.). Quamobrem quæ vi verborum, quibus promittitur, adverſus promiſſorem pro vero haberi poſſunt (§. 428.); ea omnia juramento confirmantur, non plura, nec pauciora. Quamobrem cum promiſſor habere debeat animum in propoſito præſtandi id, quod promittit, parſeverandi (§. 366.), ſine quo nulla concipi poteit promiſſio; juramento promiſſoris promiſſarius reddi debet rertus, eum in propoſito præſtandi id, quod promittit, perſeverare velle. Invocat Deum teſtem, cui omnia certa ſunt & qui falli nequit; cumque Deus teſtimonium non actu perhibeat, ad quod provocat jurans, eum invocat vindirem mendarii ac perfidiæ, ne de veritate verborum, quibus juratur, dubitetur. Farilius autem juranti creditur, quod vera dicat, quia pœna mendacii ac perfidiæ exaſperatur per pœnam obſrurationis gloriæ divinæ ſuper arredentem, ſiquidem falſum dicat jurans (§. 872.). Hæc ex notione juramenti conſequuntur: quæ autem ex eadem deduci nequeunt, ea gratis ſumuntur.

§. 903.

An juramentum producat obligationem præſtandi.

Juramentum non novam producit obligationem aliquid præſtandi ei, cui juratur. Etenim juramento tantummodo te obligas ad dicendum verum (§. 885.). Et ſi jurato promittis, verum tantummodo eſſe probas juramento tuo, quod habeas animum alteri præſtandi, quod te præſtiturum dicis (§. 901.), ac in hoc præſtandi propoſito perſeverare velis (§. 902.). Quamobrem niſi dicta, quorum veritas juramento probatur, præſtationem quandam contineant, ad quam aliunde ſis obligatus; ex juramento nulla naſci poteſt obligatio alteri, cui juratur, quid præſtandi, conſequenter juramentum nullam iſtiuſmodi obligationem producit.

Quodſi dicas, poſſe me jurare, quod Titio daturus ſim decem aureos, rumque negari non poſſie, me eos ipſi dare debere, juramentum produeere obligationem dandi Titio decem aureos. Enimvero quis non videt, verbia jurantis ineſſe promiſſionem (§. 361.), & ex promiſſione naſci dandi obligationem (§. 363.), ad quam adeo juramentum nil confert, quod tantummodo producit obligationem moraliter verum loquendi, quando Titio te decem aureos daturum diria (§. 885.), quamvis hoc etiam abſque juramento rontra te habeatur pro vero (§. 428.): ſit ita quod ſubinde ex juramento, quæ ad promiſſionem acredit, intelligatur verbis Titii perfectam contineri promiſſionem.

§. 904.

An juramentum ex actu non obligatorio efficiat obligatorium.

Quoniam juramentum promiſſorium non novam produeit obligationem ei, cui juratur, aliquid præſtandi (§. 903.); *ſi actui non obligatorio ſuperaccedit, eum in obligatorium convertere nequit.*

Vulgus equidem ſibi perſuadet, eam eſſe juramenti vim, ut actum non obligatorium in obligatorium convertat, & ex falſa hac perſuaſione naſcitur abuſus juramentorum: qui quó magis deteſtandus, eo firmius tenendum, vim iſtam juramento falſo tribui.

§. 905.

§. 905.

An promiſſio non valida per juramentum fiat valida.

Quoniam juramentum actum non obligatorium in obligatorium convertere nequit (903.); *qui ante juramentum validus non eſt, per juramentum validus fieri nequit* conſequenter nec *promiſſio, quæ per ſe valida non eſt, per juramentum valida fieri poteſt.*

Grotius lib. 2. c. 13. §. 14. ſtatuit, juramento Deo obligari jurantem ad præſtandum, quod dicit, etiamſi non obligatus ſit ei, cui juratur. Enimvero cum juramentum non aliud involvat, quam quod Deus teſtis eſſe debeat, jurantem vera dicere, & pœnam mendacii ac perfidiæ juſtus vindex exequi debeat, quam actibus hiſce vitioſis ſtatuit, niſi is vera loquatur eamque acerbiorem propter pœnam obſcurationis gloriæ ſuæ ſuperaccedentem (§ 872.); non video, quomodo hinc inferri poſſit, hominem ſeſe obligare Deo ad præſtandum id, quod dicit, & in ipſum transferre jus hoc a ſe exigendi (§. 23. *part.* 1. *Jur. natur.*). Non juratur Dei cauſa, ſed hominis, qui de veritate dictorum dubitat, nec niſi jurato credere vult.

§. 906.

Exempla promiſſionum juratarum, quæ ſunt nulla.

Quoniam promiſſio invalida per juramentum valida fieri nequit (§. 905.); promiſſio autem invalida eſt, quæ fit ſub conditione turpi (§. 494.), cui error dat cauſam (§. 569.), quæ vi vel metu extorta fuit (§. 576.), qua promittitur factum vires tuas tranſcendens (§. 636.; *etiamſi promiſſioni ſub conditione turpi factæ, vel cui error cauſam dedit, aut quæ metu extorta fuit, immo qua factum vires tuas tranſcendens promittitur, ea tamen invalida eſt.*

Quando itaque de promiſſionis validitate aut invaliditate judicium fieri debet, juramentum prorſus ſeponendum, nec ejus ulla in hoc ferendo habenda ratio eſt.

§. 907.

Promiſſori Juramenti effectus.

Ex juramento promiſſioni ſuperaccedente certo colligitur, eam eſſe perfectam. Etenim qui jurato promittit, per Deum teſtem ac vindicem mali probat, ſibi eſſe animum hæc tibi præſtandi, quæ dicit (§. 901.), & confirmat, ſe in propoſito ea tibi præſtandi perſeveraturum (902.), conſequenter ſufficienter indicat, ſe ad hæc præſtandum ſibi velle eſſe obligatum, adeoque in te transfert jus id a ſe exigendi, niſi ſteterit promiſſis (§. 239. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum ſe tibi obligaverit ad dicendum verum (§. 885.); tu dictorum veritatem pro certo recte habes. Quoniam itaque perfecta promiſſio eſt, quando alteri ſufficienter declaras, te ipſi quid præſtare velle, ac in ipſum jus transfers a te exigendi, ut præſtet, niſi tua ſponte præſtare velis (§. 361.); ex juramento promiſſioni ſuperaccedente certo colligitur, eam eſse perfectam.

Juramentum adeo promiſſorium arcet exceptiones, quæ fieri poterant ab eo, qui promiſſis ſtare non vult, quando dubium videri poterat, num perfecta fuerit promiſſio. Et forſan juramenta promiſſoria ex eo orta, quod promiſſionem adimplere nolentes varias exceptiones commentati ſunt, quibus ſe ad promiſſum præſtandum non teneri promiſſario perſuadere voluerunt.

§. 908.

Quod juramentum exceptiones ac conditiones tacitas arceat.

Juramentum arcet omnes tacitas exceptiones ac conditiones. Jurare enim debes, ea vera eſse quæ dicis (§. 852.), ne de dictorum veritate alter dubitare poſſit (§. 853.), cui etiam ad hoc te ipſi obligas jurejurando (§. 885.), & quidem teipſum ſub pœna mendacii, perfidiæ ac obſcurationis gloriæ divinæ (§. 852. 872. 880.). Quamobrem non alia mens tua eſse colligitur, quam quæ verbis tuis

tuis ſignificatur, & quod iiſdem ſignificatur pro vero contra te habendum ſine ulla exceptione ac conditione. Patet itaque juramentum arcere omnes tacitas exceptiones ac conditiones.

Nimirum ſi tibi non præciſe ea fuerit mens, quæ verbis ſignificatur, aliis adhuc verbis ſignificari debebat, quænam ſupponenda ſit conditio, vel quænam adjicienda exceptio: quod cum non facias, ubi dictorum veritatem alteri probare & de ea eundem certum facere debes, tuque ad hoc faciendum te ipſi obligas, nec alia admitti debent, quam quæ verbis iſtis ſignificari poſſunt; Quamobrem nec ultra id te alter ſibi obligatum habere poteſt, quam quod verbis tuis præciſe ſignificatur; nec tu adverſus eam obligationem, quam verba tua aperte loquuntur, quicquam excipere vales. Patet adeo uſus juramenti in promiſſionibus & aliis actibus obligationis, etſi ab eo minime pendeat obligatio.

§. 909.

In juramentis non admittuntur reſervationes mentales. Reſervationes enim mentales illicitæ ſunt omnes, quando falſiloquium illicitum (§. 238.), conſequenter quando moraliter falſum loqui non licet (§. 156.). Enimvero juranti moraliter falſum loqui non licet (§. 852.). Ergo nec in juramentis admittuntur reſervationes mentales.

An in juramento admittantur reſervationes mentales.

Oſtenditur etiam hoc modo. Juramento noſmetipſos obligamus ad verum alteri dicendum, cui juramus (885.), conſequenter ad animi noſtri ſenſa ſignificanda (§. 150.). Sed reſervationes mentales illicitæ ſunt, quando ad animi noſtri ſenſa alteri ſignificanda obligamur (§. 237.). Ergo etiam illicitæ ſunt, quando juramus, conſequenter in juramentis non admittendæ.

Quando ad animi noſtri ſenſa indicanda alteri obligimur, reſervationes meotales reſpectu ejus, ad quem ſermo dirigitur, mendacium ſunt (§. 236.). Quis ergo iiſdem in juramentis concedet locum, quibus ſub pœna divina mendacii fides de vero dicendo adſtringitur (§. 852. 881.)?

§. 910.

Jurans verba jurantia ſumere debet in eo ſignificatu, quem iis tribuit is, cui juratur. Etenim qui alteri jurat, ipſi veritatem dictorum probare debet per Deum teſtem ac vindicem mendacii (§. 852. 853.). Quamobrem cum is, cui juratur, verba jurantis non intelligat niſi in eo ſignificatu, quem iis tribuit; jurans quoque verba jurantia in eo ſignificatu ſumere debet, quem iis tribuit is, cui juratur, ſeu, quod perinde eſt, quomodo intelligi ea ab ipſo novit.

Quomodo verba jurantia ſumere debeat jurans.

Nimirum qui vult, ut jures te verum dicere, is certus eſſe vult, eam eſſe animi ſui ſententiam, quam ex verbis tuis tibi eſſe colligit. Non igitur vult, ut tu jures, aliam eſſe ſententiam tuam, quam ipſe animo concipit. Juramentum adeo foret mera illuſio, ſiquidem tibi jurare liceret, tibi aliam eſſe ſeotentiam animi, quam alter putat, dum jurare debes, quod ea ſit, quam putat alter.

§. 911.

Quoniam *jurans* verba jurantia ſumere debet in eo ſignificatu, quem iis tribuere novit alterum, cui jurat (§. 911.); *verba, quibus jurat, non detorquere debet contra manifeſtum eorundem ſignificatum in alienum, ut falſum loquendo ex mente ejus, cui juratur, verum ſe locutum probet ex mente ſua.*

Verba jurantia in alienum ſenſum detorquere num liceat juranti.

Repugnat hoc e diametro pacto de vero dicendo, quod juramentum continet (§. 884.). Cum enim pactum omne conventio quædam ſit (§. 788.), qui vero inter ſe conveniunt, in idem conſentire debeant (§. 699.); pactum de vero dicendo requirit ut verba jurantis in eodem a jurante & eo, cui juratur, ſumantur ſignificatu. Tum enim jurans conſentire intelligitur, quando vult jurare, quod ea ſit animi ſui ſententia, quam is, cui jurat, ipſi eſſe vult, aut putat.

Digitized by Google

§. 912.

Secundum cujus mentem verba jurantis accipienda, juramento delato.

Similiter quia jurans verba jurantia ſumere debet in eo ſignificatu, quem iiſdem tribuere novit alterum, cui jurat (§. 910.), cum is, qui juramentum defert, ſibi jurari velit (§. 892.); *verba jurantis accipienda ſecundum mentem deferentis*.

Atque adeo hinc etiam patet, æquivocationem nec verbalem, nec mentalem admitti in juramento, ut verba alium ſortiantur ſignificatum, qui ſit a mente deferentis diverſus.

§. 913.

Juramentum de re illicita factum non obligat.

Juramentum de re illicita factum non obligat ad præſtandum. Etenim ſi id, quod te acturum dicis, illicitum eſt, ad id non agendum obligaris (§. 170. p. 1. *Phil. pract. univ.*). Sed nemo ſe ab obligatione ſua liberare poteſt (§. 674.). Ergo nec juramento ſe obligare poteſt ad id præſtandum, ad quod non agendum obligatur.

Juramentum adeo ex illicito non facere poteſt licitum. Sane ſi hoc fieri poſſet, quidvis tibi licitum foret, ut facere poſſes, quod lubet. Neque enim alia re opus foret, quam ut jurares te hoc agere velle, ac protinus liceret, quod antea non licebat agere. Idem etiam eodem modo intelligitur de non facto quocunque. Peccat qui male jurat; ſed bis peccat, qui facit, quod male juratum. Stolida eſt eorum religio, qui ſibi metuunt a pœna divina perfidiæ; non vero metuunt a pœna divina inobedientiæ & ſcelerum. Stolida quoque eſt eorum de exiſtimatione opinio, qui malunt eſſe inobedientes erga Deum ac ſcelerati, quam perfidi videri. Sed de his diſertius dicendum in Philoſophia morali, ubi actuum vitioſorum turpitudo intrinſeca graphice delineanda, ut quam iidem ſint deteſtandi tanto dilucidius conſtet.

§. 914.

Juramentum de re illicita quale ſit.

Juramentum de re illicita illicitum eſt: Quodſi enim id, de quo juratur, fuerit illicitum, ad id omittendum obligaris (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*), adeoque peccas, ſi non omittis (§. 440. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter cum velle peccare etiam peccatum ſit (§. 444. *part. 1. Phil. pract. univ.*); animum quoque actum illicitum committendi habere non debes (§. 440. *p. 1. Phil. pract. univ*). Quamobrem cum jurans de re illicita habeas animum actum illicitum committendi (§. 852.); de re illicita jurare non debes, adeoque juramentum de re illicita illicitum eſt (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Juras te injuriam tibi illatam vindicaturum cupiditate vindictæ adductus. Cum cupiditas vindictæ lege naturali prohibeatur (§. 948. *p. 1. Jur. nat.*), de re illicita juras (§. 170. *part. 1. Philoſ. pract. univ.*). Juramentum itaque illicitum.

§. 915.

Quale ſit juramentum actui non obligatorio ſuperaccedens.

Omne juramentum actui non obligatorio ſuperaccedens illicitum eſt. Si enim juramentum actui non obligatorio ſuperaccedit, eum in obligatorium convertere nequit (§. 904.), conſequenter nullo fine præſtatur (§. 932. *Ontol.*). Quamobrem cum temerarium ſit (§. 277.), temere autem jurare non liceat (§. 278.); omne juramentum actui non obligatorio ſuperaccedens illicitum eſt.

Cum ab omni facto temerario ſit abſtinendum, immo ne temeraria quidem verba proferre liceat (§. 278.); multo minus Deum temerarie invocare licet tanquam teſtem veritatis dictorum & tanquam vindicem perfidiæ: id quod facit jurans (§. 852.), contra reverentiam Deo debitam (§. 1182. 1183. *p. 1. Jur. nat.*).

§. 916.

§. 916.

Si vel tui, vel alterius plurimum intereſt, ut de veritate dictorum tuorum is ſit certus, aſſeveranti tamen credere non vult; juramentum licitum eſt. Etenim ſi tui, vel alterius plurimum intereſt, ut de veritate dictorum is ſit certus, de ea vero dubitat; aut id probandum eſt per conſcientiam, aut per Deum teſtem (§. 853.), conſequenter vel aſſeverando (§. 851.), vel jurando (§. 852.). Quoniam itaque aſſeveranti credere non vult *per hypoth.* veritas dictorum aliter probari nequit niſi jurejurando, conſequenter temerarie non juratur, ut propterea a juramento ſit abſtinendum (§. 278.). Enimvero cum jurans profiteatur, ſe pro certo habere, quod Deus norit cogitationes ſuas non minus, quam verba ore prolata, & mendacium ac perfidiam, immo obſcurationem gloriæ ſuæ puniat (§. 871.), & ſe pœnam eam mereri, niſi verum loquatur, ac ſe eandem lubenter, prout debet (§. 1071. *part.* 1. *Jur. nat.*), ſubire velle, ſiquidem mendacii, perfidiæ ac obſcurationis gloriæ divinæ fiat reus, juramentum ipſum nil continet, quod pro certo habere ac ore profiteri illicitum ſit (*not.* §. 871.). Quoniam itaque, cum vel tui, vel alterius plurimum interſit, ut de veritate dictorum tuorum hic ſit certus *per hypoth.* ad animi tui ſenſa alteri patefacienda obligatis, alio autem modo quam jurejurando hoc fieri non poteſt *per dem.* quin lege naturali tibi detur jus jurandi dubitandum non eſt (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Licitum adeo eſt juramentum, ſi vel tui, vel alterius plurimum interſit, ut hic de veritate dictorum tuorum ſit certus, aſſeveranti tamen credere non vult.

Quando juramentum ſit licitum.

Præſtaret utique tam ſanctum hominibus haberi ſervare fidem, ac juramentum, & tam deteſtabilem haberi violationem fidei datæ, quam juratæ, ut juramentis non eſſet opus. Enimvero cum hi non ſint hominum mores, ne Chriſtianorum quidem, quos iidem maxime decent, cum nemo in lege naturæ ſervanda, quæ fidem datam ſervare præcipit (§. 765.), fallere autem (§. *cit.*), ac mendacium (§. 183.) & perfidiam prohibet (§. 774.), exactior eſſe debeat homine Chriſtiano; juramentum pro præſenti hominum conditione utique permittendum. Permiſſa ſunt juramenta lege naturali ob perverſos hominum mores, minime autem præcepta. Quodſi tales eſſent eorum mores, quales eſſe debebant, omne juramentum foret illicitum, cum in temerariam invocationem Dei tanquam teſtis veritatis dictorum & vindicis mendacii ac perfidiæ verteretur, adeoque ſtylo ſcripturæ in abuſum nominis divini abiret contra reverentiam Deo debitam (§. 1182. 1183. *part.* 1. *Jur natur.*). Juramenta igitur non per ſe legi naturæ conveniunt, quippe quæ fidem ſimpliciter datam ſervare præcipit, fallere prohibet (§. 901.): ſed ex hypotheſi fidei fallacis ob contemtum legis naturalis.

§. 917.

Si tui, vel alterius parum interſit, ut de veritate dictorum tuorum is ſit certus, aſſeveranti autem credere nolit; jurandum non eſt. Etenim ſi tui, vel alterius parum interſit, ut de veritate verborum tuorum is ſit certus, aſſeveranti tamen credere nolit; nec opus eſt, ut eidem per Deum teſtem ac vindicem mendacii ac perfidiæ veritatem dictorum probes, conſequenter jures (§. 852.). Quamobrem cum tibi perinde eſſe poſſit, immo debeat, utrum alter dictis tuis fidem habere velit, nec ne; nulla quoque adeſt ratio, cur ad fidem faciendam dictis tuis ſis obligatus (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Pro actu igitur temerario habendum eſt juramentum, quo veritatem dictorum adſtruere vis (§. 277.), conſequenter ab eo abſtinendum (§. 278.). Si tui, vel alterius parum interſit, ut de veritate dictorum is ſit certus, aſſeveranti autem credere nolit; jurandum non eſt.

Quando non jurandum.

In caſu particulari dato haud difficulter perſpicitur, utrum tui, vel alterius multum interſit, nec ne, ut dictis tuis fides habeatur, ut adeo facile pateat, num jurare liceat, an non liceat, etiamſi rei, de qua jurandum, juramentum minime repugnet, prouti accidit in caſu rei illicitæ, vel actus non obligatorii (§. 914. 915.).

§. 918.

Alius caſus juramenti illiciti.

Si aſſeveranti creditur, juramentum illicitum eſt. Etenim ſi aſſeveranti creditur, per teſtem conſcientiam ſatis probata eſt dictorum veritas (§. 851.), adeoque non opus eſt probatione per Deum teſtem (§. 853.), conſequenter per juramentum (§. 852.). Juramentum igitur cum fiat nullo fine, temerarium eſt (§. 276.), conſequenter illicitum (§. 278.).

Juramenta non alio fine introducta, neque alio fine deferuntur, quam quia aſſeveranti non creditur. Quodſi ſemper tuta eſſet aſſeverantium fides, de juramento nemo vel per ſomnium cogitaret. Fides fallax peperit aſſeverationes, & cum nec tuta eſſet aſſeverantium fides, ipſum peperit juramentum, quo majus vinculum ad adſtringendam aliorum fidem concipi minime potuit.

§. 919.

An valeat juramentum de re licita, ſed majus bonum morale impediente.

Si juramentum præſtetur de re in ſe non illicita, ſed majus bonum morale impediente; non valet. Etenim homo obligatur ad id, quod altero melius eſt, eidem præferendum (§. 192. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & ad omnem faciendum facultatum noſtrarum uſum, qui ad perficiendum animam & imperfectionem ab eadem arcendum requiritur (§. 173. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem quod impedit bonum majus morale, id facere minime debemus, conſequenter facere illicitum eſt (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Perinde igitur eſt, ac ſi de re illicita fieret juramentum, ſi præſtetur de re majus bonum morale impediente. Quamobrem cum juramentum illicitum ſit, quod præſtatur de re illicita (§. 914.); illicitum quoque eſſe debet juramentum de re in ſe quidem non illicita, bonum tamen majus morale impediente præſtitum, adeoque non valet.

Nimirum actus in ſe non illicitus in caſu emergente illicitus evadit, quando majus bonum morale impedit, veluti quando prohiberis virtutem quandam intellectualem aut moralem ad majorem gradum evehere, aut de aliis præclarius mereri. Nemo ſibi ipſi eripere poteſt libertatem proficiendi in bono: quod utique fieret, admiſſo juramento tanquam valido, quod hic damnatur. Tale juramentum eſt, quo quis ſe obſtringit, quod nolit inventum aliquod generi humano perutile manifeſtare.

§. 920.

An juramentum ſua ſponte præſtitum ſit licitum.

Si is, cui de veritate dictorum tuorum conſtare debet, juramentum tibi non defert, nec expreſſe, nec tacite; juramentum illicitum eſt. Etenim ſi is, cui de veritate dictorum tuorum conſtare debet, juramentum tibi non defert, nec expreſſe, nec tacite; nec is verbis expreſſis declarat, neque aliunde id colligitur, quod tibi niſi jurato credere nolit (§. 892.). Quamobrem præſumendum potius eſt, ipſum tibi aſſeveranti credere velle. Enimvero ſi aſſeveranti creditur, juramentum illicitum eſt (§. 918.). Illicitum adeo etiam erit, ſi is, cui de veritate dictorum tuorum conſtare debet, juramentum tibi non defert, nec expreſſe, nec tacite.

§. 921.

Quando juramentum tacite defeRatur.

Qui aſſeveranti credere non vult, nec expreſſe dicit, ſe ne juranti quidem fidem habiturum; juramentum tibi tacite defert. Etenim qui aſſeveranti credere non vult, is negat te moraliter verum loqui, non obſtante aſſeveratione tua, quod dubitans de veritate dictorum magis inclinet in partem negativam (§. 420. *part.* 2. *Theol. nat.*). Quamobrem probationem aſſeveratione meliorem exige-

re

re videtur. Enimvero præter aſſeverationem non datur alius veritatem dictorum moralem probandi modus, niſi juramentum (§. 853.). Ergo ſi expreſſe non dicat, ſe ne juranti quidem fidem habiturum juramentum tibi tacite deſert.

§. 922.

Si veritas logica aliunde conſtare poſſit, juramenti delatio illicita.

Si aliunde conſtare poteſt de veritate eorum, quæ dicis, logica, cujus gratia noſſe intereſt, num moraliter verum loquaris, jurandum non eſt. Etenim cum tantummodo interſit noſſe, quod moraliter verum loquaris, ut conſtet de veritate logica eorum quæ dicis, & hæc aliunde conſtare poſſit, non opus eſt ut per Deum teſtem probes te moraliter verum loqui, cum ex eo, quod moraliter verum loquaris, non demum colligendum eſt logice verum eſſe, quod dicis; neque enim verbis opus eſt, ubi rerum teſtimonia adſunt. Quoniam itaque per juramentum non probatur, niſi quod moraliter verum loquaris (§. 852.); idem tibi deferri nullo fine cenſetur, adeoque pro temerario actu habenda juramenti delatio (§. 277.). Sed temerarie nihil agendum (§. 278.). Ergo nec deferendum juramentum, ſi aliunde conſtare poteſt de eorum, quæ dicis, veritate logica, cujus gratia intereſt noſſe, num moraliter verum loquaris.

Aliud eſt probare dictorum veritatem, aliud vero eſt probare verum eſſe, quod dicis. Aſſeveratio & juramentum non probant niſi dictorum veritatem (§. 851. 852.), conſequenter te moraliter verum loqui, non autem verum eſſe, quod dicis, ſed hoc ex eo demum colligitur, quatenus veritas logica tibi perſpecta ſupponitur. Quando igitur veritas logica probari poteſt, non opus eſt ut probetur moralis: probatio enim veritatis moralis ſurrogatur in locum probationis veritatis logicæ, ubi hæc deficit. Deum adeo invocare teſtem, quando opus non eſt, reverentiæ, quam ipſi debemus (§. 1183. *part. 1. Jur. natur.*), parum convenit (§. 1182. *part. 1. Jur. nat.*). Patebit idem etiam per ea, quæ de perjurio mox demonſtraturi ſumus.

§. 923.

An in eodem caſu non ſponte oblatum ſit accipiendum.

Quoniam perinde eſt, ſive juramentum alteri deferas, ſive jurare volentem jurare patiaris (§. 892.), juramentum vero alteri deferre non debes, ſi aliunde conſtare poteſt de veritate logica eorum, quæ dicis (§. 922.); *pati* etiam *debes, ut juret alter ſua ſponte ad jurandum ſeſe offerens, ſi aliunde conſtare poteſt de veritate logica ejus, quod dicit.*

Nimirum quando juramenti delatio illicita; ſponte quoque oblati acceptatio illicita eſt, cum ad juramentum illicitum ipſa acceptatione concurras; quatenus declaras velle te ut juret alter, quando jurare non debet (§. 2.), adeoque idem ipſi deferre cenſendus es (§. 892.).

§. 924.

Quoties juramenti delatio illicita.

Quando jurare non licet, delatio juramenti illicita eſt. Quando enim jurare non licet, lege naturali jurare prohibemur (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter jurans legem naturæ tranſgreditur (§. 139. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo juramentum ipſi deſers, cum eum jurare velis (§. 892.); eum inducere vis ad legem naturæ tranſgrediendam. Quamobrem cum nemo alterum inducere debeat, ut legem naturæ tranſgrediatur (§. 701. *part. 1. Jur. nat.*); juramentum quoque alteri deferre non debes, quando jurare non licet, conſequenter juramenti delatio illicita eſt, quando jurare non licet.

§. 925.

§. 925.

Quoties ſponte oblati acceptatio illicita.

Quoniam perinde eſt, ſive juramentum alteri deferas, ſive ſponte oblatum acceptes (§. 892.), delatio autem juramenti illicita eſt, quando jurare non licet (§. 924.); *juramenti ſponte oblati acceptatio illicita eſt, quando jurare non licet.*

Ex hiſce duabus propoſitionibus vi eorum, quæ de illicito juramento demonſtrata ſunt, nullo negotio infertur, quando in caſu particulari juramentum non ſit deferendum, & quando ab eo, cujus dictorum veritas in dubium revocatur, ſua ſponte oblatum non ſit acceptandum, ne in Deum ſimus irreverentes ſtylo ſcripturæ nomine ejus abuſuri.

§. 926.

Pejeratio & perjurium quid ſit.

Pejerare dicitur, qui jurat ſe moraliter verum loqui, dum moraliter falſum loquitur: ut adeo *Pejeratio* ſit juramentum ejus, qui ſe moraliter verum loqui jurat, dum moraliter falſum loquitur. Idiomate patrio dicimus einen falſchen Eyd, juramentum falſum. Sed *perjurare* dicitur, qui, quod ex animi ſui licet ſententia juravit, id tamen non facit: ut adeo *perjurium* ſit volitio faciendi id, quod te non facturum ex animi licet tui ſententia juraſti, & contra. Idiomate patrio dicimus einen Meineyd.

Si quis jurat, aut animum habet moraliter verum loquendi, aut non habet, ſed dum moraliter verum ſe loqui ſimulat, moraliter falſum loquitur. Enimvero fieri poteſt, ut jurans moraliter verum loquatur, dum ſe moraliter verum loqui, veluti hoc ſe facturum, vel non facturum eſſe jurat, non tamen faciat, quod ſe facturum juravit, ſed contrarium ejus faciat. Hæc duo itaque a ſe invicem differunt, moraliter verum loqui, quando juratur, & non facere, quod ex animi ſententia ſeu moraliter verum loquens te facturum eſſe juraſti. Quamobrem verbis quoque a ſe invicem diſtinguenda ſunt, ne æquivocatio in cauſa ſit, ut a ſe invicem diſtinguenda confundantur. Quoniam itaque *Cicero* offic. lib. 3. c. 29. diſerte dicit, quod perjurare ſit non falſum jurare, ſed quod ex animi tui ſententia jurans, id non facere; ſignificatum quoque alium vocabulo perjurii tribuere noluimus. Enimvero ne juramentum falſum cum perjurio confundatur, quod tamen ab eo diſtinguendum eſſe ex iis, quæ modo diximus, conſtat; id pejerationem appellare libuit. Quoniam vero non minus contingere poteſt, ut pejerans, quam ut ex animi ſui ſententia jurans non faciat, quod juravit; ideo cum *Cicerone* perjurium ad jurantem ex animi ſui ſententia reſtringere noluimus, præſertim cum non modo difficilis ſit probatio, num perjurus ex animi ſui ſententia juraverit, verum etiam nullius inter homines utilitatis. Nobis duo ſunt vocabula ein falſcher Eyd, & ein Meineyd. Significatum vero eorundem aſſe eundem, quem ipſis tribuimus, haud facile dubitabit, qui ad communem loquendi uſum attendit animum, modo diſtinguere noverit ea, quæ per inconſtantiam loquendi ſubinde dicuntur, ab iis, quæ ut plurimum dicuntur, juxta ea, quæ alibi præcipiuntur (§. 150. *Log.*).

§. 927.

Pejeratio omnis illicita eſt.

Pejerare non licet, ſeu *omnis pejeratio illicita eſt*. Etenim qui jurat ad dicendum verum ſeſe alteri obligat (§. 885.). Quamobrem cum mentiatur, qui moraliter falſum loquitur, quando ad verum loquendum obligatur (§. 187.), hoc autem facit pejerans (§. 926.); qui pejerat, mentitur. Enimvero mentiri non licet (§. 188.), ſed omne mendacium ſua natura illicitum (§. 183.). Ergo etiam pejerare non licet, ſeu omnis pejeratio illicita eſt.

Mentitur pejerans non modo, quod dicat, ſe moraliter verum loqui, dum ſe moraliter falſum loqui ſibi conſcius eſt; verum etiam quod aſſeveret Deum eſſe teſtem veritatis dictorum ſuorum, conſequenter ipſi cognitum ac perſpectum eſſe, quod moraliter verum loquatur, ſeu verba eum cogitationibus ſuis conveniant (§. 852.). Ut vero intimius perſpiciatur turpitudo hujus mendacii; ſequentem addere lubet propoſitionem.

§. 928.

§. 928.

Pejeratio *quale ſit mendacium.*

Pejeratio eſt mendacium omnium maximum. Etenim qui jurat, Deum teſtem invocat veritatis dictorum & vindicem mendacii, ſiquidem moraliter falſum loquatur (§. 852.), immo obſcurationis gloriæ ſuæ (§. 872.), & ſe obligat ad dicendum verum (§. 885.). Quando vero pejerat, moraliter falſum loquitur (§. 926.), conſequenter falſum eſt, quod verum dicat, quod a Deo ſe puniri velit, ſi moraliter falſum loquatur, quod Deo cognitum & perſpectum ſit, ſe verum moraliter loqui, quod denique ſibi non ſit animus obſcurandi gloriam divinam, ſeu ſtylo ſcripturæ nomine ejus abutendi. Enimvero ſi quis mentitur, aut nude mentitur, nulla addita aſſeveratione, aut aſſeveranter, aut denique jurato mentitur. Quoniam itaque magis mendax concipi nequit, quam qui jurato mentitur per ea, quæ demonſtrata ſunt, quoniam ſcilicet qui nude mentitur liberum alteri relinquit, num ſibi credere velit, an nolit; qui aſſeveranter mentitur, per conſcientiam teſtem veritatem dictorum probare vult (§. 851.), pejeratio omnino mendacium omnium maximum eſt.

Patet ex demonſtratione propoſitionis præſentis, in pejeratione multiplex contineri mendacium, nec a propoſito mentiendi pœna divina deterreri poſſe pejerantem, immo eundem mille gloriam Dei obſcurare, quam verum dicere, ut taceamus alia, quæ pro diverſitate caſuum particularium diverſa ſunt, expendenda potius in Philoſophia morali, quam hic enumeranda. Quamobrem cum apud omnes gentes mendacium maxime deteſtabile fuerit; non mirum quod tantopere abominati fuerint pejerationem.

§. 929.

Pejeratio itaque definiri poteſt per mendacium juratum. *Pejeratio quid ſit.*

Mentitur nimirum jurans (§. 928.) & juramento confirmare audet mendacium, ut tanto ſecurius mentiatur.

§. 930.

Quando pejerans non fiat perjurus.

Si pejerantem pœnitet pejeraſſe & quod ſe facturum juravit facit; perjurus non eſt. Etenim ſi pejerantem pœnitet ſe pejeraſſe & quod ſe facturum juravit, facit; is animum, quem jurans habuit, mutavit, ut adeo perinde ſit reſpectu ejus, cui juravit, ac ſi non pejeraſſet, ſed potius ex animi ſui ſententia juraſſet. Quoniam itaque perjurus non eſt, qui facit, quod ex animi ſui ſententia alteri juravit ſe facturum, immo qui etiam contra animi ſui ſententiam, quæ juranti erat, hoc facit (§. 926.); perjurus non eſt is, quem pœnitet pejeraſſe, & qui quod ſe facturum juravit, facit.

Perjurium cognoſcitur ex eo, quod quis non facit, quod ſe facturum juravit, cum juraſſe, non pejeraſſe quilibet præſumatur, nec de pejeratione conſtare poſſit, ubi fit, quod juratum eſt. In perjurio igitur non attenditur pejeratio.

§. 931.

Juramentum ſervare quid ſit.

Juramentum ſervare dicitur, qui facit, quod ſe facturum jurat, ſeu qui promiſſum juratum ſervat (§. 430.). Quodſi jures te moraliter verum dicere velle, verum dicendum eſt (§. 885.); ſi jures te hoc facturum faciendum eſt (§. 431.). *Juramenta* igitur *ſervanda ſunt.*

Obligatio ſervandi juramenti naſcitur ex pacto (*not.* §. 885.), ſi te obligaſti ad dicendum verum; ex promiſſione autem, ſi promiſſionem juramento confirmes, quatenus nimirum obligatio reſpicit perſonam ejus, cui juratur.

§. 932.

§. 932.

Quinam juramentum non ſervet.

Qui perjurus eſt, juramentum non ſervat, & contra qui juramentum non ſervat perjurus eſt. Etenim qui perjurus eſt, non facit, quod ſe facturum juravit (§. 926.). Quamobrem cum juramentum non ſervet, qui non facit, quod ſe facturum juravit (§. 931.); qui perjurus eſt, juramentum non ſervat. *Quod erat unum.*

Ex adverſo qni juramentum non ſervat, is non facit, quod ſe facturum juravit (§. 931.). Sed qui non facit, quod ſe facturum juravit, perjurus eſt (§. 926.). Ergo qui juramentum non ſervat, perjurus eſt. *Quod erat alterum.*

Pèr ſe patet; ſermonem hic éſſe de juramento licito; quale ſemper intelligitur; niſi contrarium expreſſe dicatur.

§. 933.

Perjurium illicitum.

Omne perjurium illicitum eſt. Etenim juramenta ſunt ſervanda (§. 931.), conſequenter ea non ſervare lege naturali prohibitum (§. 722. *part. 1. Jur. nat.*), adeoque illicitum eſt (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum perjurus juramentum non ſervet (§. 932.); perjurium omne illicitum eſt.

Illicita etiam eſt pejeratio (§. 927.). Quodſi ergo perjurium huic accedat; id peccatum majus eſt, quam ſi abſque pejeratione fias perjurus; magis enim peccat, qui bis peccat.

§. 934.

Fides juramento adſtricta.

Jurans adſtringit fidem ſuam ei, cui jurato promittit de eo, quod præſtandum. Etenim jurato promittens juramento ſuo confirmat, ſe in præſenti voluntate ſervandi promiſſum perſeverare velle (§. 902.), conſequenter cum ad verum dicendum ſeſe obliget juramento (§. 885.), ſe certo facturum, ſeu præſtiturum, quod ſe facturum ſeu præſtiturum dicit, adeoque ad fidem ſervandam ſe obligat (§. 759.). Jurans igitur fidem ſuam ei adſtringit, cui jurato promittit de eo, quod præſtandum (§. *cit.*).

Hinc *fides jurata* dicitur, quæ juramento fuit confirmata.

§. 935.

Perjurium quanta ſit perfidia.

Perjurium eſt perfidia omnium maxima. Jurans fidem ſuam ei adſtringit, cui jurato promittit (§. 934.). Quamobrem ſi contrarium ejus facit, quod ſe facturum promiſit, conſequenter etiam ſi non facit, quod ſe facturum promiſit; perfidus eſt (§. 996.), adeoque perjurium perfidia eſt. *Quod erat unum.*

Enimvero jurans fidem ſuam adſtringit Deum teſtem ac vindicem perfidiæ invocando (§. 852.), quam tanto magis punire debere agnoſcit, quod conjuncta ſit perfidia cum obſcuratione gloriæ divinæ (§. 872.). Quamobrem cum fidem non magis alteri quam hoc pacto adſtringere valeamus; perfidia quoque major concipi nequit (§. 766.). Perjurium itaque perfidia omnium maxima eſt. *Quod erat alterum.*

Perfidiam pro rè maxime deteſtanda habuerunt gentes omnes, quantum ex Hiſtoricorum monumentis conſtat: Unde non mirum, quod tantopere abominati fuerint perjurium, perfidiam longe maximam. Sane qui fidem juratam fallit; multo magis fallet fidem non juratam. Qui perfidiam juratam non deteſtatur, multo minus dedecori ſibi ducet perfidiam non juratam. Nemini adeo tuta haberi poteſt fides, qui perfidiæ juratæ reus eſt.

§. 936.

Digitized by Google

§. 936.

Quoniam perjurium eſt perfidia omnium maxima (§.935.), perfidia vero omnis illicita (§.744.); *perjurium* quoque *omne illicitum eſt*.

Perjurium illicitum.

Idem jam aliter oſtendimus (§.933.): ex præſenti tamen demonſtratione liquet multo clarius, cur a perjurio nobis omni ſtudio cavere debeamus.

§. 937.

Perjurium definiri etiam poteſt, quod ſit perfidia jurata, vel quod ſit violatio fidei juratæ.

Perjurii definitio.

Pejeratio mendacium juratum eſt (§.929.); quod omnium mendaciorum maximum (§.928.); perjurium perfidia jurata, quæ omnium maxima perfidia eſt (§.935.). Quodſi ergo perjurium committitur a pejerante: non concipi poteſt homo, cujus minor ſit fides, immo nullius fidei homo merito dicendus, quamdiu fidem datam ſervando non aliis actibus iteratis, nec interruptis probavit, ut de mutatis pravis moribus certi ac ſecuri eſſe poſſimus.

§. 938.

Nemini juramentum deferre licet, qui de pejeratione vel de perjurio ſuſpectus eſt. Etenim ſi alter tibi ſuſpectus eſt de pejeratione, non improbabile tibi videtur fore, ut moraliter falſum loquatur, dum ſe verum dicere jurat (§.926.), & quando de perjurio ſuſpectus eſt, non improbabile videtur fore, ut non faciat, quod ſe facturum jurat, etiamſi ex animi ſui ſententia juret (§. *cit.*), adeoque moraliter verum loquatur, dum jurat. Quamobrem nec credere potes, vera eſſe, quæ dicit, & ipſum facturum, quod ſe facturum jurat, conſequenter dum ipſum jurare vis, adeoque juramentum eidem defers (§.892.), actus hic temerario æquiparandus (§.277.), aut ſaltem valde metuendum, ne ſit temerarius, conſequenter cum actus omnis temerarius illicitus ſit (§.278.), nec conſcientia dubia quicquam agendum (§.260.), nemini juramentum deferre licet, qui de pejeratione, vel de perjurio ſuſpectus eſt.

An juramentum deferre liceat ei, qui de pejeratione vel de perjurio ſuſpectus.

Oſtendi etiam poteſt hoc modo. Quoniam tam pejeratio (§.927.), quam perjurium lege naturali prohibetur (§.936.); qui pejerat, vel perjurus fit legem naturæ tranſgreditur (§.139. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Nemo alterum inducere debet, ut legem naturæ tranſgrediatur (§.701. *part. 1. Jur. nat.*), adeoque impedire etiam debes, ſi potes, ne tranſgrediatur. Quamobrem ut juret, quem de pejeratione aut perjurio ſuſpectum habes, velle non debes. Enimvero qui alteri juramentum defert, vult ut is juret (§.892.). Juramentum igitur deferre ei, qui de pejeratione, vel de perjurio ſuſpectus eſt, non licet.

Agitur hic de moralitate actus, quo de pejeratione, vel perjurio ſuſpecto defertur juramentum. Qua de cauſa nullam hic attentionem merentur rationes eorum, quorum intereſt ne pejeretur; aut ad juramentum admittatur; qui perjurus fit, alio loco utique attendendæ, ubi ſpectandum, quid interſit juratum eſſe.

§. 939.

Juramentum vocabulis ſcriptis expreſſum validum eſt. Vocabula ſcripta idem ſignificant, quod ore prolata, quod nemini ignotum. Unum adeo idemque eſt, ſive verba jurantia ore proferantur, ſive ſcribantur. Quamobrem ſi eadem animo jurandi ſcribantur, adeoque juramentum vocabulis ſcriptis exprimitur; eodem modo valet, ac ſi viva voce fuiſſet præſtitum.

An juramentum ſcriptum valeat.

§. 940.

An abſens abſenti jurare poſſit. Quoniam juramentum vocabulis ſcriptis expreſſum validum eſt (§. 939.), abſens vero abſenti ſcribere poteſt, ideo patet, *poſſe abſentem abſenti juramentum in literis deferre & jurare*.

Nulla ſane ratio eſt, cur juramentum ſcriptum non ejuſdem valoris eſſe debeat cum eo, quod viva voce profertur: neque enim efficacia ejus nullo modo dependet a ſignis, quibus animi tui ſententiam alteri ſignificas. Quodſi moribus ſolemnitates quædam accedant, eædem non ſunt juris naturalis, nec ad ejus valorem quicquam conferunt, quamvis ſuam in jurando habeant utilitatem. Sed de his dicere non eſt hujus loci.

§. 941.

In animam alterius jurare quid ſit. *In animam alterius jurare* dicitur, qui nomine & mandato abſentis jurat.

Ex. gr. Titius abſens jurare debet Mævio. Is mandat Sempronio, ut nomine ſuo idem juret. Dicitur Sempronius jurare in animam Titii.

§. 942.

An juramentum in animam alterius præſtitum ſit validum. *Juramentum in animam alterius præſtitum validum eſt*. Etenim unum idemque eſt, ſive animi tui ſententiam quocunque in caſu alteri ſignifices per literas, ſive viva voce alterius, qui ut hoc faciat voluiſti. Quamobrem cum juramentum per literas ſignificatum validum ſit (§. 939.); validum quoque eſſe debet juramentum, quod viva voce alterius præſtas, cui hoc demandaſti. Enimvero qui nomine & mandato alterius jurat, in animam alterius jurat (§. 941.). Ergo juramentum in animam alterius præſtitum validum eſt.

Quæ de juramento ſcripto annotavimus (*not.* §. 940), de eo etiam tenenda, quod in animam alterius præſtatur. Ceterum hic juramentum tantummodo in ſe ſpectamus nullo reſpectu habito ad ſtatum civilem, de quo ſuo demum loco dicetur.

§. 943.

An pejeratio & perjurium locum habeat in juramento ſcripto & in animam alterius præſtito. *Qui abſenti per literas jurat, aut alium in animam ſuam jurare vult, non tamen habet animum jurandi, pejerat, & qui non facit, quod hoc modo ſe facturum jurato promittit, perjurus eſt*. Etenim juramentum validum eſt, ſive per literas juretur (§. 939.), ſive in animam abſentis ab alio præſtetur (§. 942.). Quodſi ergo is, qui per literas jurat, aut in animam ſuam jurari vult, non habeat animum jurandi, moraliter falſum eſt hanc eſſe animi ſui ſententiam, quam verbis ſcriptis, aut viva alterius voce ſignificat. Et ſi non facit, quod facturum ſeſe ſive in literis, ſive per alium jurato ſignificavit, utique non facit, quod ſe facturum jurato promiſit. Enimvero ſi jurans moraliter falſum loquitur, pejerat, & ſi contrarium ejus facit, vel id non facit, quod ſe facturum juraverat, perjurus eſt (§. 926.). Quamobrem pejerat, qui abſenti per literas jurat, aut alium in animam ſuam jurare vult, non tamen habet animum jurandi, & perjurus eſt, qui non facit, quod hoc modo ſe facturum jurat.

Naturaliter nulla differentia eſt inter juramentum ſcriptum & in animam alterius præſtitum & inter juramentum ipſa jurantis viva voce enunciatum. Quocunque igitur modo præſtetur juramentum, eadem ſemper religione præſtandum. Quemadmodum juramenti ſemper eadem eſt efficacia, ita quoque pejeratur & perjurium committitur eodem modo. Non negaverim

Digitized by Google

verim multos aliter opinari poſſe, ut malint per literas, aut per alium jurare, quam juramentum voce propria præſtare, ac facilius in caſu priori ad pejerandum & perjurium duci, quam in poſteriori; ſed errones non recte ſentientium opinio nullum veritati præjudicium affert, quamvis in praxi ejus habenda ſit ratio.

§. 944.

Obteſtatio quid ſit.

Obteſtatio eſt actus, quo quis alterum per Deum teſtem veritatis dictorum & vindicem mendacii ac perfidiæ, aut facti cujuſdam illiciti, vel per rem aliam ipſi chariſſimam, vel cujus maxime rationem habere debet, obſecrat, ut verum dicat, vel ut quid faciat, aut non faciat. *Obteſtans* igitur *intendit alterum permovere ad verum dicendum, vel quid faciendum, aut non faciendum*, quatenus ſcilicet in memoriam revocat motiva volitionis vel nolitionis (§. 890. *Pſych. empir.*), ad actum volitionis, vel nolitionis neceſſaria (§. 889. *Pſych. empir.*). Patrio ſermone dicimus: einen beſchweren.

Nimirum ſi per Deum teſtem ac vindicem alterum obteſtamur, eum cogitare jubemus, Deum noſſe omnes hominum cogitationes ac certo punire mendacium ac perfidiam, & factum quodvis illicitum, & hortamur, ne pœnam divinam incurrat. Ita Archiſacerdos obteſtabatur Chriſtum ut diceret, num ſit filius Dei, Matthæi XXVI. 23. Similiter ſi quis alterum obteſtatur per famam ſuam, aut per parentes ſuos, ut verum dicat, vel promiſſum ſervet, aut ne quid faciat; is eidem repræſentat labem, quam famæ ſuæ ſit adſperſurus mendacio aut perfidia, aut facto alio illicito, & triſtitiam parentibus contrahendam, vel labem famæ ipſorum adſpergendam perfidia aut facto quodam ſceleſto. Eodem modo facile interpretari datur obteſtationum formulas quaſcunque alias, modo ad intentionem obteſtantis animum advertas & circumſtantias caſus præſentis, in quo obteſtatio fit.

§. 945.

Juraturum obteſtari poſſimus.

Quoniam obteſtans alterum permovere etiam intendit, ne quid faciat (§. 944.); *eum, qui jurare debet, obteſtari poſſumus ne pejeret, vel ubi juramentum promiſſorium præſtitit, ne fiat perjurus, quando pejerationis, vel perjurii ſuſpicio adeſt.*

Niſi enim metuendum ſit, ne juraturus pejeret, aut, qui jurato promiſit, perjurus fiat, obteſtatione opus non eſt.

§. 946.

Obteſtatio quando licita.

Quando tui plurimum intereſt, ut alter verum dicat qui ad verum dicendum tibi obligatur, aut ut faciat, quæ promittit; obteſtatio licita eſt. Etenim quando tui plurimum intereſt, ut alter verum dicat, & hic ad verum dicendum tibi obligetur; tibi etiam jus eſt alterum ad verum dicendum compellendi (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter licitum eſt eum permovere ad verum dicendum, nec temere hoc facis (§. 277.), ut propterea ab hoc propoſito ſit abſtinendum (§. 278.). Quoniam itaque obteſtatione non aliud intenditur, quam ut alter ad verum dicendum permoveatur, nec utaris niſi motivis, quibus alter animum ſuum a mendacio avertere debet (§. 944. & *not.* §. 871.), quando tui plurimum intereſt, ut ad verum dicendum tibi obligatus verum dicat, obteſtatio licita eſt. *Quod erat unum.*

Similiter ſi tui plurimum intereſt, ut quæ alter promittit faciat, & ut ſis ſecurus, quod facturus ſit, cum is ad promiſſa ſervanda tibi obligetur (§. 363. 431.); eodem, quo ante modo patet, tibi eſſe jus eum obteſtandi, ut faciat, quæ ſe facturum promittit, conſequenter in hoc etiam caſu obteſtationem licitam eſſe. *Quod erat alterum.*

Nimirum obteſtatio temeraria non eſt, quando neceſſaria, cumque in ſe nil contineat, quod ſit illicitum, nulla ſane ratio eſt, cur in hypotheſi propoſitionis præſentis minime licita eſ-

ſe debeat, aut, ſi per Deum teſtem ac vindicem fiat, cur ad abuſum nominis divini, ſeu obſcurationem gloriæ divinæ referri debeat, cum definitio obſcurationis gloriæ divinæ huic actui parum conveniat (§. 1153. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 947.

Idem porro expenditur. *Quando alterum exhortari debes ne quid faciat, aut ut faciat, qui prodit animum illud faciendi, hoc non faciendi; obteſtatio licita.* Etenim qui alterum exhortari debet, ne quid faciat, aut ut faciat, ipſi ſignificare debet, ſeriam ſibi & conſtantem eſſe noluntatem, ne hoc faciat, ad quod non faciendum obligatur, aut ſeriem & conſtantem voluntatem, ut hoc faciat, ad quod faciendum obligatur & adhortationi ac dehortationi jungere motiva, quibus alter ad faciendum, quod facere debet, & non faciendum, quod facere non debet, determinatur (§. 125. 129. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum obteſtans alterum intendat permovere ad faciendum, quod facere debet, vel non faciendum, quod facere non debet, ſiquidem habeat animum non faciendi, quod debebat facere, vel faciendi, quod facere non debebat (§. 944.); obteſtatio omnino licita eſt, quando alterum exhortari debemus, ne quid faciat, aut ut faciat, quando illud non faciendi, hoc faciendi animum prodit.

Cum ex ipſa definitione intelligatur, obteſtationem nil continere, quod in ſe ſpectatum illicitum ſit, neque etiam illicita dici poſſit intentio obteſtantis in ſe ſpectata (§. 944.); ſi judicare velis, utrum obteſtatio licita ſit, nec ne, diſpiciendum tantummodo eſt, num ſit neceſſaria: neque enim illicita eſſe poteſt, niſi quando temeraria (§. 278.), temeraria autem non eſt, quando neceſſaria.

§. 948.

Conteſtatio quid ſit. Aſſeveratio per Deum teſtem aut rem aliam nobis chariſſimam, vel magni momenti dicitur *Conteſtatio*.

Accedit ea propius ad juramentum, in quod etiam abit, ſi vim juramenti eidem tribuere velimus. Sed cum de his aſſeverandi formulis jam egerimus in ſuperioribus (§. 891. 894.); non opus eſt, ut de conteſtatione plura addamus.

§. 949.

Quando præſtandum non ſit, quod jurato promiſſum. *Quod jurato promiſimus præſtandum non eſt alteri, ſi is hoc ſibi præſtari noluerit.* Etenim ſi is, cui quid jurato promiſimus, idem ſibi præſtari non vult, jus ſuum remittit (§. 95.), quod facere utique poteſt (§. 117.), conſequenter tu ab obligatione tua liberaris (§. 97.). Quoniam itaque neceſſe non eſt, ut ei præſtes, quod ad certiorandam fidem tuam jurato promiſeras (§. 852.); ſi alter, cui jurato quid promiſiſti, id ſibi præſtari non vult, præſtandum hoc ipſi non eſt.

Juraſti alteriusgratia, cui promiſſio facta eſt, ut tanto ſecurior eſſet de fide data non fallenda. Quodſi ergo is noluerit, te præſtare id, quod ſibi promiſſum eſt; juramenti non ea eſt vis, ut ipſo invito præſtes, quod ipſi præſtandum erat: neque enim ideo, quod te ſibi jurare paſſus eſt, ademit ſibi libertatem jus ex jurata promiſſione quæſitum remittendi, nec tibi impoſuit neceſſitatem in remiſſionem juris ſui non conſentiendi. Horum enim nihil in ipſo juramento continetur, cui tacitas conditiones adjicere non licet (§. 908.).

§. 950.

Quando perjurus non ſit, qui jurato promiſſum non præſtat. Quoniam alteri præſtandum non eſt, quod jurato promiſſum, ſi is hoc ſibi præſtari non vult (§. 949.), perjurus autem is demum eſt, qui volenti non præſtat, quod ipſi ſe præſtiturum promiſit (§. 926.); *ſi quod jurato alteri promiſiſti non præſtas, quia id ſibi præſtari non vult, perjurus non es.*

Ni-

Nimirum quando juras te alteri quid præſtiturum, non juras, te id præſtare velle, etiamſi alter noluerit, ut præſtes. Quamobrem ubi is debitum remittit, hoc acceptando nil facis, quod eſt contra juramentum, nec dici poteſt, te id ſervare nolle (§. 931.): neque enim hoc aliud continet, quam quod animum præſtandi promiſſum, qui tibi eſt, mutare nolis (§. 962.). Hunc autem animum non mutas, dum remiſſionem debiti acceptas; ſed mutat alter animum a te debiti ſolutionem exigendi, cujus gratia fidem tuam ipſi adſtrinxiſti (§ 934.). Facit autem hoc alter jure ſuo (§. 117.), adeoque licite (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem quoad te perinde eſt, ac ſi ſervando juramentum præſtitiſſes, quod præſtandum erat, conſequenter fidem juratam minime fefelliſti, nec ulla ratio eſt, cur perjurii ſuſpicio in te cadat. Quodſi quis excipiat, te Deo obligatum eſſe ad præſtandum, quod erat promiſſum, ab hac autem obligatione te liberare non poſſe eum, cui juratum eſt; ſupra jam notatum eſt (*not.* §. 905.), falli eos, qui ſibi perſuadent juramento adſtringi fidem noſtram Deo ipſique nos obligari ad promiſſionem juratam adimplendam. Unde ſua ſponte cadit objectio, quæ aliquam veritatis ſpeciem habere videbatur.

§. 951.

An promiſſio conditionata per juramentum vertatur in puram.

Promiſſio conditionata non eſt ſervanda propter juramentum accedens conditione non exiſtente, ſeu juramentum conditionatam non mutat in puram. Deficiente enim conditione promiſſio conditionata evaneſcit (§. 534.), conſequenter ex ea nulla oritur obligatio præſtandi id, quod promiſſum, totaque adeo pro actu non obligatorio habenda (§. 121. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quando itaque obligatio ad promiſſionem conditionatam accedit, cujus conditio deficit; actui non obligatorio ſuperacceſſit. Enimvero ſi juramentum actui non obligatorio ſuperaccedit, eum in obligatorium convertere nequit (§. 904.). Promiſſionem itaque conditionatam, cujus deficit conditio, obligatoriam efficere nequit, conſequenter conditionata promiſſio conditione non exiſtente propter juramentum accedens ſervanda non eſt.

Quodſi promiſſio conditionata conditione non exiſtente ſervanda eſſet, in puram vertenda foret (§. 462.). Quoniam itaque deficiente conditione propter juramentum ſervanda non eſt promiſſio conditionata *per demonſtrata*; nec eam juramentum in puram convertit.

Nimirum ſi conditionate jurato quid promittis, non juras niſi te hoc præſtiturum conditione exiſtente, aſt non præſtiturum, conditione non exiſtente. Juramento adeo adſtringitur fides (§. 881.), nonniſi in eo caſu, quo conditio exiſtit, non vero in altero, quo non exiſtit. Quamobrem ſi conditio non exiſtat, non præſtando id, quod ſub conditione fuerat promiſſum, nihil fit contra juramentum.

§. 952.

Effectus juramenti in promiſſione ſub conditione poteſtativa.

Qui ſub conditione poteſtativa ex parte ſui jurato promittit, fidem ſuam adſtringit de conditione adimplenda. Etenim ſi ſub conditione poteſtativa promittitur, promiſſor eam protrahere non debet eo fine, ne quod promiſſum præſtare teneatur (§. 522.). Quoniam itaque jurato promittens fidem ſuam alteri adſtringit (§. 934.); ſi conditio poteſtativa adſit ex parte ſui, fidem quoque ſuam adſtringit de non protrahenda adimpletione conditionis poteſtativæ (§. 758.). Patet itaque eum, qui ſub conditione poteſtativa ex parte ſui quid promittit, fidem ſuam de adimplenda promiſſione adſtringere.

Nimirum juramento adſtringitur fides de eo omni, ad quod vi promiſſionis obligaris, quemadmodum ipſa definitio juramenti loquitur (§ 852.). Quamobrem ſub conditione poteſtativa ex parte tui jurans omnino juras, te adimpletionem conditionis minime protracturum; quin potius eam adimplendi habere animum. Abſonum enim foret alterum perſuadere veritatis dictorum, & non habere animum conditionem adimplendi, ſub qua promittitur.

§. 953.

§. 953.

An conditionem poteſtativam non adimplens ſit perjurus.

Quoniam perfidus eſt, qui facere non vult, quod ſe facturum juravit (§. 926.), qui autem ſub conditione poteſtativa ex parte ſui jurato promittit, fidem ſuam de adimplenda conditione adſtringit (§. 952.), conſequenter jurat, ſe eam adimplere velle (§. 758.); *ſi conditionem adimplere negligit, vel ejus adimpletionem ſtudio protrahit, qui ſub conditione poteſtativa ex parte ſui promiſit*, utique *perjurus eſt*.

Fidem juratam violat promiſſor, qui conditionem poteſtativam ex parte ſui adimplere negligit, vel ejus adimpletionem ſtudio prorſus protrahit (§. 952.), & quidem in caſu priori culpa ſua (§. 758. *part. 1. Phil. pract. univ.*), in poſteriori dolo (§. 705. *p. 1. Philoſ. pract. univ.*). Quamobrem cum violatio fidei juratæ perjurium ſit (§. 937.); nullum eſt dubium, quin neglectus adimpletionis conditionis poteſtativæ, ſub qua promiſſum eſt, ſit perjurium culpoſum, ejus autem protractio ſtudio facta perjurium doloſum. Quemadmodum factum doloſum omne pravius eſt facto culpoſo; ita quoque perjurium doloſum multo pejus eſt culpoſo. Quamobrem ubi quis fuerit perjurus, probe diſpiciendum eſt, utrum doloſum, an culpoſum ſit perjurium, cumque culpa (§. 759. *part. 1. Phil. pract. univ.*) multos admittat gradus, horum quoque in æſtimando perjurio habenda ratio eſt.

§. 954.

Juramenti promiſſorii diviſio in generale & ſpeciale.

Juramentum promiſſorium generale eſt, quando in genere quid promittitur: *ſpeciale* vero, quando certus quidam actus in ſpecie promittitur.

Ex. grat. Si juras te officium tuum diligenter obire velle; juramentum promiſſorium generale eſt: diligentia enim iſta multos ſub ſe comprehendit actus, quos ſingulos diſtincte tibi non repræſentas, dum juras. Enimvero ſi juras, te proximis nundinis Titio daturum decem aureos; juramentum ſpeciale eſt. Erit idem adhuc ſpeciale, ſi præſtetur de actu quodam in ſpecie, etſi non ſingulari, veluti ſi jures te ſine permiſſu ſuperioris nunquam iter ingreſſurum. Non implicat, ut idem juramentum ſit ſimul & generale, & ſpeciale, quatenus plures continet promiſſiones, quarum aliis in genere, aliis in ſpecie quid promittitur.

§. 955.

Quale ſit perjurium pro diverſitate iſta juramentorum.

Quoniam perjurus eſt, qui non facit, quod ſe facturum juravit (§. 926.), non ſolum vero non facit, quod ſe facturum juravit, qui actum quendam certum in ſpecie promiſit, verum etiam qui in genere quid promittit, conſequenter qui juramentum etiam generale, non vero tantummodo ſpeciale violat (§. 954.); *perjurium non modo eſt violatio juramenti promiſſorii ſpecialis, verum etiam generalis*. Quoniam tamen juramentum generale præſtans de ſingulis actibus ad genus iſtud referendis non cogitat, dum jurat, ut oblata agendi occaſio juramentum in memoriam revocet, vel revocare poſſit, quemadmodum in ſpeciali juramento (§. 228. *Pſych. empir.*), ac facilius is ſibi perſuadeat, quaſi ad actum quendam ſpecialem ſub generali contento ob circumſtantias præſertim in caſu emergente obvias non adſtrinxerit fidem ſuam; *violatio juramenti ſpecialis perjurium majus eſt, quam generalis*.

Videmus in dies generalia juramenta promiſſoria facile violari, quaſi eorum violatio pro perjurio minime ſit habenda, & multitudo errantium error huic patrocinium præbere videtur. Quamobrem velim ea, quæ hic demonſtrantur, probe perpendi, ut major ſit juramenti generalis ſervandi religio, quam vulgo eſſe ſolet, quemadmodum eſſe debet, nec juramenta hujusmodi generalia tandem in actum vanum abeant, cujus nulla eſt utilitas. Ceterum hæc differentia quoque probe attendenda venit, ne perjurii infamia eadem notet violatores juramenti generalis, qua merito notantur violatores ſpecialis.

§. 956.

§. 956.

An petere remiſſionem promiſſi jurati ſit perjurium.

Si quis petit remiſſionem ejus, quod jurato promiſit; is perjurus non eſt. Qui jurato quid promittit juramento equidem ſuo confirmat, ſe animum præſtandi, quem habet, non mutaturum (§. 902.); quoniam tamen alteri præſtandum non eſt, quod jurato promiſſum, ſi is hoc ſibi præſtari nolit (§. 949.); conſequenter ſi præſtationem remittit (§. 95.), non ideo promiſiſſe cenſendus eſt, quod remiſſionem petere nolit, in arbitrio omnino promiſſarii relinquens, utrum remittere velit, nec ne, dum eam petit. Quamobrem ſi petit remiſſionem, nil facit, quod ſe non facturum promiſit. Quoniam itaque tum demum perjurus dicendus eſt, quando quid facit, quod ſe non facturum jurato promiſit (§. 926.); qui petit remiſſionem ejus, quod jurato promiſit, is perjurus non eſt.

Quod petens remiſſionem non mutet animum præſtandi, quod ſe præſtiturum jurato promiſit, vel exinde apparet, quod eundem non deponat, ſi denegetur remiſſio petenti. Immo ſi animum præſtandi, quod ſe præſtiturum jurato promiſit, deponeret, remiſſionem minime peteret. Novi equidem hanc petitionem a nonnullis ad perjurium referri: attamen hi non perpendere videntur ea, quæ de animo præſtandi, quod promiſſum eſt, non mutato a petente modo diximus, vel in ea ſunt opinione, quaſi jurans Deo ſeſe obliget ad dicta fidem addendam, a qua obligatione is, cui juratum eſt, eum liberare nequeat, quod dubium poſterius jam ante removimus (*not* §. 950.). Quamvis in juramentis admittendæ non ſint tacitæ exceptiones & conditiones (§. 908.); nec tamen ex adverſo verba quoque jurantium extendi debent ultra ea, quæ iiſdem ſignificantur.

§. 957.

An promiſſionem pœnalem juramento confirmare liceat.

Si pœna promiſſioni adjecta facile exigi poſſit, juramento promiſſionem pœnalem confirmare non licet; licet autem in caſu oppoſito. Quodſi enim pœna promiſſioni adjicitur, promiſſor declarat ſe hoc daturum, vel facturum, niſi ſteterit promiſſo (§. 606.); conſequenter cum juramento confirmetur dictorum veritas (§. 852.), quando juramentum ad promiſſionem pœnalem accedit, cum eodem declares te animum præſtandi, quem nunc habes, non mutaturum (§. 902.), juramento quoque non aliud confirmas, quam te, quod pœnæ nomine promiſſum, præſtiturum, ſiquidem promiſſo non ſteteris. Quodſi ergo pœna promiſſioni adjecta facile exigi poſſit, juramentum pro actu temerario habendum (§. 277.), adeoque illicitum eſt (§. 278.), conſequenter promiſſionem pœnalem hoc in caſu juramento confirmare non licet. *Quod erat unum.*

Enimvero qui promiſſionem pœnalem acceptat, ei perinde eſt, utrum promittens ſtet promiſſo, an quod pœnæ nomine promiſſum præſtet (§. 606. 2.), conſequenter cum juramento adſtringatur fides promiſſoris (§. 934.), non minus ejus fidem adſtringere licet de eo, quod pœnæ nomine promiſſum, præſtando, quam de præſtando eo, quod aliter promiſſum, niſi temerarie hoc fiat. Quoniam itaque temerarie hoc non fit, ſi pœnam facile exigere non datur, quin hoc in caſu promiſſionem pœnalem juramento confirmare liceat, dubitandum non eſt.

Cum promiſſor promiſſario perfecte ſeſe obliget (§. 363.), ſemper ipſi competit jus exigendi id, quod promiſit: immo ipſa promiſſione hoc jus in ipſum transfertur (§ 361.), unde oritur iſta obligatio vi demonſtrationis ſuperioris (§. 363.). Hæc vero minime obſtat, quo minus fidem promittentis juramento adſtringas, ut de ſervanda fide ſis certus (§. 916.). Quamvis ergo tibi etiam competat jus exigendi pœnam, niſi promiſſo ſteterit promiſſor, id tamen minime obſtare poteſt, quo minus fidem promittentis quoad præſtationem ejus, quod pœnæ nomine promiſſum, adſtringas, ut de ea ſis ſecurus, ubi alias difficile fuerit eam exigere.

§. 958.

Digitized by Google

§. 958.

An falſiloquium licitum juramento confirmare liceat.

Falſiloquium licitum juramento confirmare non licet. Qui enim jurat, jurejurando ſe obligat alteri ad dicendum verum (§. 885.), & fidem ſuam ei adſtringit de dictorum veritate (§. 881.). Quamobrem cum ad dicendum verum ſe alteri obligare & fidem ſuam ei adſtringere de veritate dictorum, atque moraliter falſum loqui ſibi mutuo repugnent; falſiloquium licitum juramento confirmare non licet.

Si falſiloquium licitum eſt, *jus* tibi eſt moraliter falſum loquendi (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quodſi vero hoc jure uti volueris, alteri te obligare non potes ad moraliter verum loquendum, conſequenter tibi ipſi imponere neceſſitatem moraliter falſum non loquendi (§. 118. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quam hæc ſint abſurda nemo non intelligit.

§. 959.

An istiusmodi juramentum ſit pejeratio.

Qui falſiloquium licitum juramento confirmat, pejerat. Jurat enim ſe moraliter verum loqui, dum falſum loquitur. Sed qui moraliter falſum loquitur, dum ſe moraliter verum loqui jurat, pejerat (§. 926). Ergo qui falſiloquium licitum juramento confirmat, pejerat.

Quoniam omnis pejeratio illicita eſt (§. 927.), hinc etiam patere poterat, falſiloquio licito juramentum addere non licere. Sane quando pejeratio colliditur cum falſiloquio licito, lex prohibitiva colliditur cum lege permiſſiva (§ 163. 165. 170. *part.* 1. *Philoſ. pract. univerſ.*). Enimvero ſi lex prohibitiva colliditur cum permiſſiva; permiſſiva cedit prohibitivæ (§. 211. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque ſatisfaciendum prohibitivæ (§. 208. *part.* 1. *Philoſoph. pract. univ.*). Quamobrem non pejerandum, ut moraliter falſum loqui poſſis, ſed a falſiloquio alias licito abſtinendum, ſi abſque juramento falſiloquio locus non conceditur.

§. 960.

Votum quid ſit.

Votum eſt pollicitatio Deo facta. Unde ***vovere*** dicimur id, quod Deo pollicemur. Quoniam itaque pollicitando declaramus, nos velle quidpiam alteri præſtare ac in hoc propoſito perſeverare (§. 367.); ***qui votum facit, Deo declarat, ſibi eſſe animum aliquid faciendi, vel non faciendi, & ſe in hoc propoſito perſeveraturum.***

Ex. grat. Quando ægrotus declarat; ſi Deus ipſum ſanitati reſtituerit, ſe velle quotannis inter pauperes certo die decem aureos diſtribuere, votum facit. Similiter votum facit, qui declarat, ſe certo die anni jejunare & diem integrum precibus ac meditationibus ſacris tranſigere velle. Votum faciunt monachi, dum Deo pollicentur perpetuam caſtitatem, paupertatem & ſtrictam erga ſuperiores obedientiam. Votum faciebat *Carolus* VI. Imperator Romanus, cum peſtis Viennæ graſſaretur, ſe *D. Carolo Borromæo* templum extructurum, ſi ex peſte ſalvus evaſiſſet.

§. 961.

Votum ſervare vel adimplere quid ſit.

Votum ſervare, vel ***adimplere*** dicitur, qui ea facit, vel non facit, quæ ſe facturum, vel non facturum, aut dat, quæ ſe daturum vovit.

Ita *Carolus* VI. Imperator votum ſervabat, vel adimplebat, dum peſte extincta, ex qua ſalvus evaſerat, *D. Carolo Borromæo* templum extruebat.

Digitized by Google

§. 962.

Fides Deo data a vovente.

Qui votum facit Deo dat fidem de voto ſervando. Etenim qui votum facit, Deo declarat ſibi eſſe animum aliquid faciendi, vel non faciendi, & ſe in hoc propoſito perſeveraturum (§. 960.), adeoque affirmat, ſe præſtiturum quod dicit. Enimvero qui hoc affirmat, fidem dat (§. 758.). Ergo qui votum facit Deo dat fidem. Servat autem fidem, qui ea facit, quæ ſe facturum, vel non facit, quæ ſe non facturum, aut etiam dat, quæ ſe daturum dicit (§. 961.). Quamobrem cum fides detur de eo, quod nos præſtituros dicimus (§. 758.); qui votum Deo facit, fidem ſuam dat de voto adimplendo ſeu ſervando.

Dare Deo fidem res ardua eſt: non minore igitur religione vovendum, quam juramentum. Immo votum proxime accedit ad jurandum. Declaramus enim Deo, nos quid facere velle & in hoc propoſito fore conſtantes, quem omniſcium eſſe novimus, ut adeo ipſi per ſe conſtet de veritate dictorum, nec alio teſte præter ſe habeat opus. Nonne igitur perinde eſt, ac ſi ipſum teſtem veritatis dictorum invocaremus? Damus Deo fidem, & hoc ipſo declaramus conſtantiam voluntatis (§. 757.). Quamobrem cum Deus non modo intima animi noſtri perſcrutetur, verum etiam futura prævideat, nonne hoc periode eſt, ac ſi ad ipſius teſtimonium de fide data a nobis non fallenda provocaremus? Novimus quoque Deum punire tam mendacium, quam fidei fallaciam. Quando igitur Deum certum ac ſecurum eſſe volumus de veritate dictorum & conſtantia animi: nonne hoc periode eſt ac ſi ipſum tanquam vindicem mendacii ac fidei fallacis invocaremus? Patet adeo voto tacite ineſſe, quæ juramento inſunt (§. 852.), conſequenter id quam proxime ad juramentum accedere.

§. 963.

Animus deliberatus ad votum requiſitus.

Votum fieri debet animo maxime deliberato. Etenim homo nil quicquam agere debet abſque animo deliberato (§. 300.). Quare nec votum facere debet abſque animo deliberato. Eſt autem ipſi negotium, dum votum facit, cum Deo omniſcio (§. 302. *part. 1. Theol. nat.*), & futurorum omnium præſcio (§. 528. *part. 1. Theol. nat.*), ac vindice malarum actionum ſeu earum, quæ legi naturæ adverſantur (§. 1080. 1081. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem votum fieri debet animo maxime deliberato (§. 387.).

Quo majus arduum fuerit negotium, eo magis eſſe debet animus deliberatus, quod nemo non concedere tenetur, qui quid ſit animus deliberatus novit (§. 387.). Oſtendimus autem (*not.* §. 962.), rem maxime arduam eſſe votum. Quamobrem hinc ſtatim intelligitur requiri ad votum animum maxime deliberatum, non modo ne quid temere voveamus, verum etiam ne vota non ſervando poſthac fidem ipſi Deo datam (§. 962.) fallamus. Quamvis enim votum concipiatur ſubinde in utilitatem hominum, mox tamen videbimus, quod primario reſpiciat Deum.

§. 964.

Voventis obligatio.

Vovens ſe Deo obligat ad votum ſervandum. Etenim pollicitator ſe interne obligat ad pollicitationem ſervandam (§. 776.), ei ſcilicet, cui quid pollicetur. Quamobrem cum votum ſit pollicitatio Deo facta (§. 960.); vovens ſe Deo obligat ad votum ſervandum.

Quodſi dicas hominem ad nihil ſeſe Deo obligare poſſe, cum jam ad omne opus bonum, quod in ipſius honorem facere poteſt, jam ſit obligatus, adeoque facere non poſſit, niſi quod eidem jam debet. Ceſſare reſpectu Dei eam rationem, qua pollicitationem a remiſſitate abſolvimus (*not.* §. 776.). Tenendum itaque, quamvis homo obligatus ſit ad omnia officia erga Deum præſtanda, quæ ab ipſo præſtari poſſunt; hoc tamen non obſtante actum quendam eligi poſſe ad reſtandum promtitudinem ſatisfaciendi officiis erga Deum in genere & officio cuidam in ſpecie, ad exemplum inprimis aliorum hominum: id quod ut rectius intelligatur, exemplo voti *Caroli* VI. Imperatoris modo allati (*not.* §. 960.) dicta illuſtrare lubet. Vovebat

Imperator, ſi Deus ipſum in peſte ſalvum ſervaret, ſe *D. Carolo Borromæo* templum extructurum, ut gratum ſcilicet animum pro beneficio divino declararet. Obligabatur Imperator ad gratitudinem erga Deum (§. 1214. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter ipſius erat ſtudere, ut ob malum depulſum promta officiorum præſtatione eidem placere ſtuderet (§. 1213. *part. 1. Jur. nat.*). Immo obligabatur alias præſertim tanquam ſuperior ſubditis ſuis exemplum gratitudinis hujus erga Deum præbere (§. 930. *p. 1. Jur. nat.*); inprimis cum eorum magna via ſit in animis hominum ad bene & recte agendum, prouti fuſe oſtendimus (§. 260. *& ſeqq. part. 1. Phil. pract. univerſ.*) & vis maxima exempli ſuperioris in animis ſubditorum, quemadmodum ſuo loco oſtendemus. Quando igitur Imperator animum gratum erga Deum teſtaturus in utilitatem aliorum hominum templum extruebat; non faciebat, niſi quod abſque voto fieri poterat ac debebat. Enimvero non opus erat, ut præciſe templi extructione gratitudinem ſuam pro depulſa peſte teſtaretur non minus beneficii divini, quam gratitudinis ſuæ pro eo præſtito memoriam in exemplum aliorum conſervaturus. Quamobrem cum vovens hunc modum conſervandi beneficii divini memoriam & teſtandi promtitudinem ſatisfaciendi gratitudini Deo debitæ eligeret; ad beneficii divini memoriam hoc modo conſervandum, & promtitudinem gratitudinem ſuam erga Deum pro eo præſtito teſtandum Deo ſeſe obligare poterat. Puto igitur abunde jam conſtare, hominem voto ſeſe obligare poſſe ad quidpiam faciendum. Nec difficulter intelligitur, quod eodem modo ſe obligare poſſit ad non faciendum. Quodſi eodem modo vota alia diſtincte quis explicare voluerit, nullus dubito fore, ut & votum animo bene concipiat, & quidnam eidem inſit penitus perſpiciat, & omne dubium de obligatione, qua Deo ex voto tenemur, protinus evaneſcat.

§. 965.

Perfidia in voti violatione admiſſa.

Quoniam vovens ſe Deo obligat ad votum ſervandum (§. 964.), adeoque fidem, quam dat (§. 962.), eidem etiam adſtringit (§. 758.), qui vero contrarium ejus facit, adeoque etiam qui non facit, ad quod faciendum fidem ſuam adſtrinxit, perfidus eſt (§. 766.); *ſi quis votum, quod fecit, non ſervat, erga Deum perfidus eſt.*

Hinc intelligitur intrinſeca turpitudo violationis votorum.

§. 966.

Vota num ſervanda.

Quoniam perfidia omnis illicita eſt (§. 774.), perfidia erga Deum illicita quoque eſſe debet, conſequenter cum perfidus erga Deum ſit, qui votum, quod fecit, non ſervat (§. 965.); *vota* omnino *ſunt ſervanda.*

Tacite intelligitur, perinde ac in juramento, promiſſionibus & fide data hic ſupponi, nihil eſſe in voto vitioſi, ob quod illicitum declarari poſſit. Quodſi enim votum fuerit illicitum, cum iſtiuſmodi votum fieri non debeat (§. 170. *p. 1. Phil. pract. univ.*), peccat quod vovens id fecit (§. 440. *part. 1. Phil. pract. univerſ.*). Enimvero peccandum denuo non eſt, ne non peccaſſe videaris. Ecquidenim abſurdius eſt, quam peccato peccati labem abſtergere velle?

§. 967.

An quis a voto ſeipſum abſolvere poſſit.

Similiter quoniam vota ſunt ſervanda (§. 966.) adeoque vovens ſe Deo obligat ad votum ſervandum (§. 962.), ab obligatione autem ſua nemo ſeipſum liberare poteſt (§. 674.); *nec qui votum fecit ab obligatione id adimplendi ſeipſum liberare poteſt.*

Si quis ſeipſum ab obligatione votum adimplendi liberare poſſet, nulla foret neceſſitas adimplendi, conſequenter obligatio foret nulla (§. 118. *p. 1. Phil. pract. univ.*): quod omnino abſurdum. Immo ſi tibi jus eſſet te ab obligatione voti liberandi, in tua libertate relictum eſſet, utrum votum adimplere velles, nec ne. Vovens adeo pro ſuo arbitrio votum omne irritum facere poſſet, ut adeo actus evaderet temerarius; a quo abſtinendum (§. 278.). Nemo itaque a voto ſeipſum abſolvere poteſt. Quamobrem denuo patet, quam ſit neceſſarium, ut vota fiant animo deliberato, ne voventes factorum pœniteat: id quod tanto magis opus eſt, cum vota adimpleri non debeant animo triſti, ut ea non adimplere malles, ſed hilari.

§. 968.

§. 968.

Vota fieri debent animo teſtandi promtitudinem ſatisfaciendi officiis erga Deum vel in genere, vel cuidam in ſpecie. Vota enim fiunt Deo (§. 960.), adeoque neceſſe eſt ut intuitu Dei facere velis, quod voves te facturum. Quod vero intuitu Dei facere debes, officium erga Deum eſt (§. 226. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter cum ad id jam naturaliter ſis obligatus (§. 225. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ad id præſtandum non demum te ipſe obliges neceſſe eſt, conſequenter Deo te obligare non potes niſi ad teſtandum promtitudinem ſatisfaciendi officiis erga ipſum in genere, vel cuidam in ſpecie. Quoniam itaque votum faciens ſe obligat Deo ad idem ſervandum (§. 964.), conſequenter ad faciendum, vel non faciendum, quod ſe facturum, vel non facturum vovet (§. 960.); vota fieri debent animo teſtandi promtitudinem ſatisfaciendi officiis erga Deum vel in genere, vel cuidam in ſpecie. *Finis votorum.*

Propoſitio præſens maximæ utilitatis eſt in doctrina votorum: vi hujus enim non modo definiendum, quid vovere licitum ſit, quid non liceat, verum etiam ea facem præfert, ut votum omne legitimum intimius perſpiciamus. Qui attenta mente recolit ea, quæ modo (*not.* §. 964.) de voto *Caroli* VI. Imperatoris inculcavimus, utilitatem propoſitionis præſentis facile perſpiciet, ad quam illuſtrandam cum exemplum iſtud abunde ſufficiat, non opus eſt ut de aliis cogitemus, quamvis nullum detur votum legitimum, quod ſimili modo explicatum eidem illuſtrandæ non inſerviat.

§. 969.

Quoniam vota fieri debent animo teſtandi promtitudinem ſatisfaciendi officiis erga Deum vel in genere, vel cuidam in ſpecie (§. 968.); *vota fieri debent de iſtiuſmodi actibus, quibus promtitudo ſatisfaciendi officiis erga Deum vel in genere, vel cuidam in ſpecie declaratur, aut cultus divinus tam externus, quam internus promovetur*, quippe qui uterque ad officia erga Deum ſpectat (§. 1231. *part.* 1. *Jur. nat.*). *Materia votorum.*

Ita vovemus actus, quibus memoria beneficiorum divinorum nobis præſtitorum conſervatur, & quibus pro beneficiis ab ipſo in nos collatis debitas gratias agendi animum ſignificamus, quibus ad cultum divinum efficimur aptiores, & quibus res ad cultum divinum deſtinantur. Quodſi officia omnia erga Deum perluſtrare animo attento libuerit, facile conſtabit, quales actus vovere detur.

§. 970.

Quoniam vota fieri debent de iſtiuſmodi actibus, quibus promtitudo ſatisfaciendi officiis erga Deum vel in genere, vel cuidam in ſpecie declaratur, aut cultus divinus tam externus, quam internus promovetur (§. 969.); *ſi Deo vovemus nos hominibus quidpiam daturos, vel facturos, id tamen fieri non debet, niſi reſpectu habito ad officium aliquod erga Deum.* *Quomodo vovemus aliis præſtanda.*

Ita vovemus certam nummorum ſummam diſtribuere inter pauperes, ſi a morbo reſtituamur, animo teſtandi gratitudinem erga Deum, quod ejus beneficio ſanitatem recuperaverimus. Niſi aliis præſtanda voventes ad officia erga Deum ſimul reſpiceremus, non Deo, ſed hominibus quid polliceremur, adeoque iſtiuſmodi pollicitatio hominibus facta votum dici non poterat (§. 960.), quemadmodum promiſſio de aliquo præſtando Titio non tibi fit, quando præſtationem iſtam non tibi, ſed Titio ipſi immediate promitto. Quando autem Deo quid pollicemur, neceſſe eſt, ut id, quod pollicemur, ipſum Deum reſpiciat; alias enim tertio promiſſio fieri poterat ſine his ambagibus &, ubi fidem tuam fortius adſtringere volueras, vel aſſeverando per Deum teſtem, vel jurejurando. Motivum aliquod eſſe debet, cur Deo quid pollicearis, quod hominibus promittere poteras. Hoc autem deſumendum eſt ab officio aliquo erga Deum, quemadmodum loquitur exemplum, quod modo dedimus.

Digitized by Google

§. 971.

Votum conditionatum & purum.

Votum conditionatum eſt, quod ſub certa conditione præſtatur. ***Purum*** autem eſt *votum*, quod præſtatur abſque conditione certa.

Ita votum *Caroli* VI. Imperatoris, de quo jam aliquoties dictum eſt, erat votum conditionatum: ſub hac enim præſtabatur conditione, ſi Deus ipſum ſalvum in peſte, quæ Viennæ graſſabatur, ſervaret. Fuiſſet autem purum, ſi hoc votum præſtitiſſet, ubi ſalvus ex peſte evaſiſſet. Similiter votum conditionatum eſt, ſi 10. aureos inter pauperes diſtribuendos voves ægrotans, ſiquidem ſanitati fueris reſtitutus: aſt ubi eoſdem voves, ubi ſanitati reſtitus fuiſti, propterea quod reſtitutus fueris, votum purum eſt.

§. 972.

Quando votum conditionatum non ſit adimplendum.

Ad votum conditionatum adimplendum non tenemur, conditione non exiſtente. Etenim ſi te hoc facturum voves ſub hac conditione, illud tibi faciendi animus non eſt niſi exiſtente conditione; minime autem, conditione non exiſtente. Cum igitur hoc voto te obliges Deo ad votum ſervandum (§. 964.); te non obligas ad hoc faciendum, quod voves, niſi exiſtente conditione. Quodſi ergo conditio non exiſtat, ad votum adimplendum non teneris.

Convenit votum quā conditionatum cum promiſſione conditionata. Quamobrem quæ de promiſſione conditionata prolixe admodum demonſtrata ſunt in capite præcedente, ea abſque difficultate ad vota quoque conditionata applicantur, ut adeo ſuperfluum exiſtimemus plura eam in rem dicere. Quemadmodum juramentum promiſſionem conditionatam non mutat in puram (§. 951.); ita nec pollicitatio conditionata, propterea quod Deo fit, in puram abit.

§. 973.

An votum de re illicita ſit licitum & validum.

Votum de re illicita illicitum eſt, ac invalidum. Etenim ſi id, quod voves, illicitum eſt, ad id omittendum lege naturali obligaris (§. 970. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum etiam Deus hominem obliget ad legem naturæ ſervandam (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*); te etiam obligat ad id, quod voves, omittendum. Quamobrem cum voto te obliges ad votum ſervandum (§. 964.), conſequenter ad faciendum id, quod voves (§. 961.); nihil quoque vovere potes, quod illicitum eſt, conſequenter votum de re illicita illicitum eſt. *Quod erat unum.*

Quoniam quod voves illicitum eſt, lege naturali, adeoque & voluntate divina (§. 277. *part. 1. Phil. pract. univ.*), obligaris ad id, quod voves, non faciendum (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum obligatio, quæ a lege naturæ venit, immutabilis ſit (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*); tu eandem voto tuo mutare nequis. Votum adeo tuum adimplendum non eſt (§. 961.), adeoque invalidum. *Quod erat alterum.*

Te obligare non potes voluntate tua ad id non faciendum, ad quod te Deus obligat, adeoque a te fieri vult: Dei enim voluntas tibi eſſe debet loco propriæ voluntatis (§. 971. *part. 1. Theol. nat.*).

§. 974.

An votum de re impoſſibili ſit validum.

Votum de re impoſſibili & vires tuas tranſcendente, vel quæ in poteſtate tua non eſt, invalidum eſt. Patet eodem modo, quo idem oſtendimus de promiſſionibus (§. 633 & *ſeqq.*).

Parum enim differt votum a promiſſione, ſi ſi rem ſpectes, quam voves. Quod per ſe repugnat, ut promitti poſſit; idem quoque per ſe repugnat voto: neque enim quis votum Deo

pia

præſtatur, quod a te fieri phyſice nequit, redditur vel in ſe, vel tibi poſſibile. Ex. gr. Si votum facis de extruendo templo, tibi autem non ſunt tantæ opes, ut templo excitando ſufficiant; votum omnino invalidum eſt; etſi pecces, quod votum feceris, quod a te adimpleri minime poſſe noveras, aut noſſe ſaltem poteras. Ex propoſitione præſente & præcedente innumeri definiuntur caſus particulares votorum invalidorum, cum actuum illicitorum, ſeu lege naturali prohibitorum magnus ſit numerus, nec minor eorum, qui vel vires tuas tranſcendunt, vel in poteſtate tua non ſunt, nec in eam venire poſſunt. Quamobrem magna circumſpectione opus eſt, ne vota faciamus, quæ a nobis adimpleri minime poſſunt.

§. 975.

Ad id, quod ex voto alteri debetur, jus perfectum is non habet. Etenim vovens te alteri quid præſtiturum, Deo polliceris quod eidem id præſtare velis (§. 960.), adeoque non ipſi hoc promittis, ut ab illo idem acceptari velis. Quamobrem cum alteri te obligare nequeas niſi promittendo (§. 393.); nec alter jus perfectum a te conſequi poſſit niſi acceptando (§. 365.); evidens eſt, ad id, quod ex voto ipſi debetur, eundem jus perfectum non habere. *An jus perfectum ei competat ad id, quod ex voto debetur.*

§. 976.

Quoniam qui jus perfectum non habet alterum compellere nequit ad quid ſibi præſtandum (§. 235. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ad id vero, quod debetur ex voto, jus perfectum tibi non eſt (§. 975.); *nec ad id, quod tibi ex voto debetur, præſtandum alterum compellere potes.* *An ad votum adimplendum alterum cogere poſſit is, cui quid ex eo debetur.*

Ejus adeo, qui votum facit, arbitrio relinquendum eſt, utrum idem adimplere velit, nec ne. Etſi enim graviter peccet, niſi adimpleat; non tamen ideo tibi jus eum ad adimplendum promiſſum compellendi competit, ne peccet. Alia nimirum quæſtio eſt, an votum non adimplendo peccetur; aliud num tibi jus ſit ad votum adimplendum alterum cogere. Hæc quidem naturaliter obtinent: non tamen ideo negatur, lege civili aliter diſponi poſſe, prouti ſuo loco conſtabit.

§. 977.

Si quod ex voto tibi debetur, is qui vovit tibi præſtare vult, tu vero idem acceptare nolis; votum pro adimpleto habetur. Etenim quando Deo te obligas ad votum ſervandum (§. 964.), te obligas, quod alteri præſtare velis, quæ ipſi polliceris (§. 961), non vero quod efficere velis, ut ab ipſo acceptetur (§. 974.). Quamobrem ſi tu præſtare vis, quod ex voto alteri debes, is autem id acceptare noluerit; quin votum a te ſit adimpletum dubitari nequit. *An a voto liberemur, ſi alter, quod ex voto ipſi debetur, id acceptare nolit.*

Minime autem hinc ſequitur, quod aliis idem præſtare debeas, veluti pauperibus dare, quod dandum erat, ſi alter, cui debetur, id acceptare nolit: neque enim hoc in voto continetur. Quodſi vero hoc facias, non vi voti facis, ſed facis potius quod ſine voto facere poteras. Utrum pie facias, nec ne, ſi feceris, in genere dici nequit. Pendet enim definitio a circumſtantiis particularibus.

§. 978.

Quod ex voto debetur, licite promittitur. Etenim quod ex voto debetur, ad id tibi jus perfectum non eſt (§. 975.), ex promiſſione autem acceptata idem conſequi potes (§. 364. 365.). Promiſſio igitur voto accedens temeraria non eſt (§. 277.), ut ideo accedere nequeat (§. 278.). Quamobrem cum tibi animus ſit ſervandi votum (§. 962. 758.), adeoque præſtandi id, quod ex voto debetur (§. 961.); nil obſtat, quo minus etiam ei, cui debetur, ad hoc præſtandum te obliges, conſequenter idem promittas (§. 393.). *An ex voto debitum promitti poſſit.*

Tan-

Tanto minus dubitari poteſt, licitam eſſe promiſſionem ejus quod ex voto debetur, ſi alter a te petierit, ut hoc facias.

§. 979.

Quando promittatur. *Si in acceptationem ejus, quod quis ex voto tuo conſequi poteſt, conſentis; hoc ipſi promittis.* Quando enim acceptat, quod ipſi te præſtiturum voviſti, ſufficienter declarat, ſe velle, ut hoc ipſi præſtes (§. 2.). Quamobrem ſi in hanc acceptationem conſentis, eandem quoque tibi eſſe voluntatem declaras (§. 658. *part. 1. Phil. pract. univ.*), cumque vi voti Deo jam ſis obligatus ad hoc faciendum (§. 964. 963.); hoc tuo conſenſu declarare intelligeris, te non modo habere animum in propoſito hoc perſeverandi, verum etiam in eum transferre jus id a te exigendi. Quamobrem cum hac declaratione voluntatis fiat promiſſio (§. 361.); ſi in acceptationem ejus, quod quis ex voto tuo conſequi poteſt, conſentis, hoc ipſi promittis.

Sane ſi nolles alteri te perfecte obligare ad id, ad quod ex voto jus peefectum non habet (§. 975.), in acceptionem conſeotire non poteras; ſed reſpondere debebas, ea non eſſe opus, cum ſufficiat te Deo teneri ad votum adimplendum & fidem Deo datam tibi ſanctioeem eſſe fide hominibus data. Niſi enim hæc fuerit ratio, quæ te a promittendo retrahere poſſit: aſſeveranter promittere non dubitabis, quod Deo pollicitus eſt. Si hærea fidem de eo adſtringere homini, de quo fidem adſtrinxiſti Deo: animum ſervandi votum non haberes. Acceptatio igitur ſine animo promittendi non intelligitur, neque etiam acceptatio alio fine fit, quam ut acceptanti obligeris ad id præſtandum, quod ex voto debea (§. 381.).

§. 980.

An votum ſoli Deo cognitum ſit adimplendum. *Votum ſoli Deo cognitum adimplendum.* Etenim voto te obligas Deo ad idem ſervandum (§. 964.), adeoque opus non eſt, ut hominibus innoteſcat, ſi validum eſſe debet. Quamobrem cum vota ſint ſervanda (§. 966.), ſervari adhuc debent, etiamſi nulli hominum, ſed Deo ſoli cognita ſint.

Sane nemo hominum, etiamſi ex voto tuo quid conſequi debet, te compellere poteſt ad votum ſervandum (§. 976.). Servandum igitur eſt intuitu Dei ſolius. Perinde igitur eſt, ſive hominibus conſtet de voto tuo, ſive hoc ſoli Deo ſit cognitum, nec per hoc, quod nemini hominum cognitum ſit mutatur voti ſervandi obligatio, quæ ab hominum notitia nullo modo dependet, quemadmodum ex demonſtratione manifeſtum eſt (§. 964.). Qui hominum ſaltem gratia votum ſervare vellet, is homines magis vereretur, quam Deum: id quod officio erga Deum e diametro repugnat (§. 1181. 839. *part. 1. Jur. natur.*).

§. 981.

An votum de re aliena ſit licitum. *Votum de re aliena non valet.* Etenim de re aliena nemo pro arbitrio ſuo diſponere poteſt (§. 147. *part. 2. Jur. nat.*), ſed ea Domino reſtituenda (§. 467. *part. 2. Jur. nat.*), adeoque illud facere, hoc non facere non licet (§. 170. *p. 1. Phil. pract. univ.*). Votum adeo, quod de re aliena fit, de re illicita fit. Enimvero votum de re illicita factum invalidum eſt (§. 973.). Ergo etiam votum de re aliena factum non valet.

Oſtenditur etiam hoc modo. Ponamus votum de re aliena factum validum eſſe. Voto igitur tuo domino dominium præter voluntatem ſuam auferre potes: quod cum ſit abſurdum (§. 338. *part. 2. Jur. nat.*), nec valere poteſt votum de re aliena factum.

Si ea eſſet votorum vis, ut domini jus, quod in ee ſua habet, extingui pee ea poſſet; quilibet licite alteri invito ſive clam, ſive vi auferre, nec rem Domino reſtituere, ſed alii, cui vellet, eam dare poſſet, modo ſe ad hoc faciendum voto obligaret.

CAPUT VI.

De modo alteri conſtituendi jus quoddam in re ſua.

§. 982.

Quinam jus alteri in re aliqua conſtituere poſſit.

D*Ominus alteri in re ſua jus quodcunque conſtituere poteſt.* Etenim dominus de re ſua & omni ejus utilitate pro arbitrio ſuo diſponere poteſt (§. 118. 136. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem a voluntate ipſius unice pendet, utrum alicui jus quoddam in re ſua conſtituere velit nec ne. Quodſi ergo velit, hoc facere poteſt. Patet itaque dominum alteri in re ſua jus quodcunque conſtituere poſſe.

Ex. gr. Tibi permiſſum non eſt ire per fundum meum ad tuum, vel haurire aquas ex puteo meo. Quodſi vero in te transfero jus per fundum meum ad tuum eundi, vel hauriendi aquam ex puteo meo; jus tibi conſtituo in fundo & puteo meo. Ego vi dominii mei ab hoc actu te excludo; ſi vero mihi lubet te non excludere, vi ejuſdem dominii hoc facere poſſum.

§. 983.

Qui non poſſit.

Nemo præter dominum alteri jus quoddam in re aliqua conſtituere poteſt. Etenim ſi dominus non es, res aliena eſt, in qua jus alteri conſtituendum (§. 146. *part.* 2. *Jur. nat.*). Sed de rei alienæ ſubſtantia, uſu & fructu pro arbitrio ſuo nemo diſponere poteſt (§. 147. *part.* 2. *Jur. nat.*). Ergo nec a voluntate tua pendet, utrum alteri in ea re jus quoddam conſtituere velis, nec ne, conſequenter tu in ea nemini jus conſtituere potes. Patet adeo, quod nemo præter dominum alteri jus quoddam in re aliqua conſtituere poſſit.

Ex. gr. Ego in te transferre nequeo jus hauriendi aquam ex puteo in fundo vicino, qui meus non eſt. Equidem ſubinde contingere poteſt, ut mihi liceat uſus rei alicujus mihi a domino conceſſi te facere participem, veluti ſi ædes conduxi & ex puteo, qui in area ſubdiali eſt, te patior, haurire aquam in uſum tuum; non tamen dum hoc facio jus quoddam tibi in puteo iſto conſtituo. Aliud enim eſt jus quoddam in re alteri conſtituere; aliud eſt uſus rei nobis conceſſi alterum domino non contradicente facere participem.

§. 984.

Modus conſtituendi jus alteri in re quadam unde definiatur.

A domini unice voluntate pendet, quomodo ſeu qua lege jus in re ſua alteri conſtituere velit, & num velit. Oſtenditur eodem prorſus modo, quo ſupra oſtendimus a domini voluntate unice pendere, utrum jus quoddam in alium transferre velit, nec ne (§. 12.) & quomodo transferre velit (§. 11.).

Relegenda hic etiam ſunt, quæ ſuperius de translatione juris cujuſcunque in alium annotata ſunt (*not.* §. 11. 12.). Sed demus exemplum. Si tibi conſtituo jus in puteo meo, ut pro arbitrio tuo aquam inde haurire poſſis; a mea voluntate dependet, utrum hoc jus tantummodo tibi competere debeat, an cuilibet futuro fundi tui poſſeſſori; an tibi hoc jus dare velim gratis, an ſub conditione viciſſim aliquid præſtandi; num jus hoc eſſe debeat perpetuum; an tibi vel poſſeſſoribus futuris competere debeat ad certum tempus; num haurire poſſis aquam, quantum libuerit, an ſaltem ad certum quendam uſum, veluti ad irrigandum hortum tuum, aut ad coquendum cereviſiam; num hoc faciendum ſit qualibet diei hora, & ita porro. Relegenda hic ſunt, quæ ſupra oſtendimus (§. 14. & *ſeqq.*).

§. 985.

§. 985.

Quantum juris in re aliena hac conſtitutione acquiratur.

Quoniam a domini unice voluntate pendet, qua lege jus in re ſua tibi conſtituere velit (§. 986.); *non plus juris in re alterius acquirere potes, quam dominus tibi in ea conſtituere voluit.*

Ex. gr. Si jus tibi competit hauriendi aquam ex puteo meo ad irrigandum hortum; non potes haurire aquam in alios uſus. Quodſi feceris ſine conſenſu meo, jure tuo abuteris mihique injuriam facis, qui hoc pati non debebam. Similiter ſi tibi competit jus hauriendi aquam ex puteo meo certa diei hora; non licet tibi eam haurire alia quacunque hora, nec ego pati teneor, ut alia haurias.

§. 986.

An promiſſione acquiratur jus in re alterius.

Sola promiſſione nondum acquiritur jus in re alterius. Etenim promiſſione tantummodo acquiritur jus ad rem (§. 784.), conſequenter etiam nonniſi jus ad jus in re aliena conſtituendum, tanquam ad rem incorporalem (§. 498. *part. 1. Jur. nat.*), adeoque nondum jus ipſum in re alterius. Quamobrem alio adhuc actu opus eſt, ut idem acquiras. Sola igitur promiſſione nondum acquiritur jus in re alterius.

Ex. gr. promitto tibi jus hauriendi aquam ex puteo meo ad irrigandum hortum tuum, & tu hoc acceptas. Acceptatione tua acquiris vi promiſſionis a me factæ jus ad jus hauriendi aquam, tanquam rem incorporalem; nondum vero id tibi competit actu. Conſentanea hæc videntur menti JCtorum Romanorum l. 36. §. 1. ff. de V. O. non tamen præſens propoſitio idem inſinuat, quod ipſis viſum eſt. Etenim nos promiſſionem ſumimus pro declaratione voluntatis de futuro (§. 361.), non vero de præſenti, quemadmodum in Jure Romano accipitur pro qualibet conventione, quando de promiſſione ſervitutis ſermo eſt. Quemadmodum enim communiter ad dominii actualem translationem requiſiverunt traditionem rerum corporalium, qua acquiritur poſſeſſio (§. 23.); ita nec rerum incorporalium, quales ſunt ſervitutes, proprietatem tranſire in alterum voluerunt abſque quaſi traditione, qua eorundem acquiritur quaſi poſſeſſio.

§. 987.

Quomodo jus in re naturaliter conſtituatur.

Naturaliter jus in re aliena ſtatim acquiris, quamprimum dominus ſufficienter declarat, tibi jus hoc competere debere & tu hoc acceptas. Etenim ſola domini voluntate ſufficienter declarata transfertur jus quoddam proprium in accipientem (§. 13.). Quamobrem quamprimum dominus declarat ſufficienter, tibi hoc jus competere debere & tu hoc acceptas; tibi quoque idem ſtatim competit, adeoque naturaliter idem acquiris, voluntate domini, quam ſufficienter declaravit, a te acceptata,

Ex. gr. Si ego dico, tibi competere debere jus hauriendi aquam ex ciſterna mea ad irrigandum hortum tuum, & tu hoc acceptas; naturaliter tibi ſtatim competit jus in iſtum uſum ex ciſterna mea aquam hauriendi, nec ad idem acquirendum alio opus eſt actu.

§. 988.

Idem porro expenditur.

Naturaliter jus in re aliena conſtituitur pacto. Etenim naturaliter jus in re aliena ſtatim acquiris, adeoque a domino tibi in ea conſtituitur, quamprimum is ſufficienter declarat, tibi jus hoc competere debere & tu hoc acceptas (§. 987.), conſequenter viciſſim declares te velle, ut hoc jus tibi competat (§. 2.). Quoniam adeo idem decernitis (§. 497. *part. 1. Theol. nat.*), qui autem idem una decernunt, inter ſe conveniunt (§. 698.); actus, quo jus in re aliena conſtituitur, conventio eſt. Enimvero dum dominus declarat, tibi hoc jus competere debere; voluntatem ſuam quoque declarat de futuro, quod nimirum in

hac

hac voluntate ſit perſeveraturus & paſſurus, ut hoc jure utaris, & in te transfert jus idem a ſe exigendi. Conventio igitur veſtra promiſſionem continet (§. 361.). Quamobrem cum conventio promiſſionem continens pactum ſit (§. 788.), ideo patet, naturaliter jus in re aliena conſtitui pacto.

Quando JCti Romani negant; promiſſione ſervitutem conſtitui; negant quoque eam conſtitui per conventionem inter vivos, ſeu pacto quodam, aut contractu, & pactum tantummodo operari volunt jus ad rem, quod promiſſioni tribuimus (§. 986). Ceterum quando jus in re pacto quodam conſtituitur, non tam ab actu promittendi, qui conventioni ineſt, acquiſitio juris iſtius dependet, quam ab actu, quo declaratur voluntas actualis translationis hujus juris in te, ab actu autem promittendi pendet obligatio transferendi quoque poſſeſſionem eamque non turbandi. Plenior hiſce lux affulget per contractus, quibus transfertur actu dominium rerum corporalium & una contrahuntur obligationes ad actus futuros.

§. 989.

Jus affirmativum eſt, quo facere quid poſſumus: *Jus* vero *negativum* eſt, quo non pati tenemur, ut alter quid faciat.

Jus affirmativum & negativum quid ſit.

Ex. gr. Jus affirmativum eſt, quo aquam ex puteo meo haurire potes ad irrigandum hortum tuum: aſt jus negativum eſt, quo pati non debes, ut vicinus quicquam faciat, quo lumina ædium tuarum obſcurantur. Ita etiam ſecuritas natura homini cuilibet competens (§. 918. *p. 1. Jur. nat.*), cum conſiſtat in non patiendo, ut quis ipſum lædat (§. 917. *part. 1 Jur. nat.*), jus negativum eſt.

§. 990.

Patientia facti alieni conſiſtit in non reſiſtentia contra factum alienum, quæ quomodocunque fieri poterat, ſive verbis, ſive factis.

Patientia facti alieni quid ſit.

Ex. gr. Si pati teneor, ut tu aquam haurias ex puteo meo, ego nec prohibere poſſum, ne facias, nec ullo alio modo facienti reſiſtere.

§. 991.

Quando jus affirmativum conſtituitur in re alterius, dominus pati tenetur, ut quid facias, quod facere alias non poteras. Etenim quando jus affirmativum tibi conſtituit dominus in re ſua, concedere tibi debet ut quid facere poſſis, quod facere antea non poteras (§. 989. *b.* & §. 120. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum hoc facis, prohibere nequit, ne facias, nec ullo alio modo facienti reſiſtere poteſt. Enimvero quando nullo modo, neque verbis, neque factis tibi reſiſtere poteſt, ne facias, pati tenetur ut facias (§. 990.). Quando igitur tibi conſtituit jus affirmativum in re ſua, pati tenetur, ut facias, quod facere antea non poteras.

Obligatio jure affirmativo in re ſua conſtituto contracta.

Ex. grat. Dominus putei pati non tenetur ut aquam haurias ex puteo ſuo in uſum tuum (§. 120. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero ſi tibi conſtituit jus hauriendi aquam ex puteo ſuo, in eodem jus affirmativum tibi conſtituitur (§. 989.), & ipſe pati tenetur, ut, quotieſcunque e re tua fuerit aquam ex puteo ejus haurire, hoc facias. Quamobrem dum jus affirmativum tibi conſtituit in re ſua; ipſe obligatur ad patiendum, ut facias, quod facere alias non poteras. Jus tuum concipi nequit ſine hac patientia domini. Quando igitur tibi concedit jus, ſe ipſum obligat ad patiendum. Immo quia ſe ad patiendum obligat, ex hac ipſa obligatione jus tuum naſcitur (§ 23. *part. 1. Jur. nat.*): niſi enim ad patiendum, ut facias, ſeſe obligaret, nec jus faciendi tibi competere poſſet. Atque adeo apparet conſtitutionem juris in re ſua differre a translatione juris ſui in alium, quippe quod ea transferente in alterum migrat, non vero mediante aliqua obligatione demum producitur.

§. 992.

Obligatio ex jure negativo in re ſua.

Quando jus negativum conſtituitur in re alterius, dominus intermittere tenetur, quod facere alias poterat. Quando enim dominus tibi conſtituit jus in re ſua negativum, tu pati non teneris, ut faciat, quod alias facere poterat (§. 989. *h.* & §. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem ſi hoc facere velit, tu hoc prohibere, aut alio quocunque modo eidem reſiſtere potes, ne faciat (§. 990.). Enimvero quando prohibere, aut alio quocunque modo eidem reſiſtere potes, ne faciat; ipſe intermittere tenetur, quod alias facere poterat. Quando igitur tibi conſtituit jus negativum in re ſua, intermittere tenetur, quod alias facere poterat.

Ex. gr. Quando dominus tibi conſtituit jus in fundo ſuo, ne luminibus tuis quomodocunque officiatur; jus hoc negativum eſt, cum pati non tenearis, ut quid faciat in fundo ſuo, quo luminibus tuis officiatur (§. 989.). Obligatur itaque ad intermittendum omne factum, quo luminibus tuis officitur. Jus igitur negativum tibi in re ſua conſtituendo contrahit obligationem intermittendi, quod alias in fundo ſuo facere poterat jure dominii. Jus tuum concipi nequit ſine intermiſſione facti jure dominii alias liciti. Quando igitur dominus tibi conceditjus, ſeipſum obligat ad non faciendum, quod alias facere potuiſſet. Immo quia ad hoc intermittendum ſe obligat, ex hac ipſa obligatione jus tuum reſultat (§. 23. *part.* 1. *Jur. natur.*).

§. 993.

Quomodo poſſeſſio juris affirmativi in re aliena acquiratur.

Quando facis, quod vi juris in re aliena conſtituti facere potes, & dominus hoc fieri patitur; poſſeſſionem juris affirmativi in re aliena acquiris. Etenim quando dominus patitur, te facere, quod vi juris in re ſua conſtituti facere potes, jus hoc tibi tradit (§. 39.), & dum tu hoc facis, patiente domino, idem apprehendis (§. 64.). Enimvero traditione transfertur (§. 23.), & apprehenſione acquiritur poſſeſſio rei incorporalis, ſeu juris (§. 32.). Quamobrem cum jus hoc affirmativum ſit, quo facere quid potes (§. 989.); poſſeſſionem juris affirmativi in re aliena acquiris, quando facis, quod vi juris in re aliena conſtituti facere potes, & dominus hoc fieri patitur.

Ita acquiris poſſeſſionem juris hauriendi aquam ex puteo meo, quando aquam hauris actu & ego hoc a te fieri patior. Primo adeo actu, quo jus tuum exerces, poſſeſſionem acquiris.

§. 994.

Quomodo poſſeſſio juris negativi in re aliena acquiratur.

Quando dominus intermittit, quod vi juris in re ſua tibi conſtituti ut faciat tu pati non debes, tu vero, ſi facere vellet non patereris ut faciat; poſſeſſionem juris negativi in re aliena acquiris. Etenim quando dominus intermittit, quod vi juris in re ſua tibi conſtituti ut faciat tu pati non debes, tu vero, ſi facere vellet non patereris ut faciat; tu jus tuum exercere, ipſe vero pati cenſendus, ut exerceas (§. 992.). Enimvero ſi dominus te jus tuum exercere patitur, idem tibi tradit (§. 39.), & dum tu patiente domino idem exerces, idem apprehendis (§. 64.). Quoniam itaque traditione transfertur (§. 23.), & apprehenſione acquiritur poſſeſſio (§. 32.); jus autem negativum eſt, quo pati non teneris, ut alter faciat, quod alias facere poterat (§. 989.); quando dominus intermittit, quod vi juris in re ſua tibi conſtituti ut faciat tu pati non debes, tu vero, ſi facere vellet, non patereris, ut faciat, poſſeſſionem juris negativi in re aliena acquiris.

Ex. gr. Si ego nil quicquam in fundo meo facere teneor, quo luminibus tuis officiatur, nec tu hoc pati teneris. Quando omne iſtiuſmodi factum intermitto, tu vero, ſi quid tale facere vellem, non patereris ut facerem, juris negativi in fundo meo acquiris poſſeſſionem.

§. 995.

§. 995.

Quando exercitium liberum juris negativi incipiat.

Quamprimum dominus intermittit, quod alias facere poterat, dum tu pati non debes, ut faciat; exercitium juris negativi liberum incipit. Etenim cum jus negativum conſiſtat in non patiendo, ne dominus faciat, quod alias vi dominii facere poterat (§. 989.); jure hoc in re aliena conſtituto, dominus intermittere tenetur, quod facere alias poteſt. Quamprimum dominus intermittit, quod alias facere poterat, dum tu pati non debes, ut faciat; ideo intermittere hoc cenſendus eſt, quia tu pati non debes, ut faciat. Quoniam itaque exercitium juris conſiſtit in actibus vi juris ei licitis, cui idem competit (§. 653. *part. 2. Jur. nat.*), adeoque exercitium juris negativi conſiſtit in intermiſſione actuum alias licitorum, quibus reſiſtere licet alteri; liberum juris negativi exercitium incipere debet, quamprimum dominus intermittit, quod alias facere poterat, dum tu pati non debes ut faciat.

Ita exercitium juris mei negativi in fundo tuo conſtituti ſtatim incipit, quamprimum tu nil facis, quod luminibus meis officere poterat, cum ego prohibere poſſem, ne faceres, aut alio modo reſiſtere facturo. Tum enim intermiſſio non amplius eſt actus, qui a libera tua voluntate, ſed qui a jure meo dependet, atque adeo ad exercitium juris mei referendus ex parte mei, quemadmodum ad obligationem tuam ex parte tui (§. 992.). Intermiſſionis dependentia a jure tuo eam efficit actum exercitii juris tui.

§. 996.

Quando acquiratur poſſeſſio juris negativi in re aliena.

Poſſeſſio juris negativi in re aliena cum ipſo jure ſtatim acquiritur. Etenim quamprimum jus negativum in re aliena acquiris, tu pati non debes, ut alter faciat, quod alias jure dominii facere poterat (§. 989.), & dominus intermittere tenetur, quod facere alias poterat (§. 992.). Quoniam igitur tum hoc facere intermittit, dum jus in re ipſius negativum acquiris, quamprimum vero intermittit, quod alias facere poterat, dum tu pati non debes, ut faciat, exercitium juris tui incipit (§. 995.); juris negativi in re aliena exercitium ſtatim incipit, quando jus iſtud acquiritur. Quamobrem cum jura nobis competentia uſu poſſideantur (§. 744. *part. 2. Jur. nat.*), jure autem tuo uteris, dum id exerces (§. 654. *part. 2. Jur. nat.*), poſſeſſio juris negativi in re aliena cum ipſo jure ſtatim acquiritur.

Vidimus jam ſuperius (§. 25.), dominium & poſſeſſionem ſimul transferri poſſe: non igitur mirum videri poteſt, quod etiam jus negativum & ejus poſſeſſio ſimul acquiratur. Enimvero quemadmodum ibidem oſtendimus, translationem dominii & traditionem non fieri uno eodemque actu, ſed duplicem actum concurrere, quando dominium & poſſeſſio ſimul acquiruntur; ita etiam hic non uno eodemque actu acquiritur jus negativum & ejus poſſeſſio, ſed poſſeſſio cum jure una acquiritur, quia actus, quo acquiritur jus, & alter; quo acquiritur poſſeſſio, concurrunt. Etenim jus ipſum negativum in re aliena pacto acquiritur (§. 988.); poſſeſſio autem intermiſſione ejus, quod alias vi dominii fieri poterat, dependenter a jure tuo non patiendi, ut fiat, facta: quæ intermiſſio cum incipiat conventione perfecta, actus, quo acquiritur poſſeſſio, cum actu, quo acquiritur jus, concurrit, aut hunc ſine ulla interruptione excipit.

§. 997.

Quando inter acquiſitionem juris & poſſeſſionis ejus mora intercedere poſſit.

Si jus in re ſua tibi conſtituit dominus affirmativum, inter acquiſitionem juris & ejus poſſeſſionis mora intercedere poteſt. Etenim jus acquiritur pacto (§. 988.), poſſeſſio autem, quando domino patiente facis, quod vi ejuſdem facere potes (§. 993.). Jus acquiſitum tibi invito auferre iterum nequit dominus (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*) conſequenter ejus exercitium tamdiu differre, adeoque ab actu vi juris iſtius licito abſtinere poteſt (§. 653. *part. 2. Jur. nat.*), quamdiu viſum

fuerit. Quoniam itaque dilatio hæc mora eſt (§. 638.) ; ſi jus in re ſua tibi conſtituit dominus affirmativum, inter acquiſitionem juris & acquiſitionem poſſeſſionis ejus mora intercedere poteſt.

Nimirum ab arbitrio acquirentis unice pendet, quandonam poſſeſſionem acquirere velit: ejus enim ſolius, non vero concedentis intereſt, ut eandem acquirat. Nihil ex mora concedenti metuendum damnum eſt. Quando acquirens in mora eſt poſſeſſionem apprehendendi, quam apprehendere poterat, utilitate quadam caret, quam habere poterat.

§. 998.

Quando poſſeſſio juris in re aliena conſtituti incipiat.

Poſſeſſio juris in re aliena conſtituti incipit cum primo actu poſſeſſorio. Jura enim nobis competentia poſſidentur uſu & facultate phyſica utendi (§. 744. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem ſi jus fuerit affirmativum, quo quid facere potes (§. 989.), actus quilibet vi ejuſdem juris editus actus poſſeſſorius eſt: &, ubi jus fuerit negativum, quo aliquid non pati teneris, ut alter quid faciat (§. 989.), quando alter facere intermittit, quod alias vi dominii facere poterat; quia tu hoc pati non debes, cum intermiſſio ſpectetur tanquam a jure tuo dependens, adeoque a tacita tua prohibitione proficiſcens, hæc ipſa quoque tacita prohibitio actus poſſeſſorius eſt. Enimvero poſſeſſio juris affirmativi acquiritur, adeoque incipit, quando domino patiente facis, quod vi juris tibi in re ipſius conceſſi facere potes (§. 993.), poſſeſſio autem juris negativi, quando dominus intermittit, quod alias facere poterat, dum tu pati non debes, ut faciat (§. 995.); poſſeſſio juris in re aliena conſtituti incipit cum primo actu poſſeſſorio.

Ante primum adeo actum poſſeſſorium dici nequit poſſeſſio turbari, quandu concedens eidem reſiſtit; ſed is potius impedit acquiſitionem poſſeſſionis.

§. 999.

An ante conditionem exiſtentem juris in re aliena conditionati poſſeſſio acquiri poſſit.

Si jus in re aliena tibi conſtituendum promittitur ſub certa conditione, & dominus antequam ea exiſtit, te facere patitur, quod vi juris iſtius facere poteras; hoc actu poſſeſſio iſtius juris non acquiritur. Antequam enim conditio exiſtit, tibi jus in re aliena, quod ſub certa conditione tibi conſtituendum promittitur, competere nequit (§. 467.). Quamobrem ſi dominus patitur ut facias, quod vi juris hujus facere poteras, non vi juris hujus hoc facis, ſed quia dominus hunc actum tibi ſine jure tuo concedit. Enimvero poſſeſſio juris in re aliena tum demum acquiritur, ſi vi juris ejuſdem facis, domino patiente, quod vi ejuſdem facere poteras (§. 993.). Ergo ſi jus in re aliena tibi conſtituendum ſub certa conditione promittitur, & dominus, antequam exiſtit, te facere patitur, quod vi juris iſtius facere poteras; hoc actu poſſeſſio iſtius juris non acquiritur.

Antequam tibi jus in re aliena competit, nec actus poſſeſſorius locum habere poteſt. Quicquid adeo fit ante conditionem exiſtentem, pro actu poſſeſſorio haberi nequit. Quamobrem cum poſſeſſio incipiat cum primo actu poſſeſſorio (§. 998.); nec cum actu ante conditionem exiſtentem poſſeſſio incipere poteſt, ſi jus conſtituendum tibi fuerit promiſſum ſub certa conditione.

§. 1000.

Idem obtinet, ſi jus in diem conſtituatur.

Si jus in re aliena conſtituendum promittitur in diem & dominus, antequam dies venit, te facere patitur, quod vi juris iſtius facere poteras; hoc actu poſſeſſio iſtius juris nondum acquiritur. Quoniam enim quod in diem promittitur, non ante exigi poteſt, quam dies venerit (§. 501.), jure quoque in re aliena conceſſo uti non potes, antequam dies venerit, conſequenter ſi domino patiente quid

facis,

facis, quod vi juris illius facere potes ante diem, actus hic nondum fit vi juris tibi conceſſi. Hinc porro patet ut in demonſtratione propoſitionis præcedentis, actu hoc poſſeſſionem juris iſtius nondum acquiri.

Quodſi iſtiuſmodi actu ante conditionem exiſtentem, vel ante diem poſſeſſio acquiri poterat, conditionata & in diem facta conventio converteretur in puram: id quod ex illo inferri nequit, propterea quod conſtituens tibi actum iſtum ex officio humanitatis concedere poteſt & conceſſiſſe præſumitur, niſi animum a ſe mutatum eſſe declaret, quod ſcilicet velit conditione licet non exiſtente, vel antequam venerit dies, jus tibi competere debere. Quamobrem hic actus minime obſtat, quo minus dominus prohibere poſſit, ne eundem repetas, ubi repetere volueris.

§. 1001.

Si jus negativum in re aliena conſtituendum fuerit promiſſum ſub certa conditione, & concedens, antequam exiſtat conditio, facere velit, quod juri tuo nullum relinquit locum; tu prohibere potes, ne faciat. Etenim ſi jus negativum in re aliena conſtituendum fuerit promiſſum ſub certa conditione; ex iſta promiſſione habes ſpem jus tibi conſtitutum iri (§. 471.), ſuo tempore jus excitaturam, ſiquidem conditio in ſe certa ſit (§. 473.). Quamobrem cum iſta ſpes tibi invito adimi nequeat (§. 477.); concedens obligatus eſt ad non faciendum quicquam, quod extante conditione juri iſto nullum relinqueret locum. Quodſi ergo tale quid facere voluerit, tu prohibere potes, ne faciat (§. 236. *p* 1. *Phil. pract. univ.*).

Jus ſingulare ex promiſſione juris in re aliena conditionata naſcens.

Ex. gr. Sub conditione certa conventum eſt, Titium luminibus tuis officere non velle. Quodſi ergo ædes ſuas altius tollere velit, ut luminibus tuis officiatur, antequam conditio exiſtat; tu hoc pati non debes, cum exiſtente conditione juri tuo tunc non eſſet locus. Quemadmodum tibi expectandum eſt, donec conſtet, utrum conditio extet, nec ne, ut certus ſis tibi jus competere; ita quoque concedenti expectandum eſt, donec conſtet, conditionem non extare, antequam facere poſſit, quod juri tibi promiſſo contrariatur (§. 478.). Ad hanc expectationem ſe obligavit, dum conditionate promiſit, adeoque juris ſui uſum ſuſpendit in eventum futurum, ut adeo non ante eodem uti poſſit, quam ſi conditio non extiterit. Medio igitur tempore perinde eſt, ac ſi jus negativum in re aliena tibi jam actu competeret. Unde in hac juris conſtitutione conventum eſſe videtur, quod jus negativum tibi ſtatim competere debeat, ſed ſiniendum, quamprimum certum ſit conditionem non extare: neque enim aliter conceſſio juris negativi in re aliena ſub certa conditione concipi poteſt. Sane niſi ita interpreteris conſtitutionem juris negativi in re aliena, nihil actum videtur, quando de jure negativo in re aliena conſtituendo convenitur ſub certa conditione. Per ſe patet, cum jus in re aliena conſtituatur pacto (§. 988.), quod promiſſionem continet (§. 738.), ad hanc juris conſtitutionem ea applicanda eſſe, quæ de promiſſione conditionata & in diem facta, immo etiam alia, quæ de promiſſione demonſtravimus, ut adeo non opus ſit prolixius ea inculcari.

§. 1002.

Quodſi in hypotheſi propoſitionis præcedentis non prohibes, ne concedens faciat, quod juri in re ſua negativo conſtituendo nullum relinquit locum; jus iſtud a te repudiatum putatur. Prohiberi enim poteras, ne faceret (§. 1001.), immo prohibere debebas, ſiquidem conditione exiſtente id habere velles. Quoniam itaque hoc non facis, ex non facto tuo colligitur, te id habere nolle. Quamobrem cum jus delatum repudietur, quod tibi delatum te habere nolle ſignificas (§. 111.), tibi autem jus, quod ſub conditione promittitur, ſub eadem defertur (§. 110. 361.); ſi in hypotheſi propoſitionis præcedentis non prohibes, ne concedens faciat, quod juri in re ſua negativo conſtituendo nullum relinquit locum; id a te repudiatum cenſetur.

Quando jus negativum conditionatum in re aliena repudiari præſumatur.

Si jus tuum conditionatum conſervare, nec ſpem ejus obtinendi, quæ tibi adimi nequit (§. 477.), abjicere velles, voluntatem tuam declarare debebas; id quod fit prohibendo, ne fiat, quod juri acquirendo nullum relinquit locum. Quando vero taces, dum voluntatem tuam ſigni-

ſignificare debes, in factum alterius tacite conſentis (§. 658. *part. 1. Philoſ. pract. univ.*): ex hoc autem conſenſu aliud colligi nequit, quam te jus conditionatum tibi delatum repudiare.

§. 1003.

Effectus juris in re ſua alteri conſtituti.

Si alteri in re tua jus quoddam conſtituis, dominium tuum imminuitur. Quodſi enim jus conſtituitur affirmativum, tibi facere conceditur, quod alias facere non poteras (§. 989.). Antequam hoc jus tibi conſtitueretur, dominus te eodem excludere poterat (§. 120. *part. 2. Jur. nat.*), adeoque permittere non debebat, ut hoc faceres; jure autem conſtituto cum permittere teneatur *per demonſtrata*, dominium ejus hac juris in re ſua conſtitutione omnino diminutum. Quodſi jus conſtituatur negativum, tu non pati teneris, ut concedens quid faciat, quod jure dominii alias facere poterat (§. 989.), adeoque de uſu rei ſuæ non amplius diſponere hac in parte poteſt pro arbitrio ſuo. Quoniam itaque dominium plenum etiam continet jus de omni uſu rei ſuæ pro arbitrio ſuo diſponendi nulla ex parte diminutum (§. 137. *part. 2. Jur. nat.*); ideo patet juris negativi in re ſua conſtitutione dominium tuum diminui.

Facile patet non qualibet juris in re ſua conſtitutione dominium æque imminui, non modo quod plus juris dominio detrahatur una conſtitutione, quam alia; verum etiam quod unum permittere alteri moleſtius accidat, quam aliud, & una utilitas, qua concedens carere tenetur, alia major ſit. Inde eſt, quod jus alteri concedendum æſtimationem recipiat, adeoque juſte ejus aliquod pretium conſtitui poſſit, prout ſuo loco clarius patebit, quando de pretio rerum tam corporalium, quam incorporalium acturi ſumus. In re per ſe manifeſta non opus eſſe judicamus, ut dictis fidem faciamus exemplis.

§. 1004.

Quale jus naſcatur ex promiſſione juris conſtituendi in re ſua.

Ex promiſſione juris in re aliena tibi conſtituendi naſcitur tibi jus alterum compellendi, ut conſtituat. Etenim ex promiſſione tibi competit jus ad id, quod promiſſum eſt, perfectum (§. 364.), adeoque promiſſorem compellere potes ut præſtet, quod ſe tibi præſtiturum promiſit (§. 236. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo promiſit, ſe tibi jus quoddam in re ſua conſtituturum eſſe; ad id conſtituendum eum compellere potes, conſequenter patet, ex promiſſione juris in re alterius tibi conſtituendi naſci jus alterum compellendi, ut conſtituat.

Equidem fieri poteſt, & forſan plerumque fieri ſolet, ut promiſſio non præcedat conventionem de jure in re aliena conſtituendo, ſed eidem inſit, ut adeo jus ſtatim conſtituatur ſine ulla mora; non tamen impoſſibile eſt, ut præcedat & inter eam ac conventionem, qua conſtituitur (§. 988.), mora quædam intercedat (§. 638.), veluti cum concedens adhuc deliberare velit, quanam ſub lege jus iſtud in re ſua tibi conſtituere velit. Atque in hoc caſu accidere poteſt, ne jus conſtituatur, ſi in eam legem etſi non iniquam conſentire nolis. Et hoc modo maxime patet, promiſſionem nudam juris conſtituendi ab ipſo pacto, quo conſtituitur, differre.

§. 1005.

Ex pacto de jure in re aliena quodnam jus naſcatur.

Ex pacto de jure in re aliena tibi conceſſo naſcitur jus concedentem ad tradendam poſſeſſionem compellendi. Etenim ex pacto dominium illius juris acquiris (§. 988. & §. 216. *part. 2. Jur. nat.*), conſequenter etiam jus poſſidendi (§. 157. *part. 2. Jur. nat.*). Quoniam itaque jus iſtud nulli tibi uſui eſt, niſi idem poſſideas (§. 747. *part. 2. Jur. nat.*); qui tibi jus in re ſua conſtituit, ſe etiam tibi obligat ad tradendam poſſeſſionem. Quamobrem ex pacto de jure in re aliena tibi conceſſo naſcitur jus concedentem ad tradendam poſſeſſionem compellendi.

Nimirum jus ante defendere non potes, niſi quando poſſides, adeoque aliud jus ex pacto, quo illud acquiris, tibi competere nequit.

§. 1006.

§. 1006.

Idem uberius explicatur.

Quoniam ex pacto de jure in re aliena tibi conceſſo naſcitur jus concedentem ad tradendam poſſeſſionem compellendi (§. 1005.), poſſeſſio autem acquiritur, ſi domino patiente facis, quod vi juris in re ipſius facere potes (§. 993.), aut quando jus fuerit negativum, ſi dominus facere intermittit, quod vi juris illius ut faciat pati non debes (§. 994.); *jus tibi competit concedentem cogendi, ut te facere patiatur, quod vi ejuſdem facere potes, aut ut intermittat, quod tu pati non debes ut faciat, prouti jus in re aliena tibi competit vel affirmativum, vel negativum.*

Quoniam poſſeſſio incipit cum primo actu poſſeſſorio (§. 998.); jus compellendi concedentem ad poſſeſſionem juris conſtituti tradendum tendit ad obtinendum primum actum poſſeſſorium. Quia vero poſſeſſio juris negativi cum ipſo ſtatim jure acquiritur (§. 996.); jus compellendi concedentem ad tradendam poſſeſſionem fere inutile videtur, niſi huc referre velis, quod concedens ſtatim a pacto inito ductus pœnitentia facere velit, quod intermittere debet.

§. 1007.

Jus defendendi jus ſibi in re aliena conſtitutum quomodo acquiratur.

Cum jure in re alterius acquiritur etiam jus idem defendendi. Quoniam enim res etiam incorporales dominio ſubjici poſſunt (§. 216. *part. 2. Jur. nat.*); quando us in re aliena acquiris, hoc dominio tuo ſubjicitur. Quamobrem cum domino competat jus rem ſuam defendendi (§. 691. *part. 2. Jur. nat.*); cum jure in re alterius etiam acquiritur jus defendendi jus in re aliena conſtitutum.

Niſi tibi competeret jus defendendi jus in re aliena tibi conſtitutum; concedens tibi ipſum adimere poſſet, quandocunque ipſi luberet; quod tamen fieri non debere abunde conſtat (§. 336. *p. 2. Jur. nat.*).

§. 1008.

Jus defendendi illius poſſeſſionem quomodo acquiratur.

Quoniam jus defendendi rem ſuam non eſt niſi jus defendendi poſſeſſionem, ne eadem exeidas (§. 710. *part. 2. Jur. nat.*), cum jure autem in re alterius acquiritur etiam jus idem defendendi (§. 1007.); *cum jure in re alterius acquiritur etiam jus defendendi poſſeſſionem.* Quia vero poſſeſſio defendi nequit, antequam eam habes; *jus* quoque *in re aliena tibi competens defendere nequis, antequam poſſeſſionem acquiſiveris.*

In rebus corporalibus id ſatis manifeſtum eſt: aſt ubi quæ de iiſdem demonſtrata ſunt, ea ad incorporales transferre volueris, acumine haud raro opus eſt, ut, quæ coincidere videntur, ea a ſe invicem diſtinguas. Non tamen inanes ſunt ſubtilitates: ſi enim jure tuo uti volueris, neceſſe etiam eſt ut idem penitus perſpicias, ne ignores, quid agendum ſit & quomodo recte agatur.

§. 1009.

Jus belli ex jure in re aliena natum.

Naturaliter tibi competit jus belli adverſus eum, qui jus in re ſua promiſſum conſtituere non vult, aut juris conſtituti tradere poſſeſſionem renuit, vel etiam jus iſtud tibi eripere, ſeu poſſeſſione ejus te dejicere conatur. Competit enim tibi jus cogendi eum, qui tibi jus in re ſua conſtituendum promiſit, ad idem conſtituendum (§. 1004.), & ubi conſtitutum, ad ejus poſſeſſionem tradendam (§. 1005.). Sed jus iſtud cogendi jus belli eſt (§. 687. *part. 2. Jur. nat.*). Ergo tibi competit jus belli adverſus eum, qui jus in re ſua promiſſum conſtituere non vult, vel conſtituti poſſeſſionem tradere renuit. *Quod erat unum.*

Simi-

Digitized by Google

Similiter competit jus defendendi jus tuum, quod in re alterius habes, & ejus poſſeſſionem (§. 1007. 1008.). Enimvero defendendo jus tuum vel ejus poſſeſſionem ei reſiſtis, ne tibi id eripiat, vel poſſeſſione ejus te dejiciat (§. 690. *part. 2. Jur. nat.*), conſequenter vi jus tuum perſequeris adverſus eum, qui tibi id eripere, vel de ejus poſſeſſione te dejicere vult. Quoniam itaque jus belli eſt, quo vi perſequeris jus tuum adverſus eum, qui tibi id tribuere non vult (§. 1103. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter qui te eodem privare, aut de ejus poſſeſſione te dejicere conatur (§. 921. *part. 1. Jur. nat.*); naturaliter tibi competit jus belli adverſus eum, qui jus in re ſua promiſſum conſtituere non vult, aut juris conſtituti tradere poſſeſſionem renuit, vel etiam jus iſtud tibi eripere, ſeu de poſſeſſione ejus te dejicere conatur.

Videmus adeo, quænam belli cauſa ex jure in re alterius vel conſtituendo, vel conſtituto provenire poſſit: id quod hic notaſſe ſuo tempore ac loco proderit.

§. 1010.

An poſſeſſor rei alienæ in ea jus alteri conſtituere poſſit.

Si jus in re conſtituitur a poſſeſſore non domino; hoc jus tamdiu durat, donec dominus rem ſuam vindicaverit. Etenim poſſeſſor rem detinet tanquam ſuam, ſive quod putet rem eſſe ſuam, ſive quod eam ab aliis pro ſua haberi velit (§. 150. *part. 2. Jur. nat.*), conſequenter de ea, quamdiu eandem poſſidet, inſtar domini diſponit. Quamdiu adeo verus dominus rem ſuam non vindicat, adeoque dominium ſuum non probavit (§. 545. *part. 2. Jur. nat.*); quicquid facit, a domino factum putatur. Quamobrem cum dominus jus alteri in re ſua conſtituere poſſit (§. 982.), ſi cui jus quoddam in re, quam poſſidet, conſtituit, id a Domino conſtitutum putatur, conſequenter is, cui conſtituitur, eodem quoque uti poteſt, ac ſi ab ipſo domino ipſi fuiſſet conſtitutum. Enimvero cum nemo præter dominum alteri jus quoddam in re aliqua conſtituere poſſit (§. 983.); jus quoque iſtud ſubſiſtere nequit, quamprimum conſtat, quinam ſit verus dominus. Quamobrem cum dominus dominium ſuum probavit, dum rem ſuam vindicavit (§. 545. *part. 2. Jur. nat.*); jus quoque a poſſeſſore non domino in re conſtitutum diutius durare nequit, quam donec dominus rem ſuam vindicaverit.

Jus, quod a poſſeſſore non domino in re conſtituitur, accurate loquendo jus non eſt (§. 983.), ſed eſſe tantummodo putatur, quia conſtituens habetur pro domino. Suſtinetur adeo opinione falſa domini conſtituentis, qua ſublata per rei vindicationem tollitur quoque jus putativum.

§. 1011.

Jus in re a domino conſtitutum an rei alienatione extinguatur.

Jus in re a domino conſtitutum ſubſiſtit, etiamſi res alienetur, niſi aliter fuerit conventum. Jus enim in re tibi conſtitutum, tibi in rem ipſam competit (§. 778.), adeoque non dependet a perſona conſtituentis. Quamobrem cum dominus tibi invito idem adimere non poſſit (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*); nec dominus, etſi jus alienandi habeat (§. 665. *part. 2. Jur. nat.*), eam alienare poteſt niſi ſalvo jure tuo. Etſi itaque res alienetur, jus tamen in ea a domino conſtitutum ſubſiſtit. *Quod erat unum.*

Enimvero a domini voluntate unice pendet, qua lege jus in re ſua tibi conſtituere velit (§. 984.). Quamobrem non repugnat ut conveniatur, jus in re ſua tamdiu durare debere, quamdiu dominium ejus ſubſiſtit, conſequenter donec rem alienaverit (§. 662. *part. 2. Jur. nat.*). Quoniam itaque non plus juris in re alterius acquirere potes, quam dominus tibi in ea conſtituere voluit (§. 985.); ſi ita fuerit conventum, nec jus acquiris in re ipſius diutius duraturum, quam donec fuerit alienatum. Jus igitur a domino in re conſtitutum non ſubſiſtit, quando ea alienatur, ſi ita fuerit conventum. *Quod erat alterum.*

Si

Si in pacto; quo conſtituitur jus in re alterius, nulla fiat mentio durationis, nec expreſſe, nec tacite, jus perpetuum intelligitur, quod adeo in rem perpetuo competit, nec ab eo ſeparari poteſt. Quamobrem nec ea res aliter alienari poteſt, quam hoc jure affecta. Cui igitur hoc jus competit, eum eodem uti patiendum eſt cuique rei poſſeſſori. Sane quomodo dominium ſalvum manet ei, cui competit, quomodocunque poſſeſſio ab uno in alterum transfertur; ita etiam jus in re ſalvum manet ei, cum in re aliena id conſtitutum, quomodocunque dominium & poſſeſſio ejus ab uno in alterum transfertur.

§. 1012.

Quid in conſtitutione juris in re ſua alienatur.

Qui jus quoddam alteri in re ſua conſtituit, is partem, vel particulam quandam dominii ſui alienat. Etenim quando jus affirmativum tibi conſtituit in re ſua, pati tenetur, ut quid facias, quod facere alias non poteras (§. 991.), conſequenter tibi interdicere nequit actu vi dominii licito (§. 990.). Quamobrem cum hoc jus domino ante competeret (§. 121. *part. 2. Jur. nat.*), tu vero jam facere poſſis, quod nonniſi dominus jure facere poterat *per demonſtrata;* partem, vel particulam quandam dominii in te tranſtulit, conſequenter eam alienavit (§. 662. *part. 2. Jur. nat.*).

Similiter quando dominus jus negativum tibi conſtituit in re ſua, tu pati non teneris, ut is quid faciat, quod alias facere poterat (§. 989.), ſeu is intermittere tenetur, quod facere alias poterat (§. 992.). Quamobrem jus quoddam in dominio contentum ſibi ademit & tuæ voluntati ſubjecit, ut tu jam de eo diſponere poſſis pro tuo arbitrio. Partem adeo, vel particulam quandam dominii revera in te tranſtulit, conſequenter eam alienavit (§. 662. *part. 2. Jur. nat.*).

Particulam; vel partem dominii quam dominus alienavit, dum tibi jus quoddam in re ſua conſtituit, non poteſt denuo alienare, dum rem alienat; ſed dum hoc facit, in alterum transfert dominium ea particula, vel parte diminutum. Quando jus quoddam in re tua alteri conſtituiſti, dominium non habes niſi imminutum (§. 1003.), conſequenter nec niſi imminutum in alium transferre potes, quia nemo in alterum transferre poteſt, niſi quod habet. Quamobrem hinc quoque patet, cur jus tuum in re alterius tibi conſtitutum ſalvum manere debeat, etiamſi res alienetur.

§. 1013.

Quale jus conſtituatur in re alterius.

Qui jus quoddam in re ſua tibi conſtituit, id pro arbitrio ſuo reſtringere ac limitare poteſt. Etenim a domini unice voluntate pendet, qua lege jus in re ſua tibi conſtituere velit (§. 984.). Quamobrem dubium non eſt, quin id pro arbitrio ſuo reſtringere ac limitare poſſit.

Hanc propoſitionem ideo addere lubet, ut appareat ratio, cur de diverſitate juris in re aliena conſtituti hic non agatur. Quæ enim ab arbitrio humano pendent unice, de his non opus eſt multa dici, præſertim cum certa, quæ inde pendent, vel ex iis intelligantur, quæ de promiſſionibus prolixe admodum demonſtrata ſunt, vel alio loco commodius tradantur.

§. 1014.

Unde id innoteſcat.

Quoniam qui jus quoddam in re ſua tibi conſtituit, id pro arbitrio ſuo reſtringere ac limitare poteſt (§. 1013.), jus autem illud conſtituitur pacto (§. 988.); *ex pacto, quo jus conſtitutum, intelligitur qua lege fuerit conſtitutum, conſequenter quomodo fuerit reſtrictum, vel limitatum.*

Pacta non continent niſi mutuas promiſſiones & earundem acceptationes (§. 788.). Quamobrem cum de promiſſionibus prolixe admodum egerimus, quæ de iis demonſtrata ſunt, ad pacta, quibus jura in re aliena conſtituuntur, facile transferuntur. Quoniam vero de variis hujus juris ſpeciebus ſuo loco ex inſtituto agendum, ſi qua in genere adhuc notanda ſint, ibidem a nobis non prætermittentur.

CAPUT VII.

De derelictione præſumta, uſucapione & præſcriptione.

§. 1015.

Quomodo rem alienam poſſidens eam acquirat.

S*I tu rem alterius poſſides & is eam derelinquit, ſtatim tua fit*. Quando enim quis rem ſuam derelinquit, ſtatim ejus dominus eſſe deſinit (§ 250. *part.* 2. *Jur. nat.*), conſequenter ea ipſius amplius non eſt. Quodſi ergo tu eandem poſſides, eam detines tanquam tuam (§. 150. *part.* 2. *Jur. nat.*), adeoque ratio nulla eſt, quæ obſtet, quo minus tua eſſe poſſit. Tua igitur eſt. Quamobrem ſi tu rem alterius poſſides & is eam derelinquit, ſtatim tua fit.

Oſtenditur etiam hoc modo. Rei derelictæ dominium acquiritur occupando (§. 252. *part.* 2. *Jur. nat.*). Enimvero qui rem poſſidet, eam detinet tanquam ſuam (§. 150. *part.* 2. *Jur. nat.*), adeoque non modo eandem redegit in eum ſtatum, quo de ea pro arbitrio ſuo diſponere, conſequenter quo ſua eſſe poſſit (§. 118. 124. *part.* 2. *Jur. nat.*), ſed etiam ipſo facto declarat, quod ſuam eſſe velit, conſequenter eam occupavit (§. 174 *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem qui rem alterius poſſidet, ejus dominium acquirit, ſi dominus eandem derelinquit. Patet itaque, ſi tu rem alterius poſſides & is eam derelinquit, eam ſtatim fieri tuam (§. 124. *part.* 2. *Jur. nat.*).

Immo oſtendi etiam poteſt hoc modo. Poſſeſſor rei alienæ rem ſuam domino reſtituere tenetur (§. 471. *part.* 2. *Jur. nat.*). Enimvero qui rem derelinquit, is eam non amplius ſuam eſſe vult (§. 249. *part.* 2. *Jur. nat.*), conſequenter hoc ipſo declarat, nolle ſe ut ea ſibi a poſſeſſore reſtituatur. Quoniam itaque reſtitutionem eidem remittis (§. 95.), poſſeſſor eam retinere poteſt tanquam ſuam. Quamobrem cum nuda domini voluntate dominium transferatur in accipientem (§. 13.); dominium rei derelictæ transfertur in ejus poſſeſſorem. Quodſi ergo tu rem alterius poſſides & is eam derelinquit, ſtatim tua fit (§. 124. *part.* 2. *Jur. nat.*).

Siquis rem ſuam derelinquit, dominium ſuum in ea retinere non vult, nec etiam vult transferre in perſonam certam, parum quippe ſollicitus, quinam eam ſuam facere velit (§. 249. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem liberum unicuique facit, ut eam occupet qui velit, quemadmodum facit qui miſſilia jactat, nec vult, ut is, in cujus poteſtatem venerit, eandem ſibi reſtituat. Derelictio igitur continet tam tacitam collationem dominii in perſonam incertam, ſi qua eam occupare velit, quam remiſſionem tacitam reſtitutionis, ſi eam occupaverit. Conſentit adeo non minus in occupationem, ſi ea adhuc a nemine occupata, dum eam derelinquit, quam in retentionem, ſi ea jam in alicujus fuerit poteſtate. Immo quemadmodum acceptatio præcedere poteſt translationem dominii & promiſſionis, quæ ordinarie eandem ſequitur; ita quoque occupatio præcedere poteſt conſenſum, etſi ordinarie hic prærequiratur. Ceterum propoſitio præſens vera eſt, ſive quis bona, ſive mala fide poſſideat, neque enim fides hic attenditur, qua quis poſſidet, quemadmodum ex demonſtrationibus liquet. Hæc tamen differentia intercedit, quod acquiſitio poſſeſſionis bonæ fidei peccato careat, ſed acquiſitio poſſeſſionis malæ fidei ſit peccato obnoxia, quamvis in utroque caſu ipſius dominii acquiſitio non adverſetur juſtitiæ.

§. 1016.

An res derelicta vindicari poſſit.

Res derelicta ab eo, qui eandem dereliquit, adverſus poſſeſſorem vindicari nequit. Etenim qui rem derelinquit, ſtatim ejus dominus eſſe deſinit (§. 250. *part.* 2. *Jur. nat.*). Enimvero jus rem ſuam vindicandi adverſus quemlibet poſſeſſorem domino competit (§. 544. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem qui dereliquit, rem eam adverſus poſſeſſorem vindicare nequit.

Vin-

Digitized by Google

Vindicatio rei ex dominio oritur, & ab eo ſeparari nequit, quemadmodum ex demonſtratione juris rem ſuam vindicandi domino competentia manifeſtum eſt (§. 554. *p. 2. Jur. nat.*) & ex ipſa ejus definitione liquet, cum non vindicetur niſi res ſua (§. 543. *part. 2. Jur. natur.*), ut ideo dominium ſuum probare teneatur, qui rem vindicare voluerit (§. 445. *p. 2. Jur. nat.*). Tranſit igitur hoc jus una cum dominio in eum, qui efficitur rei dominus, nec rei vindicatio retineri, dominium transferri poteſt. Qui dominium acquirit, jus rem vindicandi acquirit, quod tamdiu manet ſuum, quamdiu res ſua manſerit. Nec quicquam refert, quod te pœniteat derelictionis: pœnitentia enim tuum iterum facere nequit, quod tuum eſſe deſiit, nec alteri auferre poteſt dominium, quod acquiſivit, cum factum infectum reddere non poſſit.

§. 1017.

Rei, cujus derelictio præſumitur, dominium occupando acquiritur. Quamprimum enim res a domino derelicta præſumi poteſt, pro re nullius habenda (§. 265. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum occupando acquiratur dominium rerum, quæ nullius ſunt (§. 174. 178. *part. 2. Jur. nat.*); rei, cujus derelictio præſumitur, dominium occupando acquiritur.

Num ex derelictione præſumta dominium acquiri poſſit.

Oſtendimus rei derelictæ dominium occupando acquiri, ex eo, quod ſint nullius (§. 252. *part. 2. Jur. natur.*). Quamobrem cum in negotiis humanis admittendum ſit, ut res quarum derelictio præſumitur, habeantur pro rebus nullius (§. 265. *part. 2. Jur. natur.*); admittendum quoque eſt, ut earum dominium occupando acquiratur.

§. 1018.

Quod in caſu dubio, quando certitudo haberi nequit, præſumitur, id in negotiis humanis contra eum pro vero habetur, contra quem fit præſumtio. Quando enim certitudo haberi nequit, & tamen aliquid ſtatuendum, in probabilibus acquieſcendum (§. 574. 578. *Log.*). Quamobrem cum præſumatur, quod in caſu ſingulari dubium probabiliter colligitur (§. 244. *part. 2. Jur. nat.*); quando in caſu dubio certitudo haberi nequit, in eo acquieſcendum eſt in negotiis humanis, quod recte præſumitur. Quoniam itaque quod præſumitur ſumitur tanquam verum contra eum, adverſus quem fit præſumtio (§. 247. *part. 2. Jur. nat.*); quod in caſu dubio, quando certitudo haberi nequit, præſumitur, id in negotiis humanis contra eum pro vero habetur, contra quem fit præſumtio.

Præſumtionis in negotiis humanis neceſſitas.

Nemo negare poteſt, propoſitionem præſentem tanquam principium in Jure naturæ eſſe admittendam, niſi omne jus externum, quod viget inter homines, ex Jure naturæ eliminare & pro mere civili habere velit. Sane hoc principio nititur validitas omnium pactorum & contractuum, inprimis quaſi contractuum, nititur etiam multarum rerum acquiſitio originaria. Qui adeo negare non auſit, ea eſſe juris naturalis; huic etiam principio in Jure naturæ locum concedere tenetur & juris naturalis ea eſſe agnoſcere debet, quæ firmiter ex eodem concluduntur. Aſt ne quid dubii ſupereſſe poſſit, paulo uberius ea, quæ modo diximus, declaranda ſunt. Oſtendimus ſupra (§. 427), quod quis ſufficienter indicavit, quando ad verum dicendum obligatur, id adverſus eum pro vero haberi, ac inde intulimus, quod promiſſor ſufficienter indicat, id contra ipſum pro vero haberi (§. 428.). Ecqnie adeo hebes eſt, ut non videat, hic pro vero haberi contra loquentem, quod præſumitur, ubi certitudo haberi nequit? Etenim quando quis ad verum dicendum obligatus eſt, non minus fieri poteſt, ut mentiatur (§. 187.), quarum ut verum moraliter loquatur (§. 150). Utrum horum obtineat, certo conſtare nequit. Quodſi enim dicas, veritatem dictorum aſſeverendo, vel juramento probari poſſe (§. 851. & *ſeqq.*); nonne denuo fieri poteſt, ut aſſeveratio ſit falſa (§. 851.), & ut pejeretur (§. 926.)? Quando igitur contra aſſerentem pro vero habetur quod ſufficienter indicet, nonne præſumitur, quando in caſu dubio certitudo haberi nequit, in gratiam certitudinis negotiorum humanorum, eum verum moraliter loqui, quando ad moraliter verum loquendum obligatur? Et nonne ſimiliter præſumitur aſſeverantis dicta eſſe vera, nec jurantem pejerara? Cum nemo alteri ſeſe perfecte obligare poſſit nonniſi promittendo (§. 3,3.), contra promiſſorem vero pro vero habetur, quod ſufficienter indicat (§. 428.); nonne hoc modo labefactabitur omnis obligatio naturalis, quæ ab hominibus contrahitur? Quæ neceſſitas imperet, ut ea fiant, quæ vi juris naturalis fieri vel debent, vel fieri poſſunt; ea omnino juris naturalis eſſe firmiter tenendum. Ex jure igitur naturali proſcribi nequit præſumtio veritatis in eo caſu, quo quis ad verum dicendum obli-

obligatur, ut jura hominum fiant certa, quia opponis in pœnam mendacii eſſe ſtatutum, ut contra aſſerentem pro vero habeatur, quod ſufficienter indicas, quando ad verum dicendum obligatur, & hinc infers inventum eſſe civile, modum ſeſe obligandi promittendo, adeoque obligationem contrahendi per pacta ſeu contractus. Quodſi damnum mendacis, quod ex mendacio emergit, habendum pro pœna, cum hoc ipſi recte imputetur (§. 128 *p. 1. Phil. pract. univ.*), annon perinde pro pœna naturali haberi poteſt (§. 306. 527. *p. 1. Phil. pract. univ.*), immo debet, ac pro civili, utpote cui locus eſt in omni actione legi naturæ contraria (§. 305. *part. 1. Phil. pract. univ.*)? Et quando dicimus, mendacem ſibi imputare debere, quod damnum incurrat, quando mentitus, dum verum loqui tenebatur, nonne hoc ipſo damnum iſtud pro pœna mendacii naturalis declaramus? Probe hæc perpendi velim, ne veritas eorum, quæ mox oſtendentur, ſuſpecta videatur ob rationes ab iis afferri ſolitas, qui contrarium aſſerunt. Sed diſertius quoque doceri convenit, quod in modo acquirendi originario principio huic ſit locus. Quando avis ex cuſtodia tua avolat, quæ ab aliis ejus ſpeciei diſcerni nequit, & avis quædam ejus ſpeciei capitur; dubium omnino eſt, utrum ea ſit avis tua, nec ne, neque fieri poteſt, ut certo definiatur, utrum horum verum ſit. Nonne igitur præſumtioni locus concedi- tua, dum ea pro re a te derelicta habetur (§. 268. *part. 2. Jur. natur.*), & ideo contra te pro vero habetur, te dominium in ea animo non retinuiſſe, quamvis idem retinere malle videaris (§. 249. *part. 2. Jur. nat.*). An vero dicendum erit, pro vero contra te non haberi, te dominium in ave, quæ avolavit, retinuiſſe, ideo dominium tribui occupanti in pœnam negligentiæ, quod ſcilicet avem tuam non diligentius cuſtodiveris, & hinc porro inferendum, inventum eſſe civile, quod occupatione acquiratur dominium ejus etiam avis, quæ ex cavea tua evolavit? Jure naturali igitur, quando avis, tibi ne quidem diſcernibilis, ex cavea tua avolavit, imponenda erat neceſſitas vel avis ejus ſpeciei captæ dominium in dubio relinquendi, quod ſane idem foret, ac toto aliquo tempore ab avibus ejus ſpeciei capiendi prorſus abſtinendi, vel tecum tranſigendi, ne invitus in dubio dominium avis tuæ amitteres. Ecquis vero erit, qui hoc aſſerere auſit? Sublata itaque præſumtione, omnia propemodum tollitur in jure externo certitudo, quod tamen certum eſſe maxime intereſt generis humani. Clarius hæc patebunt in applicatione juris naturalis ad gentes.

§. 1019.

Derelictio rei quando adverſus dominum pro vero habeatur. Quoniam in caſu dubio, quando certitudo haberi nequit, id pro vero habetur, quod præſumitur, contra eum, contra quem fit præſumtio; *ſi conſtare certo nequit, quando intererat ut conſtaret, num dominus rem ſuam dereliquerit derelictio tamen præſumitur, quod eam dereliqueris contra ipſum pro vero habetur.*

Certitudo dominiorum, de qua conſtare debet, haud raro exigit, ut conſtet, utrum dominus, ſi forſan non dominus rem poſſideat, eam dereliquerit, nec ne. Quando igitur certo de eo conſtare nequit, quod præſumitur adverſus ipſum pro vero habetur, nimirum quod rem dereliquerit. Recte omnino hoc fieri, patet per ea, quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus. Probe autem notandum eſt, non ideo pro vero haberi, quod dominus rem ſuam dereliquerit, quia ignoratur, num dereliquerit; ſed rationes probabiles adeſſe debere, ex quibus derelictio præſumitur, quando impoſſibile eſt, ut de vera domini voluntate certi quid conſtet.

§. 1020.

Dominii ex præſumta derelictione rei acquiſitio. *Si quis rem ſuam dereliquiſſe præſumitur, quando conſtare debet, num eam dereliquerit, qui eam poſſidet, dominus ejus fit;* ſeu *res, quam dominus dereliquiſſe præſumitur, fit poſſeſſoris.* Etenim ſi derelictio præſumitur, quando certo conſtare nequit, utrum dominus rem ſuam dereliquerit, nec ne, conſtare tamen debebat; contra eum pro vero habetur, quod dereliquerit (§. 1019.). Enimvero ſi dominus rem ſuam derelinquit, qui eam poſſidet, ſtatim fit ejuſdem dominus (§. 1015.). Ergo etiam qui rem poſſidet, dominus ejus fieri debet, ſi qui erat dominus eandem dereliquiſſe præſumitur, quando conſtare debet, num eam dereliquerit.

Volo tibi vendere agrum, quem poſſideo. Intereſt tui, ut conſtet, utrum egò ſim dominus, nec ne, conſequenter num a domino poſſeſſionem nactus. Quoniam hoc probatu impoſſibile, recte tamen præſumitur, ſi vel maxime a non domino poſſeſſionem fuerim nactus, dominum tamen eandem dereliquiſſe, me ex derelictione hac præſumta dominium acquiſiviſſe dicendum. Te igitur rem a domino emere certus eſſe potes. Quodſi adeo ad hunc caſum animum,

prout

prout fieri debet, attendas; haud difficulter perſpicies non minorem adeſſe neceſſitatem, ut præſumta voluntas in derelictione rei admittatur, quam ut in promiſſione valeat præſumta veritas dictorum, ſine qua valide promitti nil poterat.

§. 1021.

Dominii acquiſitio ex derelictione rei præſumta dicitur *Uſucapio*. *Uſucapio*

Modeſtinus l. 3. ff. de uſurp. & uſucap. uſucapionem definit per adjectionem, ſeu ut *Ulpianus* legit, adeptionem dominii per continuationem poſſeſſionis temporis lege definiti. Enimvero hæc definitio non contrariatur ei, quam juxta mentem *Grotii* de J. B. & P. lib. 2. c. 4. dedimus, modo notes *Modeſtinum* exprimere modum præſumtionis, & ab illa ſepares, quod civile eſt. Nimirum ex lege duodecim tabularum derelictio præſumi debet ex continuatione poſſeſſionis per certum tempus, quod quantum eſſe debeat eadem lege definitur, atque continuatio poſſeſſionis temporis lege definiti civile quid eſt. Et quatenus derelictio præſumenda eſt ex poſſeſſione per tantum præciſe tempus continuata, quantum lege civili præſcribitur; uſucapio modus acquirendi civilis eſt. Hoc autem minime obſtat, quin dominii acquiſitio ex derelictione rei præſumta, demto eo, quod additum eſt lege civili, ſit modus naturalis acquirendi dominium, quemadmodum in anterioribus adſtruximus. Novi equidem non deeſſe haud paucos, qui aſſeveranter affirmant tam certum eſſe, uſucapionem non eſſe juris naturalis, quam quod eſt certiſſimum; ſed hi ſunt, qui animum ad definitionem *Modeſtini* attendentes omnem aciem in tempus unice convertunt, per quod continuari debet poſſeſſio, ut dominium a poſſeſſore acquiratur, ac hinc inferunt, quaſi tempori ea tribuenda ſit vis, ſiquidem uſucapio juris naturalis eſſe debeat, ut poſſeſſionem efficiat validam ad dominium acquirendum. Sola poſſeſſione non acquiri dominium nemo eſt, qui non ultro concedat, modo non ignoret, quid ſit poſſeſſio, quid dominium, & quænam inter utrumque differentia intercedat. Nemo etiam eſt, qui non æque largiatur, tempus nullum producere poſſe effectum juris, conſequenter ſi poſſeſſio per ſe dominium conferre nequit, nec eam vim a tempore accipere poſſe. Quamobrem omnino a ratione alienum eſt, eam vim tempori tribuere. Sed nemo quoque ſanus hoc ſtatuet. Quæſtio enim de eo eſt, an rationi, conſequenter juri naturali (§. 259. *p. 1. Phil. pract. univ.*), conſentaneum ſit, derelictionem præſumi, & cum derelictioni præſumtæ id tribui poſſit, quod efficit derelictio, quando certa eſt. Alia deinde quæſtio eſt, quid de modo præſumendi derelictionem ſtatuendum ſit in jure civili, ne is litibus inextricabilibus implicetur. In lege duodecim Tabularum uſucapio valide reſtricta erat tum quoad objectum, tum quoad ſubjectum, tum etiam quoad modum uſucapiendi. Enimvero cum hæc ſint mere civilia, de iis dicere non eſt hujus loci. Neque noſtrum eſt dicere de mutationibus, quas uſucapio ſubiit in Jure Romano.

§. 1022.

Quoniam res etiam incorporales dominio ſubjici poſſunt (§. 216. *part. 2. Jur. nat.*), uſucapione autem rerum dominium acquiri poteſt (§. 1021.); *non minus rerum incorporalium, quam corporalium dominium uſucapione acquiri poteſt, ſeu non minus res corporales, quam incorporales uſucapiuntur*. Cum res corporales vel mobiles ſint, vel immobiles (§. 148. 149. *part. 2. Jur. nat.*); *res tam mobiles, quam immobiles uſucapiuntur*. *Objectum uſucapionis.*

Non igitur hic attenditur differantia, quæ in Jure Romano ſive antiquo, ſive novo traditur, quippe quæ mere civilis eſt.

§. 1023.

Quoniam naturaliter res, quæ derelicta præſumitur, fit poſſeſſoris (§. 1020.), res autem uſucapitur, cujus dominium ex derelictione præſumta acquiritur (§. 1021.); *uſucapio eſt modus acquirendi naturalis*. *An uſucapio ſit modus acquirendi naturalis.*

Cur in Jure Romano dicatur modus acquirendi civilis ex iis patet, quæ ad definitionem uſucapionis annotavimus (*not.* §. 1021.).

§. 1024.

§. 1024.

Præſcriptio eſt amiſſio juris proprii ex conſenſu præſumto.

Præſcriptio quid ſit.

Ita præſcriptionem definimus, ut ea ſit juri naturali conſentanea, nec a ſignificatu, quem a prima origine in Jure Romano habuit, abhorreat. Quoniam enim in lege duodecim tabularum uſucapio valde reſtricta erat, prætori autem, cum in liberrima Rep. poteſtas legiſlatoria eſſet penes populum, in lege nil quicquam mutare licebat, ipſius tamen erat præſcribere actionem in foro litigaturis; ideo prætor ex æquitate jus agendi, veluti vindicandi rem ſuam, adimebat domino, cui lex per uſucapionem in aliis caſibus adimebat ipſum dominium. Agere adeo volentem poſſeſſor vi præſcriptionis repellebat, quæ adeo pariebat exceptionem, atque hoc modo ſecurus erat de poſſeſſione, etſi non haberet dominium, quod parit rei vindicationem (§. 544 *part. 2. Jur. natur.*), conſequenter ſi res veniſſet in alterius poteſtatem, eam vindicare non poſſet. Uſucapio itaque tribuebat dominium; præſcriptio auferebat alteri jus agendi adverſus poſſeſſorem. Quamobrem a ſignificatu, quem vocabulum a prima origine in Jure Romano habuit, minime abhorret, quod præſcriptionem definiamus per amiſſionem juris. Enimvero ſicuti dominium uſucapiendo acquiritur naturaliter ex derelictione præſumta (§. 1021.), quæ conſenſum præſumtum continet, quemadmodum mox clarius patebit; ita etiam præſcriptio naturaliter ex conſenſu præſumto deſcendit. Immo quando lex poſitiva declarat, quanto tempore poſſeſſor rem uſucapere vel præſcribere debeat; ipſa derelictionem, vel conſenſum præſumit. Poſtquam imperium a Romanis translatum fuerat in Imperatores, ut jam hi leges ferre poſſent; *Juſtinianus* præſcriptionem longi temporis, quæ dicebatur, uſucapioni æquiparabat. Atque ea de cauſa factum eſt, ut vocabula uſucapio & præſcriptio promiſcue uſurpentur. Sed cum in ſyſtemate Juris naturæ, in quo ea, quæ Juris naturæ ſunt, demonſtrari debent, non admittatur promiſcue iſtorum vocabulorum uſus; nos vocabulis iſtis non utemur niſi in eo ſignificatu, quem in definitionibus ipſis tribuimus.

§. 1025.

Conſenſus rem ſuam derelinquentis in dominii acquiſitionem ab alio.

Qui rem derelinquit, in acquiſitionem dominii ab alio tacite conſentit. Qui enim rem ſuam derelinquit, eam non amplius ſuam eſſe vult, parum ſollicitus, quinam eandem ſuam facere velit (§. 249. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum rei derelictæ dominium occupando acquiratur (§. 252. *part. 2. Jur. nat.*) & poſſeſſor ejus ſtatim fiat ejuſdem dominus, quamprimum derelinquitur (§. 1015.); qui rem derelinquit, hoc ipſo facto declarat, ſe velle, ut is ſit dominus, qui eam occupaverit, vel jam poſſidet. Quamobrem qui rem derelinquit, in acquiſitionem dominii ab alio tacite conſentit (§. 660. *part. 2. Phil. pract. univ.*).

Si qui rem derelinquit, nollet alium ejus dominium acquirere poſſe, eam deſtruere deberet, ſiquidem eandem in poteſtate ſua haberet, vel eam vindicare ac poſtea deſtruere deberet, ſiquidem ea in alterius eſſet poteſtate, conſequenter eam derelinquere non poſſet.

§. 1026.

Quando dominium acquiratur conſenſu domini præſumto.

Quoniam qui rem derelinquit, in acquiſitionem dominii ab alio conſentit (§. 1025.); *qui rem derelinquere præſumitur, in acquiſitionem dominii ab alio conſentire præſumitur*, conſequenter *qui dominium acquirit ex derelictione præſumta, is idem acquirit præſumto ejus, qui dominus erat, conſenſu.*

Atque adeo patet, acquiſitionem dominii ex derelictione præſumta non repugnare principio juris naturalis, quod nemini invito dominium auferri poſſit (§. 338. *part. 2. Jur nat.*). Qui enim ex derelictione præſumta dominium acquirit, non habet animum invito auferendi dominium, ſed pro vero habet, & recte habet (§. 1019.), quod in acquiſitionem dominii conſentiat, & voluntate ipſius efficiatur dominus, cum ubi derelictio recte præſumitur, in acquiſitionem dominii ab alio conſentire debeat. Quamobrem mihi non probatur, quando dicitur æquitati in genere ſcriptæ rigorem in ſpecie ſcriptum præferendum eſſe, ac proinde etiam æquitati illi, quæ vult neminem cum alterius damno locupletari, ac nemini dominium ſuum auferri invito debere, præferendum eſſe rigorem juris præſcribendi. Magis placet, quod cum veritate magis conſentit, quando dicitur, quod domini quaſi permiſſu & voluntate compleri intelligatur uſucapio.

§. 1027.

Num dominus in uſucapionem conſentiat.

Uſucapio fit præſumto domini conſenſu. Etenim dominium uſucapiendo acquiritur ex dereliĉtione præſumta (§. 1021.). Sed qui dominium ex dereliĉtione præſumta acquirit, is idem acquirit præſumto ejus, qui dominus erat, conſenſu (§. 1026.). Quamobrem patet uſucapionem fieri præſumto domini conſenſu.

In uſucapione itaque non ſupponitur, dominium abſque domini conſenſu tranſire debere in alium, quaſi ipſi invito ſit adimendum & ademtum alteri adjiciendum: id quod utique juri naturali repugnaret (§. 338. *p. 2. Jur. nat*), & uſucapionem efficeret eidem contrariam. Et quamvis determinationes civiles uſucapionis videantur domino invito auferre dominium & id adjicere poſſeſſori; patebit tamen ſuo loco in ſtatu civili, quem ſolum reſpicit uſucapio civilis, id fieri poſſe ipſo jure naturali non repugnante.

§. 1028.

Amiſſio præſumta vindicationis rei.

Qui rem dereliquiſſe præſumitur, jus quoque eam vindicandi amiſiſſe præſumitur. Qui enim rem derelinquit, is eam vindicare nequit adverſus ejus poſſeſſorem (§. 1016.), conſequenter jus eam vindicandi amittit. Quamobrem qui rem dereliquiſſe præſumitur, jus quoque eam vindicandi amiſiſſe præſumitur.

Cum rem derelinquens eam nolit amplius eſſe ſuam (§. 249. *part. 2. Jur. nat.*); reſervatio juris vindicandi rem ſuam cum voluntate derelinquentis pugnat (§. 543. *part. 2. Jur. nat.*). Quoniam igitur nemo contradictoria velle præſumitur, nec præſumi poteſt, te rem tuam dereliquiſſe, jus tamen eam vindicandi tibi reſervaſſe. Quodſi dicas, poſſe quem rem ſuam derelinquere ea lege, ne fiat alterius, ſed ut maneat nullius, cum dominus de re ſua pro arbitrio diſponere poſſit (§. 118. *part. 2 Jur. nat.*); cum ſibi adhuc reſervet aliquod jus de re iſta diſponendi, nimirum prohibendi, ne quis eam faciat ſuam dominium in ea adhuc revera retinet (§. *cit.*), conſequenter eam adhuc ſuam eſſe vult: vult enim adhuc rei proprietatem competere, cum nemo eandem ſe invito ſuam facere debeat (§. 663. 131. *part. 2. Jur. nat.*), & cum pati nolit, alium eadem uti frui, de uſu etiam & fructu rei diſponendi jus ſibi reſervat, conſequenter jus utendi ac fruendi (§. 135. *p. 2. Jur. nat.*). Reſervat igitur ſibi dominium plenum (§. 137. *part. 2 Jur. natur*). Ecquis vero dicet, ſe rem derelinquere, ſed dominium plenum ſibi reſervare, niſi qui abſonum dicere velit (§. 249. 250. *p. 2. Jur. nat.*).

§. 1029.

Quando conſenſu in amiſſionem vindicationis rei præſumatur.

Qui rem derelinquere præſumitur, in amiſſionem juris eam vindicandi conſentire præſumitur. Qui enim rem derelinquit, eam adverſus poſſeſſorem vindicare nequit (§. 1016), conſequenter dum eam derelinquit, ipſo facto declarat, ſe eam vindicare nolle, adeoque in amiſſionem juris vindicandi tacite conſentit (§. 660. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem quando rem derelinquere præſumitur, in amiſſionem juris eam vindicandi conſentire præſumitur.

Illuſtrant propoſitionem præſentem, quæ ad præcedentem modo annotavimus (*not.* §. 1028.).

§. 1030.

Quando vindicatio rei præſcribatur.

Quando res uſucapitur, jus eam vindicandi domino præſcribitur. Etenim quando res uſucapitur, dominium ejus acquiritur, quia dominus eam dereliquiſſe præſumitur (§. 1021.). Enimvero qui rem derelinquere præſumitur, in amiſſionem juris eam vindicandi conſentire præſumitur (§. 1029.), conſequenter quoniam cum dominio amittitur jus eam vindicandi (§. 1016.), quando res uſucapitur, dominus in amiſſionem juris eam vindicandi conſentire præſumitur. Cum itaque jus vindicandi rem domino præſcribatur, quando idem conſen-

ſenſu præſumto amittit (§. 1024.); quando res uſucapitur, jus eam vindicandi domino præſcribitur.

Præſcriptio igitur vindicationis rei ineſt uſucapioni; ita ut qui rem uſucapit, jus quoque eam vindicandi domino præſcribat, & uſucapio rei ac præſcriptio juris eam vindicandi fiant ſimul uno eodemque actu. Atque ita intelligitur, quomodo differant uſucapio & præſcriptio. Nimirum uſucapio cum dominio tibi tribuit jus eam vindicandi, ubi ea in alterius poteſtatem quomodocunque venerit (§. 544. p. 2. *Jur. nat.*); præſcriptio autem adimit domino anteriori jus eam vindicandi. Atque adeo uſucapio dominium tuum reddit certum; præſcriptio autem ſecuritatem præſtat poſſeſſioni.

§. 1031.

In uſucapione num dominium præſcribatur.

In uſucapione dominium domino præſcribitur. Etenim in uſucapione dominium acquiris conſenſu domini præſumto (§. 1027.), adeoque is idem amittit conſenſu præſumto. Quoniam itaque jus proprium ei præſcribitur, qui conſenſu præſumto idem amittit (§. 1024.); dominium autem jus proprium eſt (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*); in uſucapione dominium domino præſcribitur.

Hanc propoſitionem ideo addere lubet; ut appareat, quo ſenſu res præſcribi dicantur. Nimirum quando præſcribi dicuntur, dominum reſpicimus, qui eam derelinquendo dominium amittit: aſt quando uſucapi dicuntur, reſpicimus eum, qui dominium rei derelictæ acquirit. Aliud autem cum ſit dominium rei derelictione amittere, aliud vero rei derelictæ dominium acquirere; præſcriptio rei ab uſucapione ejuſdem hoc etiam ſenſu adhuc differe, nec idem prorſus dicit, qui rem uſucapi & qui eam præſcribi dicit. Ceterum hinc quoque patere poterat, in uſucapione jus vindicandi præſcribi; quia jus vindicandi dominio ita cohæret, ut hoc ſine illo præſcribi nequeat, etſi illud ſine hoc præſcribi poſſit. Poſterius fecit prætor; prius *Juſtinianus*, dum præſcriptionem longi temporis uſucapioni æquiparavit. Propria tamen loquendo præſcriptione dominii res non uſucapitur, quamvis uſucapione præſcribatur dominium. Etenim quando dominium præſcribitur, dominus ob conſenſum præſumtum idem amittit. Sed propterea quod ego dominium amitto, tu nondum idem acquiris, conſequenter uſucapis (§. 1021.). Quando vero tu rem uſucapis, ego neceſſario dominium amitto, retinere minime poſſum. Uſucapio itaque ſimul actus eſt, quo dominium & tibi acquiritur, & mihi præſcribitur.

§. 1032.

Præſumtio abſoluta & conditionalis.

Præſumtio abſoluta eſt, qua quod præſumitur pro vero haberi lex præcipit. *Conditionalis* vero eſt præſumtio, qua quod præſumitur, tamdiu pro vero habendum, donec contrarium probetur. Præſumtio abſoluta coincidit cum ea, quæ ab Interpretibus Juris vocatur *Præſumtio juris & de Jure*, conditionalis vero cum ea, quæ *Præſumtio Juris* ab iiſdem appellatur. Addunt illi tertiam præſumtionis ſpeciem, quam *Præſumtionem hominis* vocant, quæ fit ab homine, veluti a judice, ubi lex tale quid præſumi non ſtatuit. In Jure naturæ præſumtio juris & præſumtio hominis non differunt: neque enim in eodem admittuntur præſumtiones, niſi quæ hoc jure probantur. Probantur autem omnes, quæ rationi conſentaneæ.

Præſumtio ab Interpretibus Juris Romani dividi ſolet in præſumtione Juris & de Jure, præſumtionem juris & præſumtionem hominis. *Bayerus* in ſuis Poſitionibus Juris præſumtionem juris & præſumtionem hominis non differre ſtatuit. Enimvero nulla differentia eſt, quemadmodum diximus, in Jure naturæ, ut adeo hic ſuperfluum, nec ullius utilitatis foret diſtinctio inter præſumtionem juris & præſumtionem hominis: ſed in Jure civili omnino admittenda eſt differentia. Noſtrum tamen non eſt diſputare de eo, quod in Jure naturæ nullam habet utilitatem. Ipſa autem lege naturali conſtituta eſt differentia, quæ inter præſumtionem juris & de jure atque inter præſumtionem juris intercedit, nimirum ut præſumtio eidem probata vel excludat probationem contrarii, vel eandem admittat, conſequenter ut quod præſumitur vel abſolute pro vero habeatur, vel pro vero habeatur tamdiu, donec contrarium probetur, adeoque non habeatur pro vero, niſi ſub hac conditione, niſi contrarium probetur. Præſumtio itaque in Jure naturali commodiſſime dividitur in abſolutam & conditionalem. Et di-

Digitized by Google

diviſione uſus eſt *Huberus* in Præl. J. C. ad titul. 3. lib. 22. ff. §. 18. Quamobrem multo minus reprehendi poterit, quod nos in Jure naturæ miſſa communi præſumtionum diviſione eandem amplectamur. Ceterum ex iis, quæ ſequuntur, conſtabit, Juri naturæ convenire hanc diviſionem præſumtionis, & eam inprimis maximi momenti eſſe in præſenti doctrina, ita ut abſque ea penitus intelligi non poſſit. Præſumtionum theoria generalis ad Logicam probabilium ſpectat, qualem nos animo concepimus. Quamobrem ſi ea non adhuc eſſet in deſideratis, multo evidentius demonſtrari & demonſtrationibus ad prima principia reduci poterant, quæ a præſumtionibus in Jure naturæ pendent.

§. 1033.

Quilibet poſſeſſor præſumitur dominus rei, niſi proſtent rationes probabiles in contrarium. Nemo negare poteſt, poſſeſſores rerum eſſe plerumque dominos earundem, rarius autem contingere, ut domini non ſint. Enimvero quod plerumque fit, id præſumitur, non quod rarius, ubi nullæ rationes peculiares proſtant, cur ſcilicet contrarium potius præſumi debeat (§. 248. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem quilibet poſſeſſor præſumitur dominus rei, niſi proſtent rationes probabiles in contrarium.

An ex ſola poſſeſſione oriatur præſumtio dominii.

Præſumtio hæc admittenda eſt in Jure naturali. Etenim jus naturæ prohibet, ne rem vindicare volenti reddatur res antequam dominium ſuum probaverit (§. 546. *part. 2. Jur. natur.*). Quamobrem ſi tu rem poſſides, permittere quoque debes, ut tamdiu habearis pro domino, donec probatum fuerit, rem, quam poſſides, eſſe alienam, niſi ex probabilibus rationibus colligi poſſit, rem, quam poſſides, tuam non eſſe, conſequenter ſi proſtent rationes in contrarium. Præſumtio enim dominii cum ex ratione generali procedat, quemadmodum ipſa demonſtratio loquitur, cedit præſumtioni non dominii, quæ rationibus ſpecialibus nititur: id quod ex Logica probabilium tanquam verum ſumimus, in qua nimirum agendum eſt de colliſione præſumtionum ac inde oriundarum exceptionum. Ceterum hic nobis ſufficit notaſſe, pro vero haberi non poſſe id, quod probabiliter verum non eſſe colligitur. Ex. gr. Titius tibi vendere vult gemmam pretioſam viliſſimo pretio. Hinc præſumitur eam vel inveniſſe, vel clam alteri ſurripuiſſe, conſequenter eum dominum non eſſe. Quamvis ergo de poſſeſſione ejus nullum ſuperſit dubium, non tamen ex ea præſumi poteſt dominium. Enimvero ubi nullæ proſtant rationes probabiles in contrarium, ex dictis liquet, vi juris naturæ præſumendum eſſe dominium, ſed quod præſumitur, eum pro vero habendum non ſit, niſi quamdiu contrarium non probatur; hinc patet, præſumtionem præſentem non eſſe juris & de jure, ſeu abſolutam; ſed tantummodo juris, ſeu conditionalem (§. 1032.). Quodſi ergo quis fuerit, qui dominium ſuum probare poſſit, hæc præſumtio minime obſtat, ut id faciat & rem ſuam vindicet: tibi autem hoc præſtat præſumtio, ne probare tenearis dominium, ſi quis alius id dubium vocare velit.

§. 1034.

Titulus juſtus eſt, qui infert nudam poſſibilitatem juris acquiſiti, veluti dominii, non vero ipſam ejus actualem acquiſitionem. Unde *Titulum juſtum habere* dicitur poſſeſſor, qui poſſeſſionem acquiſivit iſtiuſmodi facto, quo dominium a domino transferri poſſe lex declarat.

Titulus juſtus quid ſit.

Ex. grat. Si rem emis a domino, actu in te transfertur dominium, quemadmodum ſuo loco oſtendetur. Enimvero ſi eandem emis a non domino, dominium in te non transfertur, ſed tantummodo poſſeſſio. Quamdiu igitur dubium eſt, utrum a domino, an non domino emeris; non minus poſſibile eſt, quod dominium in te non fuerit translatum, quam quod fuerit translatum. Quamobrem ex eo ſolo, quod rem emeris, tantummodo poſſibile intelligitur, quod dominium acquiſiveris, nondum vero conſtat te actu dominium acquiſiviſſe. Emtio igitur rei, quamdiu in dubio relinquitur, utrum a domino, an non domino emeris, titulus juſtus eſt, quatenus nempe non repugnat, ut rem emendo acquiſiveris dominium. Cum titulus ſit ratio legalis, per quam patet factum quoddam tale jus parere poſſe (§. 113. *part. 1. Jur. nat.*); ſuppono, emtionem rei vocari titulum, non quatenus ſpectatur tanquam factum, ſeu actus quidam, ſed quatenus allegatur tanquam ratio juris facto iſto acquiſiti.

§. 1035.

Num differat a titulo vero & falſo.

Quoniam titulus verus eſt, ſi & factum fuerit verum, & lex declarat, hoc facto jus tale acquiri (§. 118. *part. 1. Jur. nat.*), falſus autem, ſi factum quidem fuerit verum, in eo autem erras, quod lex declaret hoc facto jus tale acquiri poſſe (§. 120. *part. 1. Jur. nat.*), ſed juſtus titulus tantummodo infert nudam poſſibilitatem juris acquiſiti, non vero ipſam ejus actualem acquiſitionem (§. 1034.); *titulus juſtus nec verus, nec falſus eſt, ſed peculiaris quædam tituli ſpecies, inter verum & falſum quaſi intermedia.*

Nimirum ſi falſus fuerit titulus, facto, quod allegas, jus acquiri minime potuit; ſi verus fuerit, eodem jus actu acquiſitum. Quodſi vero fuerit juſtus, fieri quidem potuit, ut dominium facto iſto acquiſiveris; fieri tamen quoque potuit, ut non acquiſiveris, ac ideo in dubio relinquatur, num verus ſit. Patet ex modo allato exemplo emtionis rei (*not.* §. 1034.). Cum enim vel a domino, vel a non domino rem emere potueris; conſtat quidem ex facto tuo, te dominium acquirere potuiſſe, non vero quod actu acquiſiveris; ex eo autem minime conſtat, te dominium non acquiſiviſſe, quemadmodum liquet, ſi ad inventionem rei amiſſæ provoces. Quamobrem titulus non poteſt dici falſus, nec poteſt dici verus. Dicitur vero juſtus, quatenus aliquam veri tituli partem, ſeu quædam ejus requiſita continet, ut adeo probabilis ſit (§. 578. *Log.*), etſi nondum verus. Atque adeo ſatis clare ac diſtincte expoſuimus, quid per titulum juſtum intelligatur, ut conſtet, quid probandum ſit, ſi titulus juſtus probari debeat, & nec cum titulo vero, nec cum falſo, neque etiam cum putativo confundatur (§. 119. *part. 1. Juris nat.*): immo quoniam in foro non probatur jus, ſed facta tantummodo probantur, ad quæ jura applicanda; hinc quoque patet, cur probata ex. gr. emtione probatus intelligatur titulus juſtus, quia nempe per emtionem patet, te dominium hoc facto acquirere potuiſſe, conſequenter eo continetur ratio poſſibilitatis dominii acquiſiti.

§. 1036.

Poſſeſſio juſta quænam ſit.

Poſſeſſio juſta eſt, quæ & titulo juſto, & bona fide conſtat. *Injuſta* igitur *poſſeſſio* eſt, quæ juſtum quidem habet titulum, bona autem fide deſtituitur, vel quæ bona quidem fide conſtare videtur, juſto tamen deſtituitur titulo. Unde conſequitur, *poſſeſſionem titulatam poſſe eſſe injuſtam.*

Ex. gr. Si rem emiſti, juſtum titulum habet poſſeſſio: enimvero fieri poteſt, ut tibi conſtet, te rem emiſſe a non domino, conſequenter te dominum rei, quam poſſides, non eſſe (§. 667. *p. 2. Jur. nat.*). Mala igitur fide eandem poſſides (§. 153. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum deficiat bona fides (§ *cit.*); poſſeſſio juſta non eſt. Similiter rem, quam inveniſti, putas eſſe tuam, adeoque bona fide eandem poſſidere tibi videris (§ *cit.*). Quoniam tamen inventio rei amiſſæ dominium non tribuit (§. 421. *p. 2. Jur. nat.*); titulo juſto deſtituitur poſſeſſio. Juſta igitur ea non eſt.

§. 1037.

Quando bona fide res poſſideatur.

Qui rem a domino præſumto juſto titulo accepit, eam bona fide poſſidet. Quodſi enim rem a domino præſumto accipis, eam a domino te accipere putas (§. 247. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum eam accipias juſto titulo, tibi conſtat dominum hoc facto dominium in te transferre potuiſſe (§. 1034.). Quoniam itaque dominus dominium transferendo accipientem efficit dominum rei (§. 13.); tuam eſſe rem, quam accepiſti, recte putas. Enimvero quando poſſeſſor putat rem, quam poſſidet, eſſe ſuam, eam bona fide poſſidet (§. 153. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem qui rem a domino præſumto juſto titulo accepit, eam bona fide poſſidet.

Juſtus titulus ſolus non cauſatur bonam fidem poſſeſſoris. Etenim emtio rei juſtus titulus eſt (*not.* §. 1034.). Aſt ſi emis rem furtivam, quam furtivam eſſe noſti, aut ſaltem præſumis; te eam a domino accepiſſe putare non potes, conſequenter nec rem tuam eſſe recte putas; Bonæ fidei poſſeſſor igitur non es, quamvis juſto titulo poſſeſſionem nactus fueris. Ignorantia juris neminem excuſat, cum vincibili æquiparetur. Quemadmodum titulus putativus & falſus non haben-

habentur pro titulo juſto, propter ignorantiam facti vel juris, ita etiam bona fides non ſubſiſtit per ignorantiam juris, nec in Jure naturali error manifeſtus in locum probabilitatis ſurrogari poteſt. Quando putas te eſſe dominum neceſſe eſt ut adſint rationes probabiles, cur putes: non vero hanc opinionem recte inducunt errores de jure.

§. 1038.

Qui rem a poſſeſſore quocunque, cujus dominium cur ſit ſuſpectum, rationes probabiles nullæ proſtant, juſto titulo accipit, eam bona fide poſſidet. Etenim cum *Idem porro expenditur.*
quilibet poſſeſſor præſumatur dominus rei, niſi proſtent rationes probabiles in contrarium (§. 1033.); qui rem a poſſeſſore quocunque, cujus dominium cur ſit ſuſpectum, rationes probabiles nullæ proſtant, juſto titulo accipit, eam a domino præſumpto juſto titulo accepit. Enimvero qui rem a domino præſumto juſto titulo accipit, eam bona fide poſſidet (§. 1037.). Ergo etiam eandem bona fide poſſidet, qui rem a poſſeſſore quocunque, cujus dominium cur ſit ſuſpectum, rationes probabiles nullæ proſtant, juſto titulo accipit.

Bona fides nititur præſumtionibus. Tamdiu enim te dominum eſſe putas, quamdiu præſumis te a domino rem habere, quam juſto titulo poſſides. Si ſcis te dominum revera eſſe, non tantummodo te eſſe putas; ſcire enim non eſt putare. Qui ſcit, is certo novit hoc verum eſſe: aſt qui putat, ob rationes probabiles pro vero habet, quod num verum ſit certo noſſe non poteſt. Ceterum hinc facile intelligitur, niſi præſumtionibus in Jure naturali daretur locus, dominiorum translationem difficultatibus inextricabilibus implicari, ad quam tamen lege naturali ſibi invicem obligantur homines (§. 124.). Hæc igitur cum nos non obliget ad impoſſibilia (§ 209. *part. 1. Philoſ. pract. univ.*); ea etiam probare debet, ſine quibus obligationi iſti ſatisfieri nequit.

§. 1039.

Quilibet poſſeſſor rem bona fide poſſidere præſumitur, ſi nullæ proſtant rationes probabiles in contrarium. Etenim præſumitur dominus rei, quam poſſidet, ſi nullæ ſint rationes probabiles in contrarium (§. 1033.). Multo magis igitur præſumendum, quod ſe putet eſſe dominum, ſi nullæ proſtent rationes probabiles in contrarium. *Quando bona fides præſumatur.*

Quodſi præſumere velles, eum eſſe poſſeſſorem malæ fidei, etſi nullæ proſtent rationes probabiles, cur hoc præſumas, non modo hoc ipſum repugnaret notioni præſumtionis (§. 244. *part. 2 Jur. natur.*); verum etiam ex ſola poſſeſſione, nulla proſtante ratione in contrarium, præſumi non poterat ipſum dominium, cum qui mala fide rem poſſidet; norit ſe poſſidere rem alienam (§. 153. *part. 2. Jur. nat.*), conſequenter qui præſumitur rem mala fide poſſidere, is præſumitur noſſe, quod rem poſſideat alienam; quæ utique præſumtio præſumptionem dominii tolleret.

§. 1040.

Quoniam poſſeſſor quilibet rem bona fide poſſidere præſumitur, ſi nullæ proſtant rationes probabiles in contrarium (§. 1039.); bona fide autem rem poſſidet, qui rem a domino præſumto juſto titulo accepit (§. 1037.); *ſi conſtet aliquem juſto titulo poſſidere, tanto magis præſumitur, quod bona fide poſſideat* (§. 579. *Log. &* §. 244. *part. 2 Jur. nat.*). *Quando fortior ſit præſumtio.*

Tutior eſt præſumtio, quo plures fuerint rationes probabiles, ob quas quid præſumitur. Quænam vero rationes probabiles ſint, ex iis intelligitur, quæ de probabilitate diximus in Logica (§. 578. & *ſeqq. Log.*). Plenius autem hoc patere poterat per principia Logicæ probabilium, ſiquidem ea jam proſtaret, cujus ſemina ſparſimus in Logica & Philoſophia prima, ſeu Ontologia.

§. 1041.

Mala fides cur præſumi nequeat, ſed probanda.

Quoniam bona fides præſumitur, ſi nullæ proſtant rationes in contrarium (§. 1039.), *mala fides ex ſola poſſeſſione præſumi nequit*, conſequenter *qui contendit te mala fide poſſidere, hoc probare tenetur.*

Bona fides nullis admiſſis præſumtionibus difficulter, immo prorſus non probari poteſt: aſt mala fides ſupponit facta juri naturali contraria, quæ cum probari poſſint, facilior eſt probatio. Sane mala fides in ſe ſpectata nil continet, quod probationi obſtaculum ponat: quod ut evidentius pateat, ſequentia adhuc addere lubet.

§. 1042.

Poſſeſſio violenta & clandeſtina malam fidem arguens.

Omnis poſſeſſio clandeſtina & violenta poſſeſſio malæ fidei eſt ſeu pro tali habenda. Etenim poſſeſſio clandeſtina omnis illicita, ſive a domino, ſive ab alio poſſeſſore quocunque clam poſſideas (§. 735. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum tibi conſcius ſis, te rem clam ab alio poſſidere; nec putare potes te eſſe dominum rei, quam poſſides, conſequenter mala fide te eam poſſidere conſtat (§. 153. *part.* 2. *Jur. nat.*). Poſſeſſio itaque clandeſtina omnis malæ fidei eſt. *Quod erat primum.*

Similiter qui ſine jure alterum vi de poſſeſſione dejicit, ſeu is, cujus poſſeſſio violenta eſt (§. 727. *part.* 2. *Jur. nat.*), cum ſibi conſcius ſit, ſe vi alterum ſine jure de poſſeſſione dejeciſſe, adeoque poſſeſſionem eidem reſtituendam eſſe (§. 725. *part.* 2. *Jur. nat.*), ſe dominum eſſe, aut pro domino ab aliis habendum eſſe, putare nequit. Denuo igitur conſtat, quod aut mala fide poſſideat, aut pro poſſeſſore malæ fidei habendus ſit. Quamobrem omnis poſſeſſio violenta poſſeſſio malæ fidei eſt, aut pro poſſeſſione malæ fidei habenda. *Quod erat ſecundum.*

Utrumque ſimul oſtenditur etiam hoc modo. Clandeſtina poſſeſſio omnis illicita eſt (§. 735. *part.* 2. *Jur. nat.*), & tibi competit jus eum, qui clam a te poſſidet, de eadem dejiciendi (§. 736. *part.* 2. *Jur. nat.*). Similiter non dominus poſſeſſorem quemcunque vi de poſſeſſione ſua dejicere non poteſt (§. 720. *part.* 2. *Jur. nat.*), & ne dominus quidem hoc facere poteſt, antequam dominium probavit (§. 721. *part.* 2. *Jur. nat.*), & tibi competit jus utrumque de poſſeſſione vi iterum dejiciendi, ubi de ea te vi dejecit (§. 726. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem clandeſtina & violenta poſſeſſio reſtituitur juſto titulo (§. 1034.), qui cum a bona fide poſſeſſoris abeſſe nequeat (§. 1037. 1040.); qui clam vel vi ab alio poſſidet, poſſeſſor malæ fidei eſt, ſeu pro tali habendus.

Si dominus, qui dominium ſuum probavit; vel poſſeſſor quicunque tibi clam eripit, quod clam ab ipſo poſſides, vel de clandeſtina aut violenta poſſeſſione iterum te vi dejicit, clam a te, vel vi minime poſſidet (§. 728. 738. *p.* 2. *Jur. natur.*). Quamobrem ad eum, qui clam ei aufert poſſeſſionem, vel vi eum dejicit de poſſeſſione, qui clam vel vi ab ipſo poſſidet, applicanda non ſunt, quæ de clandeſtina & violenta poſſeſſione hic demonſtrantur. Neque etiam mirum videri debet, dominum ipſum pro poſſeſſore malæ fidei habendum eſſe, ſi clam eripuit alteri poſſeſſionem, vel vi de eadem eum dejecit, quamdiu dominium non probavit. Quamdiu enim dominium non probavit, contra poſſeſſorem, qui dominus præſumitur (§ 1033.), pro non domino habetur. Præſumtio enim tamdiu ſubſiſtit, donec probatione contrarii elidatur (§. 247. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quodſi excipias fieri poſſe, ut aliquis ſit dominus & ut norit, ſe dominum eſſe, etiam ſi dominium probare non poſſit, conſequenter cum ſoli domino competat jus poſſidendi (§ 151. *part.* 2. *Jur. nat.*); eum malæ fidei poſſeſſorem non eſſe, ubi clam vel vi poſſeſſionem adeptus ab eo, qui rem ſuam poſſidebat; hoc quidem verum eſt, ſi jus internum ſpectes, ſed tanquam verum admitti nequit, ſi externi habenda ratio eſt. Jura enim externa certa eſſe debent, conſequenter quod nobis competant, probandum ſeu demonſtrandum eſt.

§. 1043.

Poſſeſſio precaria dicitur, quæ ab altero revocabiliter in te fuit translata. *Quod ſi ergo poſſeſſio non fuerit conceſſa ad certum tempus; quocunque tempore revocari poteſt; ſi vero conceſſa fuerit ad certum tempus, eo finito.* *Poſſeſſio precaria quænam ſit.*

De precario agemus ſuo loco. Quoniam tamen hic poſſeſſionis precariæ mentio fieri debebat; eam quoque definiri neceſſe erat.

§. 1044.

Qui precario poſſidet, poſſeſſor bonæ fidei non eſt, neque etiam malæ fidei poſſeſſor dicendus. Etenim qui precario poſſidet, is novit, rem, quam poſſidet, non eſſe ſuam, ſed alteri poſſeſſionem eſſe reſtituendam, quando eam revocaturus (§. 1043.). Quamobrem cum poſſeſſor bonæ fidei non ſit, qui non putat rem eſſe ſuam (§. 153. *part. 2. Jur. nat.*); qui precario poſſidet, poſſeſſor bonæ fidei non eſt. *Quod erat unum.* *An poſſeſſio bonæ vel malæ fidei ſit precaria.*

Enimvero cum qui precario poſſidet, rem, quam poſſidet, non eſſe ſuam norit, eam reſtituturus alteri poſſeſſionem revocaturo (§. 1043.); nec dici poteſt, quod dominus eſſe ac pro eo haberi velit. Quoniam itaque poſſeſſor malæ fidei dici nequit, qui cum norit rem eſſe alterius, dominus eſſe non vult, nec pro eo haberi vult (§. 153. *part. 2. Jur. nat.*); qui precario poſſidet, poſſeſſor malæ fidei dicendus non eſt. *Quod erat alterum.*

Poſſeſſor tam bonæ, quam malæ fidei rem poſſidet abſque voluntate domini, vel alterius poſſeſſoris: aſt qui precario poſſidet, is poſſeſſionem habet ab alio poſſeſſore eamque e voluntate ipſius pendentem (§ 1043.). Quamobrem diviſio poſſeſſionis in poſſeſſionem bonæ ac malæ fidei ad precariam trahi nequit, conſequenter nulla ejus habenda ratio eſt, ubi de poſſeſſione malæ ac bonæ fidei injicitur mentio. Nimirum poſſeſſio alia independens eſt a voluntate alterius, quemadmodum communiter obtinet; vel dependens, id quod rariſſime contingit. Ille dividitur in poſſeſſionem bonæ, vel malæ fidei, ſi a non domino poſſides; hæc vero ipſa precaria eſt. Poſſeſſio malæ fidei vel juſtum titulum habet, quando a non domino ſciens titulum & poſſeſſionem habes; vel titulo deſtituitur, & hæc vel clandeſtina, vel violenta eſt.

§. 1045.

Si qui precario poſſidet, rem ſuam eſſe velit & pro domino haberi contendat; poſſeſſor malæ fidei fit. Cum enim ſibi conſcius ſit ſe rem tantummodo precario poſſidere, eandem quoque ſuam non eſſe novit, quippe alteri reſtituendam, quando poſſeſſionem revocat (§. 1043.). Quoniam tamen ſuam eſſe vult, & pro domino haberi contendit *per hypoth.* rei, quam poſſidet, dominus eſſe & pro eo haberi vult, etiamſi norit, non ſe, ſed alium dominum eſſe. Mala igitur fide eandem poſſidet. *Quando precario poſſidens fiat poſſeſſor malæ fidei.*

Facile apparet, hoc obtinere in eo caſu, quo mortuo concedente ignoratur, quod precario poſſideatur. Etenim dum precario poſſidens rem hæredi reſtituendam retinet, furtum committit in re mobili (§. 498. *p. 2. Jur. nat.*), & ab eo clam poſſidere incipit, rem tam mobilem, quam immobilem quam precario poſſederat (§. 732. *part. 2. Jur. nat.*) Abit igitur poſſeſſio precaria in poſſeſſionem malæ fidei (§. 1042.), non quæ precaria manet, ſed quæ ſpeciem mutat, dum in clandeſtinam vertitur.

§. 1046.

Nemo hominum negligens eſſe debet in inquirendo in res ſuas, quæ forſan in alterius poteſtatem venerunt, aut quas in eam veniſſe novit, nec non in jura ſibi com- *Negligentia in inquiren-*

Digitized by Google

do in res & jura ſua prohibita.

competentia. Omnem enim dare debet operam, ut caveat, ne patrimonio ſuo damnum aliquod inferatur (§. 494. *part. 2. Jur. nat.*), conſequenter ne univerſitati bonorum ſuorum quicquam decedat (§. 452. 486. 487. *part. 2. Jur. nat.*), adeoque rei nullius dominio excidat (§. 448. *part. 2. Jur. nat.*), neque jure quodam ſibi competente privetur (§. 451. *part. 2. Jur. nat.*). Quoniam vero hoc facile accidere poteſt, ſi negligens fuerit in inquirendo in res ſuas, quas in alterius poteſtatem veniſſe novit, vel quæ forſan ipſo inſcio in eandem venerunt, aut etiam in jura ſibi competentia (§. 750. *part. 1. Phil. pract. univ.*); nemo hominum negligens eſſe debet in inquirendo in res ſuas, quæ forſan in alterius poteſtatem venerunt, aut quas in eam veniſſe novit, nec non in jura ſibi competentia.

Non eſt quod excipias domino competere jus rem ſuam derelinquendi (§. 256. *p. 2 Jur. nat.*), conſequenter negligentiam inquirendi in res & jura ſua non poſſe prohiberi lege naturali. Etenim jus derelinquendi fluit ex dominio, quemadmodum ex demonſtratione liquet, qua idem domino vindicatur (§. *cit.*), domino vero permittendus eſt etiam abuſus rerum ſuarum, quamdiu nil facit contra jus alterius (§. 169. *part. 2. Jur. nat.*). Obligatio vero, de qua loquitur præſens propoſitio interna eſt, in jure externo non attendenda, præſertim cum non omnis derelictio ad abuſum dominii referri poſſit. Fieri nimirum poteſt, ut officiorum colliſio exceptionem pariat, quæ derelictionem injungit. Jus rem ſuam derelinquendi in ſe nihil habet vitioſi, quemadmodum nec dominium, ex quo originem ſuam deducit: ſed derelictio vitium contrahit ab abuſu iſtius juris, quemadmodum actus vitioſi dominii ad ejus abuſum referendi. Quamobrem de ipſa derelictione rei non judicandum eſt ex jure derelinquendi, ſed ex circumſtantiis caſus dati, per quas patet, utrum quis jure ſuo fuerit uſus, an abuſus: ubi inprimis perpendendum eſt, cur & quo animo dominus rem ſuam dereliquerit. Hoc autem fieri neceſſe eſt, ubi judicium ferendum, num qui rem dereliquit recte fecerit, quod eam dereliquerit: id quod ejus eſt, qui rem dereliquit, non autem aliorum, quorum tantummodo intereſt noſſe, utrum res pro derelicta habenda, nec ne.

§. 1047.

Diligentia e contrario præcepta.

Quoniam qui negligens non eſt diligens eſt (§. 750. 751.), nemo autem hominum negligens eſſe debet in inquirendo in res ſuas, quæ forſan in alterius poteſtatem venerunt, vel quas in eas veniſſe novit, nec non in jura ſibi competentia (§. 1046.); *Quilibet hominum diligens eſſe debet in inquirendo in res ſuas, num quæ forſan in alterius poteſtate ſint, aut in cujuſnam poteſtatem eadem venerint, nec non in jura ſibi competentia.*

Quibus paradoxum videtur iſtiuſmodi diligentiam lege naturali præceptam eſſe, hi non perpendunt, quorumnam officiorum praxis a patrimonio dependet, ut adeo negligentia in patrimonio conſervando & amplificando admiſſa negligentem reddat impotentem iiſdem ſatisfaciendi. Officiorum itaque omiſſio, quæ ab iſta negligentia venit, etſi jam neceſſaria videatur, tibi tamen imputanda venit, quatenus neceſſitatem iſtam evitare potuiſſes, ſi negligens non fuiſſes. Jus naturæ exigit omnimodam actionum humanarum rectitudinem (§. 189. *part. 1. Philoſ. pract. univerſ.*), & ad perfectionem vitæ moralis omnium actionum liberarum inter ſe requiritur conſenſus (§. 9. *part. 2. Phil. pract. univ.*), qui non obtinetur niſi ſummo in lege naturæ ſervando rigore (§. 4. *p. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem non eſt quod exiſtimes obligationem naturalem in nimium extendi, quando ea urgemus, ad quæ vulgo parum animum attendere ſolent etiam ii, qui in cenſendis aliorum moribus rigidi ſunt.

§. 1048.

Cura de non admittendo in patrimonium ſuum res alienas.

Quilibet hominum, quantum datur, ſibi cavere debet, ne inter res, quas poſſidet, reperiantur quæ ſunt alterius. Qui enim rem alienam poſſidet, eam domino reſtituere tenetur (§. 471. *part. 2. Jur. nat.*), & re aliena nullo jure utitur ac fruitur (§. 161. *part. 2. Jur. nat.*), ac factum omne juri alterius contrarium, quo de ea quomodocunque diſponit (§. 162. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem ne ipſi imputari poſſit, quod rem domino ſuo non reſtituerit, & de ea contra jus domi-

domini quomodocunque diſpoſuerit, operam dare tenetur, ne culpa ſua ignoret, rem eſſe alienam (§. 549. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Cavere igitur ſibi debet, quantum datur, ne inter res, quas poſſidet, reperiantur quæ ſunt alterius.

Hanc curam deſcribit *Seneca* de Vita beata c. 23. quando: *ſapiens*, inquit, *habitis*, quo glorietur, ſi aperta domo & admiſſa in res ſuas civitate, poterit dicere, quod quiſque ſuum agnoverit, tollat. Nec juſtitia interna concipi poteſt abſque ea: ſit ita, quod vulgo hæc cura ſuperflua exiſtimetur. Quam parum autem abeſſe poſſit a juſtitia interna, quæ conſtantem ac perpetuam requirit voluntatem ſuum cuique tribuendi, nemo non admittere tenetur, qui negare minime auſit, abſque iſta voluntate juſtitiam concipi minime poſſe (§. 926. p. 1. *Jur. nat.* & §. 328. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Qui ad juſtitiam, quam diſtincte comprehendit, animum attendit, turpitudinem intrinſecam neglectus hujus curæ, quam imperat propoſitio præſens, haud difficulter perſpiciet, neque adeo mirabitur, lege naturali eandem prohiberi.

§. 1049.

Obligatio certam dominii ſui cognitionem acquirendi.

Quoniam quilibet homo, quantum datur, ſibi cavere debet, ne inter res, quas poſſidet, reperiantur, quæ ſunt alterius (§. 1048.), rem autem ſuam eſſe non novit, quamdiu certus non eſt, eandem eſſe in dominio ſuo (§. 124. *p. 2. Jur. nat.*); *Quilibet* etiam *homo omnem dare operam debet, ut dominium earum rerum, quas poſſidet, ſibi ſit certum.*

Quando Juſtitia præcipitur (§. 927. *part. 1. Jur. nat.*), cui ſine certitudine dominiorum ex aſſe ſatisfieri nequit; lex naturalis quoque injungit diligentiam, qua in id eniti debemus, ut rerum poſſeſſarum dominium nobis ſit certum. Quodſi eam in nobis deſiderari patiamur, ut culpa noſtra rem alienam poſſideamus, injuſtitiæ obnoxii ſumus. Quamvis enim bona fide rem poſſidere videamur, ea tamen vitium contrahit a negligentia nobis imputanda, nec in foro conſcientiæ excuſat. Virum juſtum ſumma enim ſollicitudo tenet, ne quid ſit in numero rerum, quas poſſidet, quod ſit alterius: unde dominii incertitudinem impatienter ferre ſolet.

§. 1050.

Jus ad actus, ſine quibus dominiorum certitudo non obtinenda.

Lex naturæ dat nobis jus ad eos actus, ſine quibus dominiorum certitudo obtineri nequit. Etenim nos obligat ad omnem operam adhibendam, ut dominium earum rerum, quas poſſidemus, nobis ſit certum (§. 1049.). Quamobrem cum eadem nobis jus det ad ea omnia, ſine quibus obligationi naturali ſatisfacere non poſſumus (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*); nobis etiam dat jus ad eos actus, ſine quibus dominiorum certitudo obtineri nequit.

Hoc principium maximi uſus eſt, non modo in præſenti argumento, verum etiam in Jure civili & Jure gentium arbitrario, quando definiendum, quomodo dominia rerum in tuto collocanda.

§. 1051.

Circumſpectio ſingularis in rebus acquirendis.

Omni circumſpectione utendum, ne quid a non domino accipiamus. Quicquid enim a non domino accipimus, id noſtrum non eſt (§. 669. 124. *part. 2. Jur. nat.*). Enimvero cavere nobis debemus, ne inter res, quas poſſidemus, reperiantur, quæ ſunt alterius (§. 1048.). Ergo omni etiam circumſpectione utendum, ne quid a non domino accipiamus.

Quoniam domino dominium ſuum probanti rem reſtituere tenemur (§. 545. *p. 2. Jur. nat.*), prudentia quoque ſuadet hanc circumſpectionem. Quamvis vero ad eam acquirendam obligemur (§. 256. *part. 1. Jur. nat.*); non tamen opus eſt, ut obligationem ad circumſpectionem, qua in rebus acquirendis utendum, ne quid a non domino accipiamus, ab ea demum quaſi e longinquo petamus.

§. 985.

§. 1052.

Obligatio certum dominii alieni cognitionem promovendi.

Quilibet operam dare debet pro virili, ne dominia aliorum maneant in incerto. Quilibet enim operam dare debet, ut dominium earum rerum, quas poſſidet, ſibi ſit certum (§. 1049.). Enimvero quilibet homo alteri cuicunque homini debet, quod ſibi, quatenus alter id non habet in poteſtate ſua, ipſe autem citra neglectum officii erga ſeipſum hoc alteri præſtare poteſt (§. 608. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quilibet igitur etiam pro virili operam dare debet, ne dominia aliorum maneant in incerto.

Cura hæc rectitudinis dominii aliorum eſt pars juſtitiæ. Neque enim juſtus ipſe tantummodo unicuique tribuit, quod ſuum eſt; verum etiam, quantum in ſe eſt, curat, ut ab aliis quod ſuum eſt unicuique tribuatur, neque etiam in cauſa eſt, ut alius vel inſcius quid committat juſtitiæ adverſum. Animus hominis juſti nondum immunis eſt ab omni labe, niſi flagret deſiderio, ut juſtitiæ ſatisfiat ubivis omni ex parte, & unuſquiſque poſſideat, quod ſuum eſt, nemo autem, quod eſt alterius. Conveniunt hæc puritati cordis, quam commendat Chriſtus, hoc eſt, appetitus humani, quem ab omni labe immunem eſse vult.

§. 1053.

Præſumtio derelictionis ex facto poſitivo.

Si quis ſciens rem eſſe ſuam ea facit, quæ facere non poterat, ſi eam ſuam eſſe vellet, eam derelinquere præſumitur. Etenim qui, cum ſciat rem eſſe ſuam, ea tamen facit, quæ facere non poterat, ſi eam ſuam eſſe vellet; ex hoc facto colligitur, conſequenter præſumitur (§. 244. *part.* 2. *Jur. nat.*), quod eam ſuam eſſe nolit. Enimvero qui præſumitur nolle, ut res ſit ſua, is eam derelinquere præſumitur (§. 249. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem ſi quis ſciens rem eſſe ſuam ea facit, quæ facere non poterat, ſi eam ſuam eſſe vellet, eam derelinquere præſumitur.

Noſti rem, quam Titius poſſidet, eſse tuam: tu ſerio cum eodem de eadem contrahis tanquam de re aliena. Hinc colligitur te eam dereliquiſse. Quodſi enim malles eam adhuc eſse tuam & dominium animo in eadem retinuiſſes; eam vindicare potuiſses (§. 544. *p.* 2. *Jur. nat.*), nec opus erat, ut eam conſecuturus cum ipſo tanquam de re aliena contraheres.

§. 1054.

Quando conſenſus præſumatur.

Qui tacet, quando loqui poterat & debebat, is conſentire præſumitur. Quando enim quis loqui poterat & debebat, conſequenter animi ſui ſenſa declarare tenebatur, nec quicquam obſtabat, quo minus animi ſui ſententiam diceret, tacere autem mavult; is non alio fine hoc facere præſumitur, quam quod idem velit, quod vult alter, vel ceteri volunt, qui verbis aut alio quocunque modo animi ſui ſententiam ſignificant (§. 244. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum is conſentiat, qui idem vult, quod vult alius, vel alii volunt (§. 658. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); qui tacet, quando loqui poterat & debebat, is conſentire præſumitur.

Pater prohibere tenetur, ne filius, qui in poteſtate ſua eſt, tempus otio fallat, quod ſtudiis literarum impendere debebat. Quodſi igitur novit, filium ſuum otio eſse deditum, & tacuerit, in otium & neglectum ſtudiorum conſentire præſumitur. Vulgo dicitur: Qui tacet, conſentire videtur. Enimvero tum tacite ſupponitur tacentem non ignorare, quid dicat aut faciat alius, &, niſi conſentire vellet, diſſenſum ſuum declarare debere. Nullum enim eſt dubium, quin hic caſus oculis veluti ejus obverſatus fuerit, qui primus dixit, tacentem conſentire videri. Immo experientia loquitur, non niſi in hoc caſu tacentem pro conſentiente haberi. Quodſi enim proſtent rationes in contrarium, his præſumtio elidi ſolet. Verba igitur caperet, qui verba iſta aliter interpretaretur: id quod ab honeſtate alienum. Clarius hoc patebit ſuo loco, quando de interpretatione reſtrictiva acturi ſumus.

§. 1055.

Quale ſilentium ad conſenſum præſumendum requiratur.

Quoniam is demum conſentire præſumitur, qui tacet, quando loqui poterat & debebat (§. 1054.); *ſilentium, ex quo conſenſus præſumitur, debet eſſe ſcientis ac volentis.*

Si alterutrum horum defecerit, ratio ad conſenſum præſumendum inſufficiens eſt. Præſumtioni tamen non obſtat, ut tam ſcientia, quam volitio præſumatur, quamvis fortior ſit præſumtio; quando alterutrum requiſitum certum eſt, v. gr. ſi certum fuerit, te hoc ſcire, & tamen tacere, quemadmodum obtinet in exemplo, quod modo dedimus (*not.* §. 1054.).

§. 1056.

Quando ex ſilentio præſumatur derelictio rei.

Qui ſcit rem ſuam ab alio poſſideri, nec multo tempore contradicit, cum ratio nulla manifeſta appareat, cur ſilendum; is eam dereliquiſſe præſumitur. Etenim qui ſcit rem ſuam ab alio teneri, cum operam dare debeat pro virili, ne dominium alterius maneat in incerto (§. 1052.), ſufficienter ſignificare quantocyus debebat, utrum illam adhuc ſuam eſſe vellet, an nollet. Et quia ratio nulla manifeſta apparet, cur ſilere potius, quam contradicere debeat *per hyp.* voluntatem ſuam declarare intermittit, quando eam ſignificare poterat. Quodſi ergo multo tempore non contradicit; evidens eſt, ipſum ſilere, quando loqui poterat & debebat *per demonſtrata*. Quamobrem cum alter, quem rem ſuam poſſidere novit, eam habeat pro ſua (§. 150. *part. 2. Jur. nat.*), qui vero tacet, quando loqui poterat ac debebat, conſentire præſumatur (§. 1053.); qui rem ſuam ab alio poſſideri ſcit, nec multo tempore contradicit, etſi nulla adſit ratio manifeſta, cur ipſi ſilendum ſit, in hoc conſentire præſumitur, ut ſit alterius, conſequenter rem dereliquiſſe præſumitur (§. 249. *part. 2. Jur. nat.*).

Adeſt in hypotheſi propoſitionis præſentis ſcientia, hoc enim expreſſe ſumitur: adeſt libera volitio ſilendi, cum nulla adſit manifeſta ratio, quæ ſilentium imperet, quamvis loqui mallet, qui tacet, immo ſilet multo tempore, ut adeo vel hinc conſtare poſſit, ſilentium proficiſci a libera voluntate. Adſunt igitur illa requiſita, quæ adeſſe debent, ut ex ſilentio conſenſus recte præſumatur (§. 1055.). Quibus durum videtur derelictionem præſumi ex ſilentio domini; ii ſibi perſuadent, cum dominium animo retineri poſſit (§. 258. *part. 2. Jur. nat.*), & naturaliter quilibet ſit actionum ſuarum arbiter, quamdiu nil facit contra jus alterius (§. 156. *part. 1. Jur. natur.*), a domini voluntate unice pendere, quamdiu ſilere velit, nec ſilentium domino nocere poſſe. Enimvero hi non perpendunt, dominum, qui novit rem ſuam in alterius veniſſe poteſtatem, obligari ad contradicendum, aut in eam inquirendum, niſi eam derelinquere velit, (§. 1046. 1047. 1052.), conſequenter cum libertas naturalis non tollat obligationem naturalem (§. 159. *part. 1. Jur. nat.*), & lex præceptiva, quæ in rem, quam tuam eſſe vis, te inquirere jubet (§. 1047.), ac prohibitiva, quæ negligentiam omnem in inquirendo prohibet (§. 1046.), vincat permiſſivam de dominio animo retinendo (§. 258 *part. 2. Jur. nat.*) in caſu colliſionis (§. 212. *part. 1. Phil. pract. univ.*); non liberum eſſe domino ſilere, quamdiu voluerit, ubi nulla ratio id urgeat. Immo cum alterius interſit, ut dominium rerum, quas poſſidet, ſit tibi certum, adeoque ipſi competat jus exigendi ab altero, ut mature contradicat, ſiquidem contradicendi jus habeat (§. 1050.); nec ſilentium dici poteſt non eſſe contra jus alterius, qui rem poſſidet. Deproperant judicium, qui hæc omnia non ſatis perpendunt, antequam certi quid ſtatuunt.

§. 1057.

Scientia ſilentis domini num ex tempore præſumatur.

Si quis multo tempore rem alienam poſſidet, dominus noſſe præſumitur, quod eam poſſideat, niſi manifeſtæ rationes in contrarium proſtent, aut, ſi res mobilis fuerit, deſperare, quod ad notitiam ſuam ſit perventurum, quinam eam poſſideat. Quilibet enim obligatur ad inquirendum in res ſuas, quæ forſan in alterius poteſtatem venerunt, aut quas in eam veniſſe novit, nec non in jura ſibi competentia (§. 1047.), nec in inquirendo negligens eſſe debet (§. 1046.). Quamobrem cum multo tempore fieri vix poſſit, ut diligenter inquirendo non perveniat in no-

titiam rei ſuæ ab alio poſſeſſæ, ut ipſi conſtet, rem ſuam eſſe, quam alter poſſidet, vel rem, in quam inquirebat, ab hoc poſſideri; ſi quis multo tempore rem alienam poſſidet, dominus noſſe præſumitur, quod eam poſſideat, niſi manifeſtæ rationes in contrarium proſtent. *Quod erat unum.*

Enimvero qui multo tempore omnem diligentiam fruſtra adhibuit in inquirendo in rem mobilem, quam in alterius equidem poteſtatem veniſſe novit, aſt in cujus poteſtatem ea venerit indagare non potuit; ei omnis ademta ſpes videtur, ut nulla unquam via ad hujus notitiam perveniat. Quamobrem cum recte deſperare præſumatur, quod ad notitiam ſuam unquam ſit perventurum, quinam eam poſſideat (§. 244. *part. 2. Jur. nat.*), ſi quis rem mobilem alterius multo tempore poſſidet, dominus ſaltem deſperare præſumitur, quod ad notitiam ſuam unquam ſit perventurum, quod eam poſſideat. *Quod erat alterum.*

Supina negligentia inquirendi in res ſuas hic non attenditur, ubi quæſtio eſt, quid ſecundum jus naturæ præſumendum, adeoque præſumtiones juris ſunt (§. 1032.): neque enim præſumi hic debet, niſi quod vi principiorum juris naturæ præſumi poteſt, conſequenter actus legi naturæ contrarii non elidunt præſumtionem. Quando itaque ſcientia domini non contradicentis, aut ſilentis præſumenda, non ſupponi debet, eum eſſe negligentem in inquirendo in res ſuas, cum hoc prohibeat lex naturæ (§. 1046); ſed ſupponendum potius eſt, eum eſſe diligentem, cum hoc præcipiat eadem lex (§. 1047.). Quodſi præſumtio negligenti fuerit damnoſa, ſibi imputet; quod legi naturæ actiones ſuas conformare noluerit, ſed peccare maluerit. Damnum enim, quod patitur pœna naturalis eſt (§. 305. *part. 2. Philoſ. pract. univ.*), quæ ipſum a negligentia abſtrahere debebat.

§. 1058.

Num rei derelictio ex tempore præſumatur.

Ex ſilentio diuturno rei derelictio præſumitur, niſi manifeſtæ rationes in contrarium proſtent. Quodſi enim rationes manifeſtæ in contrarium non proſtent, dominus noſſe præſumitur, quod rem ſuam poſſideat, qui multo tempore eam poſſidet, aut, ſi res mobilis fuerit, deſperare, quod ad notitiam ſuam unquam ſit perventurum, quinam eum poſſideat (§. 1057.). Quodſi vero quis ſcit rem ſuam ab alio poſſideri, nec multo tempore contradicit, cum ratio nulla manifeſta appareat, cur ſilendum fuerit, is eam dereliquiſſe præſumitur (§. 1056.), & quoniam in caſu altero nulla ſpes rem recuperandi ſupereſt, dominus vero rem ſuam derelinquere præſumitur, quando ipſi nulla ſpes eam recuperandi ſupereſt (§. 264. *part. 2. Jur. nat.*), eandem quoque dereliquiſſe præſumitur, ſi deſperat, quod ad notitiam ſuam unquam ſit perventurum, quinam eam poſſideat. Quamobrem ex ſilentio diuturno rei derelictio præſumitur, niſi manifeſtæ rationes in contrarium proſtent.

Longum tempus favet etiam præſumtioni actus liberi voluntatis: neque enim cauſæ, quæ impediunt, quo minus contradicere velis, conſtanter ſubſiſtunt, aut perennant, ſed cum tempore mutantur. Aſt de re manifeſta non opus eſt, ut diſertius dicamus. Ceterum quantum tempus eſſe debeat ſilentii, ut præſumtioni derelictionis rei ſufficiat, ex circumſtantiis particularibus caſus dati definiendum. Neque enim præſumtio ex ſolo tempore fit, ſed etiam ex iis, quæ in tempore accidunt, ac inprimis ex circumſtantiis tum reſpectu ejus, qui rem poſſidet, quam alterius, cujus ea eſt.

§. 1059.

Qualis ſit derelictionis rei præſumtio adverſus negligentem.

Præſumtio derelictionis rei adverſus negligentem in inquirendo in res ſuas eſt præſumtio abſoluta, ſeu juris & de jure. Per anteriora patet, dominia rerum ſemper fore in incerto, niſi admittatur præſumtio, quod multo tempore in res ſuas inquirere negligens eas derelinquat, ita ut contra eum pro vero habeatur, quod eas derelinquat. Quoniam itaque lex naturæ dat jus ad eos actus, ſine quibus dominiorum certitudo obtineri nequit (§. 1050.); præſumtio derelictionis rei adverſus negligentem in inquirendo in res ſuas eſt præſumtio abſoluta, ſeu juris & de jure (§. 1032.).

Nolumus prolixe probare, quod ſine præſumtione derelictionis rei nulla concipi poſſit dominiorum certitudo, cum hoc vulgo concedatur ab omnibus, nec principiorum juris naturæ de dominio ac pendentibus hinc juribus ignarus difficulter rationes a priori perſpiciat, cur certitudo dominiorum ab eadem pendeat.

§. 1060.

Qui precario poſſidet, & qui mala fide poſſidet, rei derelictionem a domino factam præſumere nequit. Etenim qui precario poſſidet, novit rem eſse alterius, & eam domino ſuo reſtituendam eſse, quando voluerit (§. 1043.). Quodſi ergo dominus non declaret, ſe reſtitutionem nolle, eam tanquam rem ipſius poſſidet. Nulla igitur ratio eſt, cur præſumere debeat, quod eam dereliquerit. *Quod erat unum.* *An qui precario & qui m. fid. poſſidet rei derelictionem præſumere poſſit.*

Qui mala fide rem poſſidet, is novit eam non eſse ſuam (§. 153. *p.* 2. *Jur. nat.*) & omnem dare debet operam, ut domino ſuo reſtituatur (§. 466. *p.* 2. *Jur. nat.*). Quoniam itaque dum eam domino ſuo reſtituit, ſcire poteſt, utrum velit eandem pro derelicta haberi, nec ne, præſumtioni autem tantummodo locus eſt, ubi de veritate certo conſtare nequit (§. 247. *p.* 2. *Jur. nat.*); ; qui mala fide poſſidet, ei jus nullum eſt præſumendi, quod dominus eandem derelinquat. *Quod erat alterum.*

[a] Si poſſeſſor m. f. rem non reſtituit, is doloſe celat rem eſſe alterius, adeoque in cauſa eſt, ne dominus in ejus notitiam venire poſſit. Abſonum itaque foret ſtatuere, quod lex naturæ ipſi concedat jus derelictionem præſumendi ut eam uſucapere poſſet: cui etiam obſtat perpetua obligatio rem reſtituendi. Alia quæ de derelictione præſumta & præſcriptione præſertim jurium in re aliena eorundemque uſucapione dici adhuc poterant, rectius alio loco tradentur.

Finis partis tertiæ Juris naturalis.

CONSPECTUS
PARTIS TERTIÆ.
JURIS NATURÆ

De modo acquirendi Dominium & jus quodcumque præſertim in re alterius derivativo.

CAPUT PRIMUM.

De modo acquirendi derivativo in genere. 1

CAPUT II.

De obligatione circa Sermonem. 50

CAPUT III.

De Sinceritate, Simulatione & Diſſimulatione. 103

CAPUT IV.

De modo ſeſe alteri obligandi, ubi de Promiſſione & Pactis in genere. 117

CAPUT V.

De Aſſeveratione, Jurejurando & Voto. 295

CAPUT VI.

De modo alteri conſtituendi jus quoddam in re ſua. 337

De Derelictione præſumta, Uſucapione & Præſcriptione.

FINIS CONSPECTUS.

IN-

INDEX

RERUM PRÆCIPUARUM ET VERBORUM,

In quo numeri Paragraphos indicant.

A

ABdicatio juris. Definitio. 115. an ſit modus jus transferendi. 116. an naturaliter licita. 118
Abſens num jurare poſſit abſenti. 940
Abuſus libertatis num tribuat jus agendi. 420
Acceptatio. Definitio. 2. num ad translationem dominii vel juris proprii ſit neceſſaria. 7. 385. quando præcedat, quando ſequatur voluntatem domini jus transferentis. 10. qualem requirat animum. 392. quodnam jus & quamnam obligationem pariat. 382. quando præſumatur. 714. quando præſumta validam efficiat promiſſionem. 718. num per miniſtrum fieri poſſit. 748. num innoteſcere debeat promiſſori, ut valeat promiſſio. 715. & ſeqq. 719. quando poſt mortem promiſſoris fieri poſſit. 717. 720. num habeat locum in pollicitatione & nuda aſſertione. 384. quo fine fiat. 381
Acceptatio non facta num liberet a voto. 977
Acceptatio expreſſa. Definitio. 8
præſumta. Definitio. ib.
Acceptatio promiſſionis abſenti facta num ab alio præſente fieri poſſit. 751
Acceptatio promiſſionis in literis factæ num fieri poſſit, antequam ea perferantur. 735. 736. cur ea non obſtante revocari poſſit promiſſio. 736
Acceptatio tacita. Definitio. 8
Accipere quid ſignificet. 2
Actiones quænam debeant eſſe ſinceræ. 317. quænam non ferant ſimulationem. 326
Actus obligatorius num fiat per juramentum ex non obligatorio. 904
Ænigma. Definitio. 209. uſus. 210. an in ſe licitum. 211. an ad ambiguum ſermonem referendum. 212. ejus moralitas quomodo dijudicanda. 213. quando licitum ad evitanda pericula. 217
Æſtimatio rei promiſſæ quando præſtanda. 661
Agendum nihil quandonam ſit. 261
Alienatio rerum communium quomodo fiat. 142
Alienatio partis rei communis quodnam jus pariat. 144. quando valida. 145
Alienatio rei promiſſæ lege naturali prohibita. 666. 667
Allegoria. Definitio. 207. cur ad eam ingenium requiratur. 208
Ambigue loquendo quomodo verum loquamur. 223
Ambiguitas in loquendo. Definitio. 100. quando non ſit falſiloquium. 191. quando ſit. 195. quando ſit imprudentis. 191. quando culpoſa & vitanda. 192. quando illicita & mendacio æquipolleat. 193. 194.
Amentes num promittere poſſint. 449
Amentibus quando falſum dicere liceat. 219
Amore inſano laborans num valide promittat. 452
Animi ſui ſenſa quando alteri ſignificare teneamur. 159. 160. quando non celanda. 163
Animus deliberatus. Definitio. 387. quid ſupponat. 388. in agendo præceptus. 390. ad quid requiratur. 391. 392. ad juramentum. 878. juramenti delationem. 879. & votum requiſitus. 963
Animus deliberatus promiſſarii a quonam dijudicandus. 423. 424. quando præſumatur. 425
Animus deliberatus promiſſoris a quonam dijudicandus. 422. 424. quando præſumatur. 425
Animus indeliberatus. Definitio. 387. quid ſupponat. 389
Appetitus ſenſitivus quando invalidum efficiat promiſſum. 459
Apprehenſio. Definitio. 32. in quo conſiſtat. 33. num per literas fieri poſſit. 58. quo-

quomodo fiat in ceſſione. 91
Apprehenſio brevi manu. Definitio. 41.
quomodo fiat. 57. 61
Apprehenſio longa manu. Definitio. 47.
quomodo fiat. 55
Apprehenſio rei immobilis quomodo fiat. 53. 54. 62.
Apprehenſio rei incorporalis quando fiat. 63. 64
Apprehenſio rei mobilis quomodo fiat. 52
Apprehenſio ſymbolica. Definitio. 74. num fieri poſſit. 75
Arcanum. Definitio. 267. ratio. 270
Arcana committere. Definitio. 268. num aliis ſua committere liceat. 272
Arcana prodere. Definitio. 268. num liceat. 273. 274
Arcana inimici num prodere liceat. 275
Aſſertio nuda præſtandi. Definitio. 371. an per eam transferatur jus aliquod. 372. an ea contrahatur obligatio. 373. an acceptationem excludat. 384. an in ſe licita. 386. an temere facta ſit licita. 771. ejus effectus. 380
Aſſerens nude ſe quid præſtare velle, num licite voluntatem mutet. 379. cur perfecte obligari non poſſit. 383. num fidem adſtringat. 763. num fallat, ſi non præſtet, quod dixit. 764. num perfidus fieri poſſit. 770
Aſſeveratio. Definitio. 851. quando licita. 854. 855
Aſſeveratio nuda. Definitio. 859
Aſſeveratio pœnalis. Definitio. 859. quando illicita. 862
Aſſeveratio temeraria num licita. 856
Atheus num jurare poſſit. 873

B

Belli cauſa injuſta denegatio imperfecte debiti. 410
Belli cauſa juſta denegatio perfecte debiti. 409. denegatio officii humanitatis promiſſi. 440
Bona fides quando præſumatur. 1039. 1040
Bona fide quando res poſſideatur. 1037. 1048

C

Cedens. Definitio. 82
Ceſſio. Definitio. 81. quomodo fiat. 83. quomodo jus vi ejus tranſeat in alium. 84. ejus effectus. 85. num fieri poſſit ſine conſenſu ejus, qui ad quid præſtandum obligatur. 89. quando fieri nequeat. 90. quomodo in ea jus tradatur & apprehendatur. 91. quando naturaliter permittenda. 117
Ceſſio juris in rerum communium diviſione. 138
Ceſſionarius. Definitio. 82. quantum ſit ejus jus. 86. quanta obligatio. 87. 88. jus belli ei competens. 92. vis licita. 94
Circumſpectio ſingularis in rebus acquirendis. 1051
Cogere quid ſit. 795
Communicatio operarum. Definitio. 120. qualis ſit dominiis introductis. 121. num ad eam ſimus obligati. 123
Communio quando invitis iis, qui in eadem ſunt, ſubſiſtat. 139
Communio poſitiva num plura contineat dominia. 131. quando intereat. 132. quando ex ea alia naſcatur. 133. quomodo lucrum & damnum in ea dividendum. 135. num quis invitus in ea manere cogatur. 146. 147
Communio primæva num ſit jus in re. 780. ad quodnam homines ſtante ea ſeſe invicem obligare potuerint. 434
Communis dividundi negotium quomodo exitum habeat. 140
Communium rerum adminiſtratio num omnium requirat conſenſum. 141. an alienatio abſque conſenſu ſit valida. 142. an quilibet ratam ſuam alienare poſſit. 143. 145. quodnam jus pariat ratæ alienatio. 144
Conditio dans cauſam promiſſo. Definitio. 504. quid operetur, ſi eam certo exituram putes. 505
Conditio an tacite adjici poſſit promiſſioni, vel pacto. 809. quando per ſe inſit. 806. cuinam tum æquipolleat. 807. 808. certo extitura quid deſignet. 502. quot modis plures adjiciantur promiſſioni. 531. & ſeqq.
Conditio caſualis. Definitio. 487
Conditio honeſta. Definitio. 492

Con-

Conditio impoſſibilis. Definitio. 483. num ſub ea promitti poſſit. 484
Conditio mixta. Definitio. 487
Conditio moraliter impoſſibilis. Definitio. 491.
Conditio negativa. Definitio. 489. quando exiſtat. 490
Conditio poſſibilis. Definitio. 485. unde agnoſcatur. 486. in promiſſione ſola admittenda. 493
Conditio poteſtativa. Definitio. 487. quando ab ipſo promiſſario adimplenda. 551. quando per alium liceat. 552
Conditio poteſtativa in forma ſpecifica impleri quando dicatur. 553. quando debeat. 554
Conditio poteſtativa per æquipollens impleri quando dicatur. 553. quando poſſit. 554
Conditioni poteſtativæ ex parte promiſſarii qualis inſit obligatio. 550
Conditionem poteſtativam ex parte ſui non adimplens num ſit perjurus. 953
Conditio promiſſioni adjecta quid efficiat. 481. 482.
Conditio promiſcua. Definitio. 487
Conditio reſolutiva. Definitio. 488. effectus, ſi exiſtet. 530. quænam ſub ea promitti poſſint. 525
Conditio ſuſpenſiva. Definitio. 488
Conditio tacita, ſub qua dominia introducta. 432. 433
Conditio turpis. Definitio. 491
Conſcientia dubia num agere liceat. 260
Conſenſus ad translationem juris requiſitus. 9. item ad conventionem. 699. quando præſumatur. 1054. num vi & metu extortus valeat. 574
Conſtitutione juris in re aliena quid alienetur. 1012
Conteſtatio. Definitio. 948
Continuatio præſtationis. Definitio. 509. quid in promiſſione efficiat. 511
Continuatio repetitionis præſtationis. Definitio. 509
Contractus. Definitio. 793. num naturaliter a pacto differat. 794. Objectum. 796.
Convaleſcere quando dicatur promiſſio. 588
Convenientium quale ſit judicium. 700
Conventio. Definitio. 698. an per ſe obliget. 701. quomodo fiat actus obligatorius. 702. quando inſit promiſſioni. 703.
Conventio pactum diſſolventium. 844
Conventio de pactis in ſcripturam referendis. 847
Cura non admittendi in patrimonium ſuum res alienas. 1048
Correi credendi. Definitio. 692. quomodo non conſtituantur. 693
Correi debendi. Definitio. 692. num uno excuſſo alterum excutere liceat. 696
Correi promittendi. Definitio. 692. quot modis conſtitui poſſint. 706. an ſibi invicem teneantur. 697. quando ſibi invicem teneantur. 705
Correi ſtipulandi. Definitio. 692. quomodo non conſtituantur. 693
Correorum conſtitutio quid operetur. 694
Correus num conſtitui poſſit, partem rei ab alio promiſſæ promittendo. 710
Curioſitas temeraria in interrogando quomodo redarguenda. 203
Cryptographia. Definitio. 252. quando licita. 255. 253. an exercitii gratia licita. 254
Cryptographiæ abuſus. 257
Cryptologia. Definitio. 252. quando licita. 253. 255. an exercitii gratia licita. 254.
Cryptologiæ abuſus. 257

D

Damnum. Definitio. 285
Damnum quomodo dividatur in communione poſitiva. 135. quando a promiſſario reſarciendum. 573
Damnum mora datum num reſarciendum. 655.
Damnum promiſſione erravtis datum quando reſarciendum. 571
Damnum promiſſori datum metu incuſſo quinam reſarcire teneatur. 578
Dare & facere in quantum ſint idem. 122.
Datum ad certum finem num reſtituendum, ſi moriaris modo non adimpleto. 566.
Debitor. Definitio. 95
Debitum ex obligatione connata quale ſit. 402. num denegari poſſit. 400
Debitum ex obligatione dandi & faciendi naturali num ſit juſta cauſa belli. 409. num læſio. 411. num peccatum. 412. num injuria. 413

Digitized by Google

Debitum ex obligatione contracta quale ſit. 403.

Debitum ex voto num licite promittatur. 978.

Debitum imperfecte. Definitio. 401. quomodo in perfecte debitum mutetur. 404. num denegatio ejus ſit injuria. 413. an læſio. 411. an peccatum. 412. num juſta cauſa belli. 409

Debitum perfecte. Definitio. 401. num ſit juſta belli cauſa. 409

Deductio juris. Definitio. 443. finis. 444. quænam ad eam requirantur. 445. cuinam naturaliter licita. 446

Deiſta num jurare poſſit. 873

Deliberatio promiſſarii quænam eſſe debeat. 395.

Deliberatio promiſſoris quænam eſſe debeat. 394

Delirantis promiſſio num ſit valida. 457

Derelictio rei quando adverſus dominum pro vero habeatur. 1019. quod ex facto poſitivo præſumatur. 1053. quando ex ſilentio præſumatur. 1056. 1058

Derelictionis rei præſumtio adverſus negligentem qualis ſit. 1059

Deus eſt teſtis num ſit juramentum. 895

Dicta alium offenſura num ſint licita. 263. 264.

Diligentia inquirendi in res & jura ſua præcepta. 1047

Diſcedens a pacto ad quid teneatur, quando alteri jam aliquid præſtitit. 830

Diſſimulare num liceat. 351

Diſſimulatio quando licita. 353. quando illicita. *ibid.* quando inſit falſiloquio. 377.

Diſſimulatio veritatis quando licita. 170. 171.

Dominia ſub qua tacita conditione fuerint introducta. 432. 433

Dominii introductio quamnam diligentiam cauſata. 119

Dominii præſumtio num oriatur ex ſola poſſeſſione. 1033

Dominii ſui certa cognitio præcepta. 1039

Dominii transferendi modus unde definiatur. 11. in quo conſiſtat. 13

Dominium quale ſit jus. 779. num in communione poſitiva ſit multiplex. 131. in quem transferatur. 712. qua lege transferri poſſit. 11. 24. & ſeqq. num in abſentem transferri poſſit. 59. an ab abſente transferri poſſit. 37. quomodo acquiratur ab alio. 1. num ſola voluntate transferatur. 13. num transferatur reſtitutionis remiſſione. 100. num contineat jus, an ſaltem impunitatem abutendi. 421. num acquiri poſſit ex derelictione præſumta. 1017. 1020. quando acquiratur conſenſu domini præſumto. 1026. num in uſucapione præſcribatur. 1131. quando transferri non debeat in alium. 127

Dominium rei non poſſeſſæ num transferri poſſit. 26

Dominium rei promiſſæ num a promiſſore in alium transferri poſſit. 662

E

EBriis quando falſum dicere liceat. 221

Ebrii promiſſio num ſit valida. 453. 454. an ſi a ſobrio renovetur. 456

Error quando vitiet promiſſionem. 569. quando non. 570

Execratio. Definitio. 865. an licita. 869. num juramento licite inferatur. 898

Execrari ſeipſum num liceat. 870

Exigere quid ſit. 795

F

FAcere & dare in quantum ſint idem. 122.

Facta quando verbis æquipolleant. 286

Facta temeraria. Definitio. 277. an licita. 278

Factum alienum num promitti poſſit. 602. & ſeqq. quando promittens teneatur ad id, quod intereſt. 604. quando ipſe quid præſtare teneatur. 605. quando non teneatur ad omnem diligentiam in facto alieno obtinendo. 610

Factum illicitum tertii qualis ſit conditio. 497.

Factum proprium promiſſioni alienæ adjectum num ſit pœna. 608

Fallere alterum quid ſit. 330

Falſa dicentis intentio generalis. 331

Falſiloquium. Definitio. 156. 322. finis. 179. 180. qualis ſit ſermo. 333. qualis actio. 158. num ſupponat falſitatem logicam. 157. quid in eo ſimuletur. 334. quando prohibitum. 164. 165. unde illicitum reddatur. 166. cur non permiſ-

ſum

Digitized by Google

ſum tacere valenti. 184. num in hoc caſu ſit mendacium. 186. quando per exceptionem evadat illicitum. 342. 344. quando licitum. 172. num ſit licitum quando quis dicit ſe rem falſam dicere. 173. 174. quando licitum ad evitandum periculum. 216. quando ad veritatem eliciendam. 222

Falſiloquium licitum num juramento confirmare liceat. 958

Falſitas moralis. Definitio. 152

Falſum loqui num liceat, metu periculi a veriloquio imminentis. 214. eo fine, ut alter alterum fallat. 227

Falſum loquendo quando verum dicamus. 223.

Falſum moraliter num logice verum eſſe poſſit. 153.

Fides. Definitio. 757. quid ſupponat. ib.

Fidem adſtringere. Definitio. 758. num adſtringatur promiſſario. 760. 761. de quo adſtringatur juramento. 934

Fidem dare. Definitio. 758. num detur nude aſſerendo. 763. num Deo detur a vovente. 962

Fidem fallere. Definitio. 758. quando fallat promiſſor. 759

Fidem ſervare. Definitio. 758. quando ſervetur a promiſſore. 759. num ab eodem ſervanda. 765. 755. num ſervanda a pollicitatore. 777

Furioſis num falſum dicere liceat. 220. num promittere poſſint. 449. an in lucidis intervallis valide promittant. 451.

Futilitas. Definitio. 281

G

Garrulitas. Definitio. 280. an ſit vitium. ibid.

H

Hypocriſis. Definitio. 323. an illicita. 324

I

Jactantia. Definitio. 282. num prohibita. 283. quando ſine ea recenſeantur merita propria. 284

Id quod intereſt. Definitio. 622. quando ad id teneamur. 623. 626

ad Id quod intereſt teneri quid ſit. 625. quando teneamur. 626. num quis ob moram teneatur. 655

Ignorare alios cur quid velimus. 269

Impedimentum inevitabile. Definitio. 639. removet imputationem moræ. 640

Impoſſibile num promitti poſſit. 633

Imprecatio. Definitio. 863. num licita, an juramento licite inſeratur. 898

Impunitas agendi. Definitio. 418. an obtineat in abuſu libertatis. 420

Impunitas denegando id, quod quis petit. 419.

Impunitas re abutendi cur inſit dominio. 421.

Indigentia ex introductione dominiorum orta. 119

Infantes num promittere poſſint. 449

Infantibus quando falſum dicere liceat. 218.

Interpretatio reſponſionis ad pollicitationem & nudam aſſertionem alteri quid præſtandi. 385

Inutilium promiſſio num valida ſit. 798

Jocari quando liceat. 303

Jocus. Definitio. 287. ratio. 288. quinam licitus. 289. quinam illicitus. 290. quando ab eo abſtinendum. 306. 313. quomodo iis utendum. 301. quando voluptas ex iis percipienda ſit innocua. 302. num per jocum dicta vel facta in ſerium convertere liceat. 304

Jocus num decorus eſſe debeat. 312

Jocus indecorus num illicitus. ibid.

Iratis quando falſum dicere liceat. 221

Judicia de aliorum dictis & factis qualia eſſe debeant. 305

Juramentum. Definitio. 852. effectus. 934. effectus in promiſſione ſub conditione poteſtativa ex parte promittentis. 952. ad quid obliget. 880. 881. num producat obligationem præſtandi. 903. num ex actu non obligatorio efficiat obligatorium. 904. num tacitas exceptiones & conditiones arceat. 908. an refer-

reſervationibus mentalibus faciat locum. 909. num promiſſionem invalidam poſſit efficere validam. 905. num conditionatam vertat in puram. 951. num requirat animum deliberatum. 878. num animum jurandi. 877. quale pactum contineat. 884. quinam non ſervet. 932. num ſit ſervandum. 931. num de re illicita præſtitum obliget. 913. an idem ſit licitum. 914. quando in genere ſit licitum. 916. quando non. 917. & ſeqq.

Juramentum actui non obligatorio ſuperaccedens num ſit licitum. 915

Juramentum falſum quibus actibus malitiosis conſtet. 872

Juramentum per Deos falſos num validum. 886. quinam per eos jurare poſſit. 887. quando per eos jurari nequeat. 888

Juramentum per res alias quam Deum quando perperam videatur. 891. quando non. 893. quando æquipolleat juramento per Deum. 890

Juramentum promiſſioni accedens quid indicet. 907

Juramentum, qua falſiloquium licitum confirmatur, num ſit pejeratio. 959

Juramentum aſſertorium. Definitio. 900. ejus ſenſus. 901

Juramentum promiſſorium. Definitio. 900. quidnam eo confirmetur. 902

Juramentum promiſſorium generale. Definitio. 954

ſpeciale Definitio. 955

Juramentum ſcriptum num valeat. 939

Juramentum ſponte oblatum quando non acceptandum. 923. 925

Juramenti delatio. Definitio. 892. quando illicita. 922. 924. quando tacite fiat. 921. an licita, ſi juratorus de pejeratione. vel perjurio ſuſpectus. 938.

Jurandi formulæ quales eſſe debeant. 889

Jurans quænam de Deo ſcire debeat. 871. quomodo alteri obligetur. 885. num licite Deo præſcribat pœnam temporalem 896. quænam expendere debeat. 882.

Jurantis verba proferre num ſit jurare. 874. num liceat. 876. quando illa ſint temeraria. 875

Jurare per res alias quam per Deum quo ſenſu non liceat. 897

Jurare qui ſibi patitur quænam expendere debeat. 883

Jurare ſponte ſua num liceat. 920

Jurare in animam alterius. Definitio. 941. an juramentum hoc ſit validum. 942.

Juratum promiſſum quando non præſtandum. 949. quando ſine perjurio non præſtetur. 950

Juraturum num obteſtari liceat. 945

Juris partem quinam remittat. 98

Juris transferendi modus unde definiatur. 11. in quo conſiſtat. 13

Jus num per miniſtrum acquiri poſſit. 723. quantum acceptatione acquiratur. 382. quale acquiratur ex promiſſione conditionata. 466. quodnam ſit ejus, qui pactum adimplevit, adverſus diſcedentem a pacto. 831. quodnam ejus, qui ſibi reſervavit, num ſingulis in ſolidum teneri velit. 689. quodnam eorum, quibus ſingulis in ſolidum teneatur promiſſor. 688

Jus abutendi re ſua num inſit dominio. 421.

Jus ad actus, ſine quibus dominiorum certitudo obtineri nequit. 1050

Jus ad id, ad quod dandum vel faciendum naturaliter nobis quis obligatur, quale ſit. 355

Jus ad pollicitum quale ſit. 370

Jus ad rem. Definitio. 781. cuinam juri cohæreat. 782. ad quid proſit. 783. quod promiſſione acquiratur. 784

Jus ad rem imperfectum. Definitio. 785. cuinam juri cohæreat. 786. ad quid proſit. 787

Jus ad res & actiones nobis competens quando certum. 447. quando incertum. *ibid.*

Jus affirmativum. Definitio. 989

Jus affirmativum in re ſua alteri conſtituens ad quid obligetur. 991

Juris affirmativi poſſeſſio in re aliena quomodo acquiratur. 993

Jus belli ceſſionario competens. 92. quomodo acquiratur. 93. ex jure in re aliena natum. 1009. adverſus violatorem pacti. 848. num competat in eum, qui præſtare non vult debitum. 407

Jus certum. Definitio. 441

Jus comparandi ſibi res vel operas ab aliis quale ſit. 356. quando nullum 128. 130. quando competat. 126

Jus

Jus defendendi jus in re aliena ſibi conſtitutum quomodo acquiratur. 1007. poſſeſſio hujus juris quomodo acquiratur. 1008
Jus delatum. Definitio. 110
Jus ex pacto de jure in re aliena conſtituto quodnam naſcatur. 1005. 1006
Jus ex promiſſione jure in re conſtituendi quodnam naſcatur. 1004
Jus ex pœna aſſeverationi adjecta quodnam enaſcatur. 861
Jus externum. Definitio. 396. quale ſit. 397. unde derivetur. 398. ejus quoad dandum & faciendum origo. 406
Jus incertum. Definitio. 441. quale ſit. 480.
Jus in miniſtrum collatum num ſit revocabile. 742. an extinguatur morte conferentis. 744
Jus in re. Definitio. 778. quid involvat. *ib.*
Jus in re aliquo quinam alteri conſtituere poſſit. 982. qui non poſſit. 983. undenam conſtitutio & modus conſtituendi pendeat. 984. quinam ſit ejus effectus. 1003
Jus in re aliena quomodo conſtituatur. 986. & ſeqq. num conſtitutum rei alienatione extinguatur. 1011. quale ſit. 1013. 1014.
Juris in re aliena conſtituti poſſeſſio quando incipiat. 998. num ante diem acquiri poſſit, ſi jus in diem conſtitutum. 1000. num ante poſſeſſionem, ſi conſtitutio fuerit conditionalis. 999
Juris in re aliena quantum quis conſequi poſſit. 985
Jus internum. Definitio. 396
Juris interni quoad dandum & faciendum origo. 406
Jus miniſtri quodnam ſit. 724. an extinguatur morte promiſſarii. 747
Jus mutandi voluntatem quando homini competat. 374. quando non. 375. quale ſit externum. 377
Jus negativum. Definitio. 930. quando ejus liberum exercitium incipiat. 995. ad quodnam id alteri in re ſua conſtituens obligetur. 992. quomodo ejus in re aliena poſſeſſio acquiratur. 994. quando acquiratur. 996
Jus negativum conditionatum in re aliena quando repudiari præſumatur. 1002
Jus perfectum ad id, quod ex voto debetur. 975. ad officium humanitatis quomodo acquiratur. 439
Jus perſonale. Definitio. 539. qua promiſſione acquiratur. 540. num ſit alienabile. 541. quando deſinat. 542
Jus poſſidendi quando transferatur. 19. quomodo transferatur. 20. quando cum dominio ſimul transferatur. 25
Jus promiſſarii quale ſit. 364. quomodo acquiratur. 365. quale ex promiſſione rem promiſſam non alienandi acquiratur. 664. & ſeqq.
Jus promiſſariorum, quibus conjunctim facta promiſſio, ſi promiſſor in mora fuerit. 690
Jus promiſſarii, ſi plures correi promittendi diverſo modo conſtituantur. 707. 708. 709.
Jus ex promiſſione acquiſitum quale. 784
Jus proprium quomodo acquiratur ab alio. 1. num ſola voluntate transferatur. 13
Jus reale. Definitio. 778
Jus ſingulare ex promiſſione juris in re aliena conditionata enaſcens. 1001
Jus quæſitum. Definitio. 102. certitudo ejus quando conſtet. 442

L

Libertas naturaliter promittendi, pollicendi & nude aſſerendi, quod quid præſtare velis. 386
Libertatis abuſus num jure fiat. 420
Literarum loco num ex compacto aliis ſignis uti liceat. 247
Literarum ſignificatus num in ſcribendo ſit retinendus. 246
Loquendum quomodo ſit. 148
Lucida intervalla furioſi. Definitio. 450. num furioſus in iis polleat uſu rationis. *ibid.* num in iis promittere poſſit. 451.
Lucrum. Definitio. 613. quomodo dividendum in communione poſitiva, 135.
Lucrum certum. Definitio. 615. qualis ſit res. 618. 619. impediens quid impediat. 620
Lucrum ceſſans. Definitio. 614. quale ſit. 616. quandonam ceſſet. 617. num æquipolleat damno. 621. num ob moram ceſ-

ceſſans ſit reſarciendum. 655. ejus effectus. 628
Ludendum temere num ſit. 311
Ludus. Definitio. 287. ratio. 288. finis. 307. quales eſſe ludi debeant. 308. quinam liciti. 309. quinam animi gratia recte fiant. 310. quandonam ab iis abſtinendum. 306

M

MAla fides num præſumatur. 1041
Mala imprecari quinam dicatur. 863. quibus ſoleant homines. 867. an liceat. 868. ſibi ipſi num liceat. 870
Manifeſte loqui quid ſit. 250. finis. 251
Manifeſte ſcribere quid ſit. 250. finis. 251
Medio licito num uti liceat ad finem illicitum. 256
Melancholici promiſſio num ſit valida. 460. 461.
Mendacium. Definitio. 182. quod ſit illicitum in ſe. 183. qualis ſit ſermo. 337. num liberet promiſſorem ab obligatione. 429
Mendax. Definitio. 182. quid ſimulet. 335.
Mentiri quid ſit. 287. an unquam licitum. 188
Merces ob factum illicitum promiſſa num ſit præſtanda. 496
Merita propria quando recenſeantur ſine jactantia. 284
Metus incuſſus num vitiet promiſſionem. 575. & ſeqq. ab alio incuſſi notitia num eadem vitiet. 581
Miniſter. Definitio. 721. obligatio, quænam ſit. 730. quomodo perficiatur. 731. quantum juris habeat. 724. num nobis contrahere poſſit obligationem & jura acquirere. 723. num poſt mortem promiſſoris promittere poſſit. 745. num eo mortuo promiſſio revocari poſſit. 738. num eo inſcio revocari poſſit. 740. 743. quo effectu eo utamur in negotiis noſtris. 722
Miniſterii ratio cur alteri ſignificanda, cum quo per miniſtrum agendum. 726
Miniſtrorum differentia. 725
Miniſter acceptandi. Definitio. 721
Miniſter promittendi. Definitio. ibid.
Miniſter contrahendæ obligationis. Definitio. ibid.
Modus quid ſignificet in promiſſione. 557. an ſuſpendat obligationem, vel differat exactionem. 560. an ſit conditio ſuſpenſiva. 561. quid efficiat, 563. quando ejus habenda ratio in promiſſione ſub conditione ſuſpenſiva & in diem facta. 564.
Modi impletio. Definitio. 558. adimplendi obligatio quomodo tollatur. 631
Mora. Definitio. 638. quando intercedat inter acquiſitionem juris & poſſeſſionis ejus. 997. quando agenti imputetur. 340. quando ſit culpa. 643. 644. 648. quando non ſit. 645. 646. cuinam imputetur. 647. an debitori indulgenda. 653. an eam indulgere liceat. 654. quid eam excuſet. 651
in Mora eſſe quinam dicatur. 638. quinam non ſit. 641. 642. num eſſe liceat. 652. in ea qui eſt ad quid teneatur. 655
Moram non ferre quid dicatur. 638
de Mora ſe purgare. Definitio. 649. quomodo hoc fiat. 650
Moraliter falſum num logice verum eſſe poſſit. 153
Moraliter falſum loquens quid intendat. 175. quod animi ſui ſenſa occultare ſtudeat. 176
Moraliter verum quando quis dicat. 151
Motiva falſa quando licita. 218
Mutatio voluntatis quando licita. 374. quando illicita. 375. 376. 378. quando permittenda. 377. quando licita pollicitatori & nudo aſſertori. 379

N

NEgligentia inquirendi in res & jura ſua prohibita. 1046
Voluntas expreſſa. Definitio. 5
præſumta an ſit tacita. 6
tacita. Definitio. 5. num ſit præſumta. 6

O

OBligandi ſeſe perfecte modus. 393
Obligatio quænam acceptando reſultet. 382. de qua convenitur, num ſit valida. 704. qualis inſit conditioni poteſtativæ. 550. num per miniſtrum contrahi poſſit. 723. quinam

Digitized by Google

num eam tollere poſſit. 674. 837. num contrahatur nuda aſſertione præſtandi. 373

Obligatio ejus, cui ob certum finem quid datur. 556. ejus, qui per miniſtrum cum alio agit. 727. 728. ex jure affirmativo in re ſua conſtituto contracta. 991. ex jure negativo in re ſua conſtituto contracta. 992. ex juramento enata. 880. ex pœna aſſeverationi adjecta naſcens. 860

Obligatio acquirendi certam cognitionem dominii ſui. 1049. promovendi certam dominii alieni cognitionem. 1052. non efficiendi, ne alter minus habeat, quam habere debebat. 624

Obligatio ad animum deliberatum in agendo. 390. ad dominia transferenda & operas communicandas. 123. circa ſermonem. 148. & ſeqq.

Obligatio ad id quod intereſt quomodo contrahatur. 629. quando a promiſſore contrahatur. 630. quomodo tollatur. 632

Obligationis ad dicendum verum effectus. 427. in promiſſore. 428

Obligatio connata dandi & faciendi qualis ſit. 405

ex Obligatione connata debitum num denegari poſſit. 400. quale ſit. 402

Obligatio dandi & faciendi qualis ſit. 354

Obligatio dandi & faciendi contracta, qualis ſit. 405. ejus vis. 404. quale gignat debitum. 403

Obligatio dandi & faciendi perfecta quomodo naſcatur. 357

Obligatio externa qualis locum habuerit in communione primæva. 434

Obligatio incerta qualis ſit. 480

Obligatio in ſolidum in promiſſione pluribus facta unde naſcatur. 684

Obligatio miniſtri. 730. quomodo perficiatur. 731

Obligatio mutua ad dandum & faciendum. 124. 358. 359.

Obligatio mutua dandi & faciendi naturalis qualis ſit. 399. quale ſit officium. 410

contracta qualis ſit. 399

Obligatio naturalis rem promiſſam non alienandi. 666. 667

Obligatio perfecta cur non cadat in pollicitatorem, nec in nudum aſſertorem. 383

Obligatio perfecta faciendi quid ſit. 360

Obligatio perpetuari quando dicatur. 510

Obligatio pollicitatoris qualis ſit. 369

Obligatio promiſſarii ad dicendum verum. 426

Obligatio promiſſoris quoad rem promiſſam. 671. 672. qualis ſit. 363. quomodo valida efficiatur. 365. qualis ſit ſub conditione poteſtativa ex parte ſui. 522. 523. dicendi verum. 426

Obligatio promittentis factum alienum. 602. 603. 604. 605.

Obligatio ſervandi fidem. 775. promiſſa. 431

Obligatio ſignificandi alteri animi ſui ſenſa quando obtineat. 159. 160

Obligatio voventis. 964

Obligationis renovatio. Definitio. 455

Obteſtatio. Definitio. 944. quando licita. 946. 947

Occulte loqui quid ſit. 250. finis. 251

Occulte ſcribere quid ſit. 250. finis. 251

Offenſura alium num loqui liceat. 263. 264

Officium humanitatis quale ſit debitum. 436. quando fiat perfecte debitum. 437. denegatio ejus quando juſta cauſa belli. 440

Onus promiſſioni adjectum. Definitio. 585. an adjicere liceat. 586. cur citra injuriam adjiciatur. 587. quando revocabile. 756

Operarum communicatio. Definitio. 120. qualis ſit dominiis rerum introductis. 121. num ad eam obligemur. 123

Opus de verborum ſignificatu in Jure Romano quale adhuc deſideretur. 795

P

Pacifcentes quando fidem fallant, quando fiant perfidi. 790

Pactum. Definitio. 788. objectum. 797. an naturaliter obliget, ſeu ſervandum ſit. 789. an non ſervandum ob inutilitatem. 799. de quibus non & quomodo validum fiat. 800. num valeat, antequam in ſcripturam referatur. 846. quomodo ea de re conveniri poſſit. 847. quomodo renovetur. 819. & ſeqq. quomodo continuetur ultra terminum præſtitutum vigore primæ conventionis. 824. num eo conſtituatur jus in re aliena. 988. quale juramento contineatur. 884.

Pactum æternum. Definitio. 804. num ſit reale. 805

Digitized by Google

Pactum affirmativum. Definitio. 841
Pactum conditionatum. Definitio. 792
Pactum expreſſum. Definitio. 791
Pactum in diem factum. Definitio. 792
Pactum mixtum. Definitio. *ibid.*
Pactum negativum. Definitio. 841
Pactum perſonale. Definitio. 801. quando videatur. 802. quando extinguatur. 803
Pactum purum. Definitio. 792. quod purum videtur quando ſit conditionatum. 811. num conditio tacite adjici poſſit. 810
Pactum reale. Definitio. 801
Pactum tacitum. Definitio. 791. quamdiu tacite renovatum duret. 823
Pactum temporarium. Definitio. 804. quando ſit reale. 805. quodnam non ſit. 813. quando finiatur. 814
Pactum diſſolvere. Definitio. 836. quomodo diſſolvatur. 838. 840. 845. num diſſolvere liceat. 838. quid diſſolutio efficiat. 842. qualis eidem inſit promiſſio. 843
Pactum diſſolventium conventio. 844
a Pacto recedere quando liceat. 827. an recedatur ſine perfidia. 828. num recedere liceat, ſi in alio pacto alter fidem fallit. 834. quid juris, ſi ab eo recedatur. 829. & ſeqq. quid, ſi recedatur paribus utrinque præſtitis. 835
Pactum renovare. Definitio. 816. renovare & de novo inire quomodo differant. 818
Pactorum violatio num juſta belli cauſa. 849. ſi violati continuatio offeratur, num acceptanda. 832. quid licitum, ſi acceptetur. 833
Pejerans quando non fiat perjurus. 930
Pejeratio. Definitio. 926. 929. num illicita. 927. quale ſit mendacium. 928. num locum habeat in juramento ſcripto. 943. an in juramento in animam alterius præſtito. *ibid.*
Perfidia. Definitio. 766. 767. quando committatur a promiſſore. 768. num committatur in voti violatione. 965. an lege naturali prohibita. 774
Periculi evitandi cauſa num falſum loqui liceat. 214. num ambigua & ænigmatica dictio licita. 215. 217. quando falſiloquium licitum. 216
Perjurium. Definitio. 926. 937. quod illicitum. 933. 936. quod eidem inſit perfidia. 935. quale ſit pro diverſitate juramentorum. 955
Perſeverantia in voluntate præſenti ad promiſſionem requiſita. 366
Perſonale in genere quid ſit. 543
Perſona certa. Definitio. 28
incerta. Definitio. *ibid.*
Petere quid ſit. 795. petenti quando impune quid denegetur. 419
Pietas Philoſophica num ſit virtus. 320. num ejus ſimulatio licita. 321
Patientia facti alieni. Definitio. 990
Pœna aſſeverationi adjecta. Definitio. 857 quamnam obligationem pariat. 860. quando ea ſit opus. 858
Pœna promiſſioni adjecta. Definitio. 606. quando adjiciatur & quo effectu. 609
Pœnalis promiſſio quid operetur, ſi tertii gratia tibi promittatur. 754. quomodo effectum ſortiatur. 755
ſub Pœna execrationis quando quid aſſeveretur. 864
ſub Pœna imprecationis quando quid aſſeveretur. 866
Pœnitentia quod cohæreat revocationi promiſſionis. 597. quando impediatur. 598. quidnam eam impediat. 599. 607
Pollicendi libertas homini competens. 381
Pollicitatio. Definitio. 367. quale jus pariat. 370. num ſit ſervanda. 776. cur excludat acceptationem. 384. num temeraria ſit licita. 771
Pollicitator. Definitio. 368. ejus obligatio. 369. cur perfecte obligari non poſſit. 383. num fidem ſuam adſtringat. 762. num perfidus fieri poſſit. 769. num fidem ſervare teneatur. 777. quando voluntatem mutare poſſit. 379
Poſſeſſio num in abſentem transferri poſſit. 59. num ſolo animo amitti poſſit. 66. quo momento transferatur. 50. a quo incipiat. 51. quomodo acquiratur. 21. 22. num ab abſente transferri poſſit. 37. quænam malam fidem arguat. 1042
Poſſeſſio bonæ fidei undenam ſit. 1037. 1038. num precaria eſſe poſſit. 1044
Poſſeſſio injuſta. Definitio. 1036
juſta. Definitio. 1036
Poſſeſſio malæ fidei num precaria eſſe poſſit. 1044
precaria. Definitio. 1043
Poſſeſſio titulata num poſſit eſſe injuſta. 1036
Poſſeſſio juris in re aliena quando incipiat. 998

Poſ-

Poſſeſſio juris affirmativi in re aliena quomodo acquiratur. 993
Poſſeſſio juris conditionati in re aliena num ante conditionem extantem acquiri poſſit. 999
Poſſeſſio juris in diem conſtituti in re aliena num ante diem acquiri poſſit. 1000
Poſſeſſio juris negativi in re aliena quomodo acquiratur. 994. quando acquiratur. 996
Poſſeſſor malæ fidei num derelictionem rei poſſeſſæ præſumere poſſit. 1060
Poſſeſſor rei alienæ quomodo eam acquirat. 1015. num alteri jus in ea conſtituere poſſit. 1010
Precario poſſidens quando fiat poſſeſſor malæ fidei. 1045. num derelictionem rei poſſeſſæ præſumere poſſit. 1060
Præſcriptio. Definitio. 1024. vindicationis rei. 1030
Præſumtio abſoluta. Definitio. 1032. neceſſitas in negotiis humanis. 1018
Præſumtio conditionata. Definitio. 1032
Præſumtio conſenſus ex ſilentio. 1054. 1055
Præſumtio derelictionis ex facto poſitivo. 1053
Præſumtio dominii num oriatur ex ſola poſſeſſione. 1033
Præſumtio hominis. Definitio. *ib.*
Præſumtio juris. Definitio. *ibid.*
Præſumtio juris & de jure. Definitio. *ib.*
Præſtare quid ſignificet. 80
Præſtationis continuatio. Definitio. 509. quid efficiat in promiſſione. 511
Præſtatio continua quomodo aſſimiletur in diem factæ promiſſioni. 514. quomodo exigenda. 515
Præſtationis repetitio. Definitio. 509. quid efficiat in promiſſione. 511
Præſtationes repetendæ quomodo exigendæ. 515. quando ſimul exigi poſſint. 519
Præſtatio annua prima quando ſtatim exigi poſſit. 513
Præſtationes mutuæ. Definitio. 825. quomodo ſeſe ad ſe invicem habeant. 826
Præſtationes non mutuæ. Definitio. 825
Præſtationum multiplicatio in promiſſionibus. 516
Præſtatio per plura tempora diſtributa quando ſimul exigi poſſit. 518
Promiſſa qualia in communione primæva locum habuerint. 435
Promiſſæ rei æſtimatio quando præſtanda. 661
Promiſſarius. Definitio. 362. quale jus acquirat. 364. quomodo id acquirat. 365. quodnam habeat jus circa alienationem rei promiſſæ. 668. 669. de quo deliberare debeat ante acceptationem. 395. quale jus acquirat ex conditionata promiſſione. 466. quid habeat ex promiſſione conditionata. 471. quomodo fidem promiſſoris adſtringat. 761. quod obligetur ad dicendum verum. 426. num ſtatuere debeat de animo deliberato promiſſoris. 422. 424. quid facere debeat, ſi promiſſorem ad adimplendam promiſſionem conditionatam compellere velit. 470. quando ipſemet conditionem poteſtativam adimplere debeat. 551. quando per alium adimplere poſſit. 572. quomodo ab obligatione modi adimplendi liberetur. 631. quando damnum reſarcire teneatur. 573
Promiſſarii animum deliberatum quinam dijudicare debeat. 423. 424. quando præſumatur. 425
Promiſſarii officium circa promiſſiones temerarias. 773
Promiſſio. Definitio. 361. qualem animum requirat. 391. quod requirat uſum rationis. 448. num habere debeat cauſam expreſſam. 594. quando valeat ex acceptatione præſumta. 718. quando ex poſt facto invalida fiat. 670. quomodo morte promiſſoris fiat invalida. 716. quando convaleſcat. 589. & ſeqq. num non valida per juramentum fiat valida. 905. num vi vel metu extorqueri poſſit. 575. & ſeqq. quid valeat, ſi pro parte in errore fundata. 572. quando error eam vitiet. 569. quando non. 570. quale jus pariat. 784. num ea conſtitui alteri poſſit jus in re ſua. 987. quid valeat, ſi in nudam promittentis voluntatem conferatur. 520. quid valeat, termino ſolutionis in nudam promiſſoris voluntatem collata. 521. quando pro adimpleta habeatur. 677. qualis ſit, quæ præſtationem commodioris ſolutionis gratia differt. 517. quamnam vim habeat in officia humanitatis. 438. an onus ei adjicere liceat. 586. 587. quomodo irrevocabilis fiat. 596. quando revocari poſſit. 595. num revocari poſſit mortuo tabellario. 732. 734. an epiſtola ad promiſſarium nondum perlata. 733. quod ſit modus alteri perfecte ſeſe obligandi. 393

Digitized by Google

Promiſſio abſenti facta & a præſente alio acceptata quando revocari poſsit. 752. quando non. 753
Promiſſio ad diem facta. Definitio. 812
Promiſſio conditionata. Definitio. 462. quandonam quod valida ſit conſtet. 467. quando adimplenda. 468. 469. quando valida. 463. quando invalida. 464. quando nulla. *ibid.* quem habeat effectum. 465. quale jus promiſſario conferat. 466. ſub qua conditione fieri debeat. 493. num ſub impoſsibili. 484. num ſub turpi. 494. 495. num ſub facto turpi tertii. 498. ſub pluribus conditionibus copulative adjectis quando valida. 531. quando valeat, ſi disjunctive adjiciatur. 533. quando pro pura habenda. 678. quando in puram abeat. 529. num juramento vertatur in puram. 951. quando evaneſcat. 534. num revocari poſsit. 600. quamdiu certitudinem obligationis & juris differat. 478
Promiſſio conditionata perſonalis quando evaneſcat. 546
Promiſſio ſub conditione certo extitura quem habeat effectum. 503. ſub conditione, quam certo extituram putas, quando valeat, quando non. 506
Promiſſio ſub conditione impoſſibili negativa qualis ſit. 678
Promiſſio ſub conditione poteſtativa num valida, ſi ob impedimentum inſuperabile adimpleri nequit. 555. quando evaneſcat. 535
Promiſſio ſub conditione reſolutiva qualis ſit. 525. ſi nunquam extitura. 526
Promiſſio ſub conditione turpi negativa num ſit valida. 679
Promiſſio errantis quomodo ſe habeat. 569. & ſeqq. quomodo convaleſcat. 591
Promiſſio ex melancholia profecta num ſit valida. 460. 461
Promiſſio furioſi in lucidis intervallis num ſit valida. 451
Promiſſio datis dextris facta quando ſit jurata, quando non. 899
Promiſſio facti alieni quomodo ſe habeat. 602. & ſeqq. quando ex ea teneamur ad id, quod intereſt. 604. quando ipſimet quid præſtare teneamur. 605
Promiſſio facti vires noſtras tranſcendentis num ſit valida. 636
Promiſſio impoſſibilium num valeat. 632
Promiſſio in diem facta. Definitio. 500. qualem habeat effectum juris. 501. quando ſubſiſtat mortuo promiſſario. 565. num ſit valida, ſi dies nunquam adventurus. 507. quid tenendum, ſi nunquam adventurus putabatur adventurus. 508
Promiſſio in literis facta num ſit valida. 711. an ea viva voce acceptari poſsit & contra. 713. quomodo roganti in literis facta valeat. 738
Promiſſio inutilium num valida. 798
Promiſſionum juratarum exempla, quæ ſunt nullæ. 906
Promiſſio mere liberalis, ſive benefica. Definitio. 713
Promiſſio modalis. Definitio. 557. quando evaneſcat. 567. 568
Promiſſio multiplex quando uno actu fiat. 691
Promiſſio non alienandi rem promiſſam quid operetur. 663. 664. 665
Promiſſio ob cauſam ante debitam. Definitio. 582. ejus effectus. 583. num ſit valida. 584
Promiſſio onaroſa. Definitio. 712
Promiſſio perſonalis. Definitio. 357. quid in ea fiat. 538. quale jus conferat. 540
Promiſſio per miniſtrum cum alio acturi. 729
Promiſſio per miniſtrum quomodo efficiatur valida. 729. an a miniſtro poſt mortem promiſſoris facta ſit valida. 575. an contra jus arcanum facta ſit valida. 746
Promiſſio præſtationem repetendam continens qualis ſit. 512
Promiſſio pluribus conjunctim facta quomodo ſe habeat. 684. & ſeqq.
Promiſſio pœnalis. Definitio. 606. num licite juramento confirmetur. 957. quid efficiat, ſi factum proprium promittatur. 611
Promiſſio pura. Definitio. 462. quæ pura videtur, quando ſit conditionata. 811. num ei conditio tacite adjici poſsit. 810
Promiſſio ex voto debiti num licita. 978. quomodo fiat. 979
Promiſſio realis. Definitio. 547. quando conditionata evaneſcat. 549
Promiſſio, qua quis ſingulis in ſolidum tenetur, quem habeat effectum. 687
Promiſſio rei alienæ num ſit valida. 656
Promiſſio rei, quam noſtram fieri poſſe putamus, quid valeat. 658. 659. quid valeat, ſi fuerit conditionata. 660
Promiſſio rei, quam nos non habere, aut in-

Digitized by Google

teriiſſe novimus, num ſit valida. 637
Promiſſio rei nondum ſuæ, ad quid obliget. 657
Promiſſio rei, quæ in poteſtatem noſtram venire poteſt, qualis ſit. 527. ad quid obliget. 528
Promiſſio rei alteri jam promiſſæ num ſit valida. 681
Promiſſio rei, quam non amplius habes, num ſit valida. 635
Promiſſio rei, quæ in rerum natura exiſtere nequit, num ſit valida. 634
Promiſſio rei ejuſdem duobus facta quando valida. 682
Promiſſio rei a pluribus ita facta, ut ſinguli in ſolidum teneantur, quale det Jus. 995
Promiſſio rei propriæ ab alio facta nobis, quomodo intelligenda. 680
Promiſſio temeraria num licita. 771. num talis ſit, quinam judicare debeat. 772
Promiſſio tertio facta quantum valeat. 749. ad quod is tibi teneatur. 750
Promiſſionis revocatio. Definitio. 595. quando fieri poſſit miniſtro mortuo. 739. quando eodem inſcio. 740
Promiſſionis renovatio. Definitio. 455. num arguat animum deliberatum. *ibid.*
Promiſſor. Definitio. 362. num implere teneatur conditionem poteſtativam ex parte ſui. 524. quomodo ſe obliget. 363. num fidem adſtringat promiſſario. 760. quando fidem ſervet, quando fallat. 759. num fidem ſervare teneatur. 765. quando fiat perfidus. 768. num mentiendo liberetur ab obligatione. 429. quando contrahat obligationem ad id, quod intereſt. 627. 630. num ſtatuere debeat de animo deliberato promiſſarii. 423. 424
Promiſſoris animum num promiſſarius dijudicare debeat. 422. 424. quando is deliberatus præſumatur. 425
Promiſſoris deliberatio quænam eſſe debeat. 394
Promiſſoris obligatio qualis ſit. 363. quomodo valida efficiatur. 365. quænam ſit quoad rem promiſſam. 671. 672. quænam ad dicendum verum. 426. quænam ſit ſub conditione poteſtativa ex parte ſui. 522. 523
Promiſſor facti alieni quando non obligetur ad omnem diligentiam in eo obtinendo collocandam. 610
Promiſſor facti proprii quando teneatur ad id, quod intereſt. 612
Promiſſum quando vitium trahat ab appetitu ſenſitivo. 459
Promiſſum conditionale quomodo præſtetur, conditione non extante. 592. an nova promiſſione ad hoc ſit opus. 593
Promiſſum juratum quando non præſtandum. 649
Promiſſum pœnale. Definitio. 606. quale ſit. 607
Promiſſum ſervare quid ſit. 430. num ſit ſervandum. 431
Promittendi libertas homini competens. 386
Provocatio ad Deum teſtem num ſit juramentum. 894
Puerorum obligatio quando invalida. 458

Q

Quaſi apprehenſio. Definitio. 32
Quaſi traditio. Definitio. 33

R

Recedenti a pacto ad quid tenear, ubi mihi aliquid jam præſtitit. 829
Remiſſio debiti. Definitio. 95
Remiſſio juris. Definitio. 95. effectus. 97. num ea jus acquiratur. 99. quando naturaliter permittenda. 117
Remiſſio jurato promiſſi num abſque perjurio peri poſſit. 956
Remiſſio partis Juris. 98
Remiſſio pœnæ num ſit ſpecies remiſſionis juris. 101
Remiſſio reſtitutionis rei num transferat dominium. 100
Renovatio pacti. Definitio. 816. quomodo fiat. 819. & ſeqq. an in ea quid mutetur. 817
Renunciatio. Definitio. 103. effectus. 104. an ſit ſpecies translationis juris. 105. a cujus voluntate pendeat. 106. quomodo fiat. 107. an ejus hypothetica neceſſitas obſtet libertati voluntatis. 108. an ea faciat renunciationem coactam. 109. quando naturaliter licita. 118
Repetitio præſtationis quando continuetur. 509. quid efficiat in promiſſione. 512
Repudiatio juris. Definitio. 111. ad quodnam jus ſpectet. 112. an jus in alium transferat. 113. quod ſit ſpontanea. 114. quando naturaliter licita. 118
Rem ab alio ſibi comparare quid ſit. 125

Digitized by Google

Rem derelinquens num conſentiat in acquiſitionem dominii ab alio. 1025
Rem derelinquere qui præſumitur num conſentiat in amiſsionem vindicationis rei. 1029
Res aliena num valide promittatur. 656. an cavendum, ne patrimonium amittatur. 1048
Res certa. Definitio. 28
Res communis quomodo dividenda. 134. quod ex ejus diviſione oriantur dominia. 132. quænam in diviſione obſervanda. 136. & ſeqq. quid fieri debeat, ſi dividi non poſsit. 137
Res derelicta num vindicari poſsit. 1016
Res immobilis quomodo apprehendatur. 53. 54. quomodo tradatur. 30. 31. 38
Res incerta. Definitio. 28
Res incorporalis quomodo apprehendatur. 63. 64. quando acceptando apprehendatur. 65. quomodo tradatur. 39. quomodo cum corporali tradatur & apprehendatur. 63
Res mobilis quomodo apprehendatur. 52. quomodo tradatur. 27. 29. 34. & ſeqq.
Res nondum ſua num promitti poſsit. 657
Res promiſſa num alienari poſsit. 666. 667. num ejus dominium in alium transferre poſsit promiſſor. 662. num valide alteri promittatur. 681
Re promiſſa intereunte quando promiſsio valida maneat. 673. 675. 676. quando non maneat. 670. quando pro adimpleta habeatur. 677
Res, quæ conſenſu domini eſt penes alium, quomodo tradatur & apprehendatur. 69
Res, quam noſtram fieri poſſe putamus, num valide promittatur. 658. & ſeqq.
Res tradenda num vacuæ poſſeſsionis eſſe debeat. 67
Reſervatio mentalis. Definitio. 231. quo reſpectu ſit veriloquium. 232. quo falſiloquium. 233. cujuſnam reſpectu ſit falſiloquium. 234. qualis contradictio ei inſit. 235. quando mendacium ſit. 236. quando prohibita. 237. quando licita, ſed inutilis. 238. an in juramentis admittenda. 909
Reſponſio ad pollicitationem & nudam aſſertionem præſtandi facta quomodo interpretanda. 385
Reticendum quod eſt num ſit arcanum. 271
Reus debendi. Definitio. 499
Reus credendi. Definitio. *ibid.*
Reus promittendi. Definitio. *ibid.*
Reus ſtipulandi. Definitio. *ibid.*
Revocatio juris in alterum collati. Definitio. 741
Revocatio promiſſionis. Definitio. 595. num inferat pœnitentiam. 597
Rogare quid ſit. 795

S

Scientia ſilentis domini num ex tempore præſumatur. 1057
Serium quid. 285
Sermonis finis ultimus. 279
Sermo contrario ſenſu intelligendus num ſit falſiloquium. 245. quando licitus. 245. 248
Sermo reſpectu tertii quando falſiloquium non ſit. 225. 226
Signa quænam verbis æquipolleant. 241. quando iiſdem uti liceat. 242
Signa manifeſta. Definitio. 250
Signa occulta. Definitio. 249
Silentium quale ad conſenſum præſumendum requiratur. 1055
Simulantis intentio. 328. 329. 331. factum, quale eſſe debeat. 380
Simulare num liceat commodi alicujus cauſa. 349. periculi evitandi cauſa. 348. 349
Simulatio. Definitio. 332. finis ultimus, 347. qualis ſit. 327. quibuſnam actionibus repugnet. 326. quænam inſit falſiloquio. 178. 334. qualis inſit mendacio. 335. quando licita. 339. 340. quando illicita. 338. quando exceptione fiat illicita. 341. 343
Simulationis illicitæ principium, quando negotium nobis cum aliis. 345
Simulatio pietatis prohibita. 321
Simulatio temeraria illicita. 346
Simulatio veracitatis quale ſit vitium. 336
Simulatio virtutis num licita. 319. num ſit vitium. 312
Simulatio vitii num licita. 325
Sincere quando loquamur. 315
Sinceritas animi. Definitio. 314. quid excludat. 316. in quibus actionibus ſpectanda. 317. cum virtute indivulſus nexus. 318
in Solidum teneri quid ſit. 683. quando teneatur promiſſor ſingulis. 684. & ſeqq. num pluribus teneatur, unde pateat. 684
Spes debitum iri ex promiſsione conditionata

Digitized by Google

nata evaneſcat. 471. qualis ſit. 472. 473. qualis oriatur ex promiſſione conditionata perſonali. 544. 545. qualis ex reali. 548. quando evaneſcat. 536. num promiſſario adimi queat. 477
Spes jus excitatura. Definitio. 473. num invito auferri poſſit. 474. an abſque injuria. 475. 476
Symbolum. Definitio. 71
Symbolum traditionis quale eſſe debeat. 76

T

Tabellario mortuo num promiſſio revocari poſſit. 732. 734
Tacere nolens, cum poſſit, cur verum loqui teneatur. 185
Tacere valenti cur falſiloquium non permiſſum. 184. cur id ſit mendacium. 186
Taciturnitas. Definitio. 218
Taciturnus. Definitio. 258. quando veritatem reticeat. 259
Temeraria promiſſio num remittenda. 773
Temeraria ſimulatio num illicita. 346
Temeritas in promittendo a quonam dijudicari debeat. 772
Teneri in ſolidum quid ſit. 683. quando promiſſor ex promiſſione pluribus conjunctim facta teneatur. 684. & ſeqq.
Titulus juſtus. Definitio. 1034. num differat a vero & falſo. 1035
Traditio. Definitio. 23. in quo conſiſtat. 24. 46. & ſeqq. quomodo fiat. 27. 29. 34. & ſeqq. 38. 40. & ſeqq. quomodo fiat demonſtrando. 34. quomodo in ceſſione. 91. num ſupponat poſſeſſionem vacuam. 68
Traditionis modi quidam num ſint ficti. 79
Traditio brevi manu. Definitio. 41. quomodo fiat. 43. & ſeqq. 70.
Traditio longa manu. Definitio. 47. quando fiat. 48. quomodo fiat. ibid.
Traditio negativa. Definitio. 23
Traditio poſitiva. Definitio. ibid.
Traditio rei immobilis quomodo fiat. 30. 31. 38.
Traditio rei incorporalis quomodo fiat. 39
Traditio rei mobilis quomodo fiat. 27. 29
Traditio ſymbolica. Definitio. 72. an res ſymbolice tradi poſſint. 73. quænam ſit apparens. 77. 78
Traditionis ſymbolum quale eſſe debeat. 76.
Translatio dominii num lege naturali præcipiatur. 12
Translatio dominii revocabiliter vel irrevocabiliter facta. Definitio. 16
Translatio juris exigit animum deliberatum. 391. quomodo fiat in perſonam. 17. certam, vel incertam. 18. in rem. 18

V

VErax. Definitio. 181
Veracitas. Definitio. ibid.
Verba quando quædam reſervare liceat. 240.
Verba æquivoca quando non ſint falſiloquium. 189
Verba aperta. Definitio. 228. uſus. 229
Verba jurantis quomodo ſumere debeat jurans. 910. 912. num in ſenſum alienum detorquere liceat. 911
Verba tacita. Definitio. 228. uſus. 229. 230. quando cum apertis efficiant reſervationem mentalem. 239
Verba temeraria, ſive otioſa. Definitio. 276. an licita. 278
Veriloquium. Definitio. 154. an ſupponat veritatem logicam. 155. qualis ſit actio. 158. quando præceptum. 161. 162. quando illicitum. 167. 168. num repugnet officio, vel ſit contra jus alterius, quando dubium, quid fieri debeat. 262. num in eo tertii, cui non loquimur, habenda ſit ratio. 223. num ſit mendacium, ſi hic fallatur. 224
Veriloquium damnoſum num ſit licitum. 266
Veritas moralis. Definitio. 150
Veritas quando celanda. 163. quando reticenda. 264. 167. 168. quando licite diſſimuletur. 170. 171. 264
Veritas doctorum quando per conſcientiam, aut Deum teſtem probanda. 853
Verum quid habeatur contra eum, qui ad dicendum verum obligatur. 427. quid contra promiſſorem. 428
Verum moraliter num logice falſum eſſe poſſit. 151
Vindicatio rei quando amiſſa præſumatur. 1028. quando præſcribatur. 1030
Virtutis ſimulatio num licita. 319. an ſit vitium. 322
Vis num vitiet promiſſionem. 575. & ſeqq.
Vis ceſſionario licita. 94
Vitii ſimulatio num licita. 325

Vo-

Digitized by Google

Vocabulis num tribuere liceat ſignificatum ab eo, quem habent, diverſum. 243. 244
Voluntas expreſſa. Definitio. 3
Voluntas præſumta num ſit tacita. 4
Voluntas tacita. Definitio. 3. num ſit præſumta. 4
Voluntatis mutatio quando licita. 374. quando illicita. 375. 376. quando permittenda. 377. quando licita pollicitatori & nudo aſſertori. 378
Voluntatis mutatio in melius quando non licita. 378
Voluptas ex jocis percepta quando innocua. 302
Votum. Definitio. 960. quid eo declaretur. *ib.* finis. 968. materia. 969. quomodo fiat de eo, quod aliis præſtandum. 970. num requirat animum deliberatum. 963. num tollatur acceptatione ab altero non facta. 977. num quis ſeipſum ab eo abſolvere poſſit. 967
Votum conditionatum. Definitio. 971. quando non adimplendum. 972
Votum purum. Definitio. 971
Votum de re aliena an valeat. 981
Votum de re illicita num invalidum & illicitum. 973
Votum de re impoſſibili num invalidum. 974
Votum ſervare, vel adimplere. Definitio. 961. num ſit ſervandum. 966. num quis cogi poſſit ad id adimplendum. 976. num ſoli Deo cognitum adimplendum. 980
Voti violatio num ſit perfidia. 965
Vovens cuinam obligetur. 964. num Deo det fidem. 962
Uſucapio. Definitio. 1021. objectum. 1022. an ſit modus acquirendi naturalis. 1023. num fiat domino conſentiente. 1027
Uſus loquendi communis num ſit tenendus. 149
Uſus rationis cur ad promittendum requiratur. 448
Utilitatis ſuæ cauſa num liceat ſimulare. 349

FINIS INDICIS.

Digitized by Google